Nr. P 11205

BURNDY LIBRARY
Chartered in 1941

Gift of
BERN DIBNER

The Dibner Library
of the History of
Science and Technology
SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES



H 2160

EN TIBI LECTOR

ROBERTVM VALTVRIVM, AD ILLVSTREM HEROA SIGISMVNdum Pandulphum Malateſtam Ariminenſium regem, de RE MILITARI Libris XII multò emaculatius, ac picturis, quæ plurimæ in eo ſunt, elegantioribus expreſſum, quàm cum Veronæ inter initia artis chalcographicæ Anno M.ccccLxxxiii. inuulgaretur.

Iublingius.

PARISIIS,
Apud Chriſtianum Wechelum, ſub inſigni ſcuti Baſilienſis. M. D. XXXII.
Menſe Iulio.

ORNATISSIMO VIRO FRANCISCO OLIVERIO

summæ curię regio consiliario, Alenconiorum & Bituricensium Cancellario, Fossarum Barēuilleriorumq; domino &c.
Christianus Wechelus typographus S. P. D.

Si vniuersa quęcunq; hic cœli ambitus complectitur, vir præstantissime, non tantū res naturales sed & artes omnes & summæ & infimę ita essent cōparatæ vt nulli ꝑprius suus locus & quasi solitudo quædam ab aliis rebus omnibus tributa sit, sed ꝑmixta inuicem et quadam cōfusa cyclopædia constarent, facile siuissem mihi persuaderi absurde facturū si librum de re Militari inscriptū tibi homini iurisconsultissimo legēdum afferrem: verùm quando contrà habent omnia, vt ei qui vere publica velit tractare rei quoq; Militaris & aliarū itē compluriū artiū vsus sit, quod vel imprimis in splēdidissima tua OLIVERIORVM familia licet agnoscere quę nihil bonorū autorum relinquit intactū vt pace & bello suis semper q̄optime consulat, nihil videor facturus minus, præsertim cum eximii illi legū conditores Romani nō inferiorē armis q̄ toga operā reipub. nauarint. Indigne enim bono viro nedū iurisconsulto fecerit qui rēp. silentibus legibus, armis oppressam neglexerit, quā cū aliarū artiū adminiculis, tū ex rerū bellicarū autoribus petitis documētis licebit, si non inferendis plagis, quā ne Turcarum quidē nunc satis grauiter ac minitabunde imminentiū reipub. christianæ ad nostram persuasionē pertrahendorū cōpendiosissimā rationē quidā pūtant, euitandis certe quæ illatæ fuerint et quodāmodo, vt ille ait, ex vna ciuitate in aliā fugiendo ꝑpugnare. Aut, si cui id forte magis placebit, quod philosophis frequens est, apud quos contraria contrariorū admonēt, puter voluisse subindicare non ferè magis q̄ tuā voluntatem ac professionē, agni illius sine macula imbellitatē ac innocentiam à furioso Marte abhorrere. Iam qui me sanguinariū ac germanico, hoc est, vt ferè persuasum est, bellico spiritu prouectū æneos nodos furori dissoluere cauillabuntur, id velim expēdant, egóne qui pristinas calamitates ac belli pestes oculis subiicio & vniuersos alieno malo sapere doceo, plus cōmuni hominum vitæ cōmodem, an illi q̄ contēptis et perpetua obliuionis caligine obrutis quęcunq; supioribus seculis incōmode tentata sunt, humanū genus nouis semper periculis obiiciūt suoq; malo quātum hæc vita miseriarū habeat vt experiantur autores sunt. Vides vir humaniss. quæ me rationes induxerint vt tuæ dignitati non veritus sim librum exhibere non ita forte dignū q̄ in tantorū virorū oculos se ingerat, quóq; cōsilio in eiusmodi autoribus imprimēdis & animo verser: quæ si tibi probabūtur, nactus fuero quod quærebā, sin displicebūt, duplici mihi nomine impetrabiliorem veniā polliceor, tum ꝙ beneficio breuioris chartæ angustis cancellis conclusus paucioribus te obtūdam, tū quia Vegetio & Geometria Dureri propediē æden dis aliquid illi tuæ nauseę si qua est decessurū puto. Vale vir clarissime & Valturii nostri contemplatione memineris vt tenebrosa & à Vulcano concinnata arma lucidis & à patre luminum expeditis quæ vel Achillis clypeum facile penetrarint retūdas ac intra sua mœnia cohibeas, quo minus in perniciem tranquillitatis humanę aliquà possint erumpere, Lutetiæ M.D.XXXII. quinto idus Iulii.

qU
101
V215
1532
RB
NMAH

ILLVSTRI PANDVLPHO MALATESTAE

principi Ariminensi Paulus Ramusius Ariminensis, iuris vtriusque consultus S. P. dicit.

CAriſſima progenitorum tuorum facinora toga & bello magnifice geſta, me ciuem tuum coëgere,cõſcriptum accuratiſſimè opus de re militari conterranei mei Roberti Valturii ad te tranſmittere, quod incuria caſtigantium pariter & imprimentium ab archetypo diſſimile & deuians multis mendis deforme neglectúmque iacebat. Illud ſane pro viribus dum Veronæ ſub Magnifico & Clariſſimo Antonio Venerio à publico iure reddendo vacarem,non ſine paruo labore ſucciſiuis horis recognoui, vt pro eo iure quo conciui meo debebam, id in priſtinum nitorem & doctis legendum reſtituerem: cuius laborioſam caſtigationem,& diuini prope operis huius emolumentum tuo nomini, princeps iocundiſſime, dedicaui, quò documenta illa percurrens,facile intelligas quãtopere maiores tui in eo genere excelluerint, adeò vt ſi militiæ præcepta ſtratagemataque nulla literarum monumentis tradita eſſent,potuiſſent abundè ex Malateſtarum genere ſtrenui ac inuicti armorum duces cũctas gentes huiuſce diſciplinæ peritiã geſtis ſuis condocere, exemplárque continua bellorum exercitatione ac lætiſſimo triumphorum ſplendore & preſentibus & futuris preſtare. Adeſt fere ante oculos Robertus Malateſta,Sigiſmũdo patre ortus,cuius memoria obortę lachrymę ſcripta demoliũtur.Hic octauum & decimũ agens annum aduerſus eximios Picœni populos ab Anconitanis delectus imperator,& tot hoſtibus ſtratis captisq; quadringentis, victoria triumphoq; potitur.Non multò pòſt quum Fani teneret imperium, obſeſſus à Pio romano pontifice equite peditéque potentiſſimo,ipſe parua manu romanos milites ſæpius in fugam vertit. Ad trigeſimum ætatis annum Romæ commoratus,vbi omnes tanti viri ſpeciem & virtutẽ admirabantur,Sigiſmundum patrem Arimini obiiſſe præſenſit, quem vniuerſa Italia & Achaia ducem excellentiſſimum prius fuerat experta: aduolat Ariminum Robertus mœrore plenus,quem ciues ad vnũ exoptantes ſibi principem delegere. Interea Pauli pontificis maximi florentiſſimæ armatorum copiæ Arimini ſuburbanũ rubeſcente aurora clam ſubintrauerunt, Robertus verò inuicto animo grandem romanorum exercitum parua tyronum manu pellit fugatq;,cuius ob egregia facinora Florentini omnium conſenſu militum imperatorem ſibi delegere aduerſus ingentes Sixti pontificis maximi & illuſtriſſimi Ferdinandi regis vires, quibus maxime vniuerſa premebatur Hetruria, ſpiritum emiſſura ni Robertus inclytus virtute,ſcientia rei militaris,auctoritate præſtò adfuiſſet. Matthæum Capuanum militiæ ducem ad Thraſumenũ lacum vertit in fugam, reliquis militibus fœdiſſima nota ſub iugum ire compulſis: is profectò ſuis armis ſuaq; virtutè digniſſimus quiſereniſſimi imperii Veneti dux militum maximus aliquandò,capitolinas arces & romanam eccleſiam ſeruaturus,totius ſenatus ſuffragiis glorioſiſſimè conſtitueretur. Audiat nunc quęſo vniuerſus chriſti populus,& cogno

ſcat romanæ eccleſię ad interitum pene vulnera. Venerat ſapientiſſimus Calabrię dux iamiam romuleas arces euerſurus, accurrit veluti Papyrius Curſor & Furius Camillus, Pub. Decius, Curius Dentatus, Valerius Publicola, Robertus Malateſta, iuſſu ſereniſſimi ſenatus Veneti, aſſueti perpetuò eccleſiam cõſeruare, Calabrum ducem tantopere minantem conſerto Marte fugere coëgit, cuius caſtra proſtratis vexillis, direptis impedimentis, glorioſiſſima victoria cepit, duces egregios & milites quadringentos in triumphum Romam ſpoliis & militaribus ſignis onuſtus deducit: veniẽtem Sixtus ſummus põtifex amplectitur, collaudat, admiratur tãtis periculis liberatus. Robertus verò dux inclytus ſũmis in conflictu penè diei laboribus & æſtu fatigatus in morbum incidit, ſanguiniſq; profluuio à nobis emigrauit, inter diuos candidatus lauream perpetuò virẽtem recepturus, quẽ gratus & pientiſſimus pontifex maximus ante obitum deplorãs viſere conſtituit, & ipſum eccleſiæ verum ſeruatorẽ terrenæ labis cõtagione purgatum, larga & indulgenti venia ad cæleſtem triumphum cõdonauit. Moritur itaq; Romæ Robertus Malateſta anno ætatis ſuæ quadrageſimo, dux abũdans bellicis laudibus, & in æde diui Petri conditur elatus mœrore publico. Quorſum hæc dicet quiſpiam? vt tanti principis, quem Venetorum ſenatus & vniuerſa deplorat Italia, aliquid literarum monumentis mandarem, vtq; magnificis progenitorum tuorum exemplis exardeſcens & paternæ virtutis æmulatione acrius ad virtutis gloriam euehare, & ſæpius legendo accuratè caſtigatum opus, Ramuſios tibi deditiſſimos & domeſticarum laudum pręcones recognoſcas.

Vale.

Eiuſdem Pauli Ramuſii epigramma,

Armorum fulmen iacet hic Malateſta Robertus,
Cuius præſtantes gloria vicit auos.
Nam poſt mille acies ſuperatas Marte ſecundo,
Dum ſoluit patrios obſidione lares,
Agmina proſtrauit Tuſcos immiſſa per agros,
Et Calabri fudit fortia caſtra ducis.
Occubuit poſthæc inter fera prælia, certe
Non potuit fato candidiore mori.

AD MAGNANIMVM ET ILLVSTREM

heroa Sigiſmundum Pandulphum Malateſtam ſplẽdidiſſimum Ariminenſium regem ac imperatorem ſemper inuictum Roberti Valturii rei militaris librorum prẽfatio.

Redo equidem,nec ſum neſcius,dux & Imperator inclyte,SIGISMVNDE PANDVLPHE, (tanta eſt liuoris & inuidię noſtri huius ſæculi malignitatíſq; puerſitas)q̃ multos hoc meũ inceſſuros opuſculum,quòd in tanta ſcilicet probatiſſimorum vtriuſque linguę ſcriptorum copia qui accuratè & eleganter rei militaris præcepta tradiderunt,ego potiſſimum auſus ſim temere ac ieiunè libros de tanta re cõminiſci : in qua primùm cẽſorum aciem ſtruam quàm cœpti mei rationem reddam,quàm de perſcriptione operis huius differẽdum quicquam putem. Inter iſtos itaq; qui mea legent, nouum immo antiquum & admirabile hominum genus fore ſcio,nec mihi ſoli,vltimo hominum,verùm primis ac maximis importunum, quibus nihil ritè fiat,quibuſcum loqui ſi cœperis,faſtidiant ſingula,ſua licet non edãt : indignentúrque,nunquam in ſententia permanentes, ſi veluti muta & rationis expertia vitam ſilentio prætereas. Nonnulli, veluti ſues in luto grũnientes,quum norint forſan ad hanc immortalitatis & gloriæ partem ex literarum & ingenii ſui conatibus aſpirare non poſſe,nec inuenire, nec explicare ſermone quod fuerit inuentum,incaſſum me laboraſſe contendent:& quoniam nixu ipſi ſuo minime iuuabuntur,nullum adiuuari poſſe cenſebunt . Alii veluti apum fuci , & improbiſſimi ſycophãtæ,ſolita libidine omnibus detrahendi,& ad ſingulaquæq; carpenda proni & ingenioſi , non deerunt interpretes qui calumniabuntur ſingulorum ordinem,eo pacto ſcientię phamam ſibi aucupari credentes:qui puerilis iactantiæ ſtudio tenebuntur obnoxii,quum olim conſueuerint adoleſcentes ab inſigni accuſatione aliqua primum nomen auſpicari.Phormionis peripateticæ ſectæ philoſophi,& Sergii Galbę perſimilem me dicent. Alii,cum nitida ego vt illi cute,& corpore propter vmbram molli, nullo vnquam vulnere admiſſo, de re militari, de fortitudine ac ignauia ducum, de inſtruenda acie,de loco caſtris capiendo idoneo,multíſque id genus,verba facturus ſim, ad eũ maxime ducem qui & caſtris nutritus ſit,& exercitus maximos duxerit ſemper inuictus . Erunt & alii porrò difficiles,monſtruoſi,lucifugi,qui falſam ſcientiæ perſuaſionem induent: ſub peritiæ tamen oſtentatione,ac doctrinarum ſuarum opinione,multa ſibi arrogantes,& intra ſeſe neſcio quid ineptè cornicantes,quiq; non tam crimi nibus quàm maledictis annitentur obruere : quorum voces tumentiáque verba minime perhorreſcens,nihilo pluris ego faciam quàm Demetrius ille quem dicere ſolitum accepimus,eodẽ ſibi loco voces eſſe imperitorum quo & ventre reddítos crepitus: quum nihil pene interſit qua parte corporis,ſurſum an deorſum turpiter ſonent.Acrius vrgebunt alii,& inculcabunt mihi illud ſatyricum,Tenet inſanabile multos Scribendi cacoẽthes , illius obliti non minoris in ſatyra, Eſt quòdam prodire tenus,ſi non datur vltrà:

quos omnes etsi possum iure meo repercutere, malim tamen ęquo animo intactos linquere, maxime quũ haudquaquã ex eorũ sim numero qui æmulis carere velint: & eo sint studio,& ingenio prouecti,vt nihil reprehensibile,nihil nisi ad vnguem perfectum habeant. Non pigebit igitur, si qua me inconsultè præterierint(quanquam mea, diligẽtia & curiosa perscrutatione veterum ex libris explorata omnia esse sciam)vel amicorum,vel eruditorum monitu,si vera fuerint, emendatione corrigere : si minus , Democriti potius risum quàm Heraclyti lachrymas sequi velle . Non enim ægrè feram , hanc esse de scriptis meis existimationem , vt qui nesciunt , doctissimos , grauissimos sanctissimósque viros ab æmulis quibus referta sunt omnia perperàm talia perpessos esse intelligant. Atq; vt à poẽtis initium sumam, qui sunt multò antiquiores quàm historici,quàm oratores , quàm cætera scriptorum genera , Homerus primus omnis philologiæ dux & antiquitatis parens , diuinarumq; omniũ inuentionũ fons & origo fuit,haudquaquam tamen sic posteritatis studia restrinxit , quin æmulos haberet quàm plures,qui labẽtem, & cedentem oneri, & dormitantẽ eum nonnunquam appellent: sed Zoilum illum imprimis, quod mirabere, qui à Macedonia Alexandriam profectus optauit sibi cognomen vt Homeromastix appellaretur,quum sua Ptolomæo regi contra Iliadem & Odysseam scripta comparata recitaret, quanquam ante annos mille diem obiisset Homerus . Maronem vatem Mantuanum, disciplinarũ omnium cognitione ad vnguẽ excultum, & cuius anima,vt inquit Flaccus,candidiorem aliam non tulit terra,ab C. Caligula,nullius ingenii: à M. Vipranio Repertore,ab Cornificio,Euangelo,Camillo Pictore,Hærennio,Perillo,Faustino, Octauioq; Auito,ac multis aliis non tanq; imitatorẽ,sed defloratorẽ, & veterum cõpilatorẽ publicumq; furẽ nouimus esse notatum. Hęc eadem à maliuolis passus est P. Terentius Comicorum summus, qui comœdiarum prologos in defensionem scænis dedit. Vrgebant enim comœdias eum omnes à Polydoro ac Menandro transtulisse,& à Lælio Scipionéque in scriptis sic adiutum vt meritò non sua sed aliena pro suis edentem crimina rentur . Sunt qui non tam ab his qui tum adolescentuli forte fuere quàm à Q. Sulpicio Gallo qui consularibus ludis fabularum dãdarum initium fecerit , vel à Q. Fabio Labeone,& M. Põpilio consulari vtroq; ac poẽta viris,vtpote quorum operam,& in bello,& in ocio,& negocio nedum Terentius sed S.P.Q. plerunq; R. fuerit expertus. Quis M. T. Cicerone doctrinarum luce in eloquendo ornatior? quis fœlicior in explicando? quis in persuadendo potentior? qui in arce romanæ eloquentiæ stetit? id nedum inter ætatis suæ homines,verùm apud posteros assecutus,vt eius non Arpinatis cuiuspiã hominis,sed animatæ diuinæq; potius eloquentiæ nomen habeatur? obtrectatorum tamen morsus euitare non potuit quominus in eorum linguas incideret. Hunc enim Græci repetũdarum dignum accusari censent, q; ea literis mandaret quæ haud primum ex se forent inuenta: criminantur alii incompositè eum loqui, & non modo tumidum, sed redundantem,in repetitione nimium denique,atque verbosum,quũ tamen mos sit ei profundam rerum scientiam sub breuitate verborum tegere . Martianus Capella , vitiosissimum in clausulis reperiri eum, turbantem numeros quadam

permixta

permixta confusione,dicit.Nonnulli quoq; inter maximos viros tam prodigiosi extiterunt,in quibus sunt Gallus Asinius Caluus, & Largus Lycinius(cuius liber in suggillationē eius atq; notam etiā inuulgatus fertur,infami titulo Ciceromastix)vt scribere ausi sint, oratorem maximum impropriè atque inconsultè locutum: quos itidem(vt in oratione etiā sua Vatiniana testis est) ob insignem linguæ festiuitatem,consularem eum scurram minus puduit appellare: quódq; magis mirabere(tanta est iudiciorum varietas)extat eiusdem Ciceronis de optimo genere dicendi liber,tale támque ex alto sumptum opus,vt idem in epistolis ægrè attigit,à M.tamen Bruto,ad quem & cuius precibus scriptus erat;erudito viro licet & scribentis amico,non probatur. Quis Demosthene in tanta graiorum hominum eruditione, oratoriæ artis præceptis & dicendi vsu ac maiestate præstantior?& quanquam quum dicturus esset, concursus in audienda causa ex omni Græcia fieri solitos monumentis atticis atque latinis memoriæ proditum sit,attamen hic ipse huius quē modo diximus Ciceronis aures persæpe non implet. Quis Epicurum intoleranda superbia detrahentem omnibus non audiuit?Pythagoræ,Empedocli,Democrati?quem amicum licet,totis voluminibus laceraſſe traditur, quòd in philosophia paululum à se suisq; insanis opinionibus discordarent?Democritum à quo quæ sciebat in philosophicis cuncta didicerat,& quem exigua mutatione verborū in omnibus sequebatur, hunc acrius inurebat: nēpe qui magistro caruisse gloriaretur & videri vellet. Secuti sunt in hac detrahēdi lididine Epicurum Metrodorus atque Hermacus,supradictos quoq; philosophos lacerātes,nec vllius magnitudini parcentes aut gloriæ,quando idem Epicurus mirum in modum Platonem spernit & contumeliosissime Aristotelem vexat,aduersus Tritamum hominem in dicendi nitore tantum,vt ob diuinam eius eloquentiam Aristoteles Theophrastum appellaret: Scito sermone & Attico inuenitur scripsisse etiam fœminam,ac meretriculam quidem: Fuit & Zeno ipse maledicus,& aspernator nō modice,qui et Chrysippum philosophum acutissimum,& eiusdem sectæ nominans contemptim,non Chrysippum sed Chrysippam semper diceret: nec modo qui tum erant, Apollodorum siue cæteros coætanos conuitiis ac maledictis incesseret,sed parentem immo deum philosophiæ Socratē, latino verbo vsus quò mordacior credo esset,scurram Atticum appellaret. Similiter qui de Platone Xenophonteq;, duobus Socraticæ amœnitatis luminibus exquisitissime scripsere,nō abfuisse ab ipsis motus quosdam tacitos & occultos simultatis & æmulationis mutuę putauerūt.Fuit & Annei Senecę in Fabium Quintilianum,& Quintiliani in Senecam detractio non leuis,& quanquam ambo excellenti ingenio & doctrina viri, eodem cælo geniti, quos ætas, quos professio penè iunxerit, seiunxit tamen adeò parium immo disparium pestis liuor,vt nec Fabius Senecam ore pleno probare possit, nec ille de Fabio,par pari referēs,nisi contēptissimè loqui.Liuium historicū celeberrimum, tametsi lacteum alii,alii vberem & beatum eloquentiæ fontem vocent, Caius tamen, ferox fateor princeps, sed minime rudis, vt Senecæ dicta, commissiones meras & sine calce arenam esse dixit, sic verbosum hunc in historia negligentémque carpit, cui & Pollio patauinitatem quampiam dicit inesse.

Salusti

Saluſtianæ orationis breuitatem qua nihil apud eruditos elegantius, nihil poteſt eſſe perfectius, maligne etiam reprehendere inſciteq; obtrectare plerique conati ſunt. Vtq; ad ſanctos patres conuertatur oratio,quis Hieronymi contentiones non audiuit,non legit? cum Ruffino Aquilienſe? cũ Iouiniano? cum Vigilantio? quem nonnunquã proprio, nonnunquã mutato nomine dormitãtem appellat? Quis eiuſdem cum Auguſtino non vidit epiſtolas? à quibus quũ contentionis ſtudium et volũtas forte abſit,more ſanctorum in quibus illi duo omni genere doctrinæ & vitæ ſanctimonia omnium iudicio excelluerunt,emulationis tamen non paruæ ſpeciem quãdam prę ſe tuliſſe haud dubie viſi ſunt. Cyprianum in omni genere oratoriæ artis admirabilem, & cuius ingenii facilitatem,copiam,& ſuauitatem admiramur omnes,à peritis tamẽ quibuſdam accuſari derideriq; ſolitum legimus,et vna ſui nominis litera immutata,Caprianum appellari,quòd ingenii tam diuitis venam ad dominicam orationem ac humilia quædam alia literarum ignaris ſolũ enodanda conuertiſſet. Ad poſtremum quum conſtet ingeniis omnis æui pręcellentibus vnum hoc venenum vnâmque labem inuidiam extitiſſe,non mirum tibi, Sigiſmunde,nec cuipiã videri debet, ſi contra me puſillum hominem & indoctum ſcholaſtici quidam & circũforanei rabulæ latrent atque deſæuiant. Quocirca lectorem etiam humanitatis iure poſtulo,quiſquis ille erit qui viderit hæc,ne iurgiis inſectetur,conterat,vel deteſtetur : verùm ſi ab initio legerit, perlegat quoq;, & in legendo quæ alibi norit (quum nihil ſcribi omnino noua inquiſitione poſſit) minime tanquam iniqua repudiet, ſatiſque eſſe iudicet, non eſſe hæc,nec in compitis,neque in tabernis literarum ludi valde protrita. Illud denique peto,vt non erudiendi oſtentandiq; noui aliquid magis quàm reſtaurandi gratia quę deperdita erãt clarorum virorum monumenta,quaſi maiorum demonſtratione veſtigiorum,ſcripta hæc exiſtimentur: atque vt eiuſce deperditæ rei notitia plenior habeatur,ab ipſis(vt ita loquar) cunabulis ſcriptores eius auctores recẽſebo, quos & multos & præclaros,tam Græcorum quàm Latinorum aliarumq; gentium fuiſſe comperio, Demetrium ſcilicet Phanoſtrati filium,Phalereum,Democritum,Xenophontem, Pyrrhum Epirotarum regem maximum, Iphicratem Athenienſem,Anacharſim Scytham,Cincium,Iulium Higinum,Catonẽ Cenſorium,Marcum Varronem,M.T.Ciceronem,Cornelium Celſum,Martianum, Modeſtinum, Marcellum,Sextum Iulium Frõtinum,Vegetium Renatum,Patrinum,his minus omiſſis quæ à Romulo, Numa Pompilio, Tullo Hoſtilio, Anco Martio, Tarquinio Priſco,Seruio Tullo ex regibus:ex Cæſarum verò & Auguſtorum familia, Iulio Cæſare,Diuo Aug.Diuo Traiano Adrianoq; inſtituta,inuẽta,cõmutata vel reuocata ſunt : quorũ pene omnium libri qui ſcripſerũt cum vel temporum vitio,vel iactura quadam noſtra deperiſſent, illiq; ipſi qui fato minus eſſent abſumpti in multis deficerent quæ ad rem ſpectare videbãtur,ſuſcepi laborem nouæ huius commentationis,tuo tantum nomini dedicandum. Nullus enim occurrebat alius,(neque amore aut errore teneor)in tanto nobilium ducum & imperatorũ numero,cui iure ſuo munus hoc dedicari dignius poſſet : quippe qui hac ſolus tempeſtate caſtrorum filius, exercituum pater,optimiſquibuſq; doctri

nis &

nis & artibus belli imbutus, clariſſimis exacti temporis ducibus peculiari quadam amoris gratia militaris huius rei afficeris, vitam illorum ac geſta ſtudens emulari. Eoq; libentius id effeci, quòd concilium cęleſtium terreſtriúmque in ſedibus immortalitatis te collocaſſe videbam, omnémque inclytæ domus tuæ gloriam ſubditorúmque populorum ſpem in tuam poteſtatem tranſtuliſſe, vt non aliter ac dei nutu ſine dubio factum ſit, quòd tam arduus eccleſię romanæ caſus emerſerit, quo heroicam diuinámque illam virtutem tuam facile poſſes oſtẽdere. Nec ęgre feres, de te audiens quod aliquando de ſummatibus viris & illuſtribus dictum eſt & literarum cuſtodiæ traditum: vt enim Hectorem & Achillem troiani belli celebritas claros fecit, innumerabilis Xerxem exercitus, & Marathonia pugna Milciadem, Camillum Galli, Manlium capitolina defenſio, Scipiones Carthago, Cymbri & Theutones Marium, Pompeium Mithridates atque pyratæ, Cęſarem Britannia, Gallia, atq; Theſſalia, ſic te diuina ſigna per omnes Italiæ oras, per omnes exteras nationes, notiſſimum clariſſimumq; reddiderunt, cum Eugenio Pontifice Maximo, omniumq; ſanctiſſimo præſide, tu gentibus eius aduerſus egregium ſane ducem Frãciſcum Sphortiam ſocerum tuum potentiſſimum, ac acerrimum dominici tunc gregis hoſtem, aduerſusq; Florentinum Venetúmque populum Imperator inuictus adeſſes, ac ſacroſanctam eccleſiam eius gẽtibus laceram, & armis oppreſſam, breui temporis curriculo contra cõmunem omnium opinionem ad ſummum dignitatis ſuæ culmen inſtinctu diuinitats, mentis magnitudine, ductúque tuo, conſilio et auctoritate proueexeris. Neque aliter illum ipſum caſtrenſem impetum atq; conatum tuũ qui pręceſſerat, contra hæc ipſa eccleſiaſtica ſigna & illuſtrem Tarraconenſium regem Alphonſum Philippúmque Mariam, Inſubrium, Lygurumq; ducem bellicoſiſſimũ reor extitiſſe, niſi quia maxima vi maximóq; diſcrimine modeſtia tua illuſtranda erat, ac veluti cæli temperiem venti imbresq; commẽdant, ita ad augendum tuę dignitatis cumulum apud pontificem, apud omne genus hominum, illum tumultum, hũc ſpectatiſſimum triũphum præceſſiſſe crediderim, vt quot in illo turpitudinis notas extingueres, tot in te triũphales coronæ refulgerent. Conuenientiſſimum pręterea videbatur vt cui merito omnia debeo & imperio ſubſum, ipſi meum, ſi quid eſſet, præ cæteris dicaretur ingenium, ſperans denique id fore morte obita, vt ad poſteros aliquãdo non inglorius commigrem & viuam: vbi ſi immortalitatem illã quam omnes expetunt, pauci verò aſſequuntur, vel ipſe non aſſequar, gaudebo tamen tuo auguſto paternóque nomine, cui hoc de re militari opus inſcripſi conſecrauíque, me diuturnam lucem & ſempiternã quandam gloriam adepturum, qui fortaſſe ſine te, qui multis me ad ſcribendum rationibus impuliſti, in tenebris abiectus iacuiſſem. Sit itaque tuo tantũ nomini dicatum, et quid de te mihi pollicear videas obſecro. Nũquã enim huiuſce libri exordio nomen ipſum legetur tuum, quum paſſim & vbiq; gentium ſublime magnificúmq; prædicetur, quin mihi ſplendoris & gratię plurimũ ſit allaturum. Putabunt etenim ſinguli ad quos liber iſte puenerit, non parua nec inutilia ſe percepturos, dũ tam ſplendidũ, tam pręcellens, tã illuſtre ipſis primis apicibus nomẽ

tuum

tuum intuebuntur & legent. Suſcipe igitur clementiſſime ac optime princeps, SIGISMVNDE PANDVLPHE, gratiſſimis vlnis munuſculum hoc, exiguum licet, ab animo tamen tibi dediti ſſimo tuiq; amantiſſimo profectum, intentiúſq; leges quum aſpirare tibi inter plurima ſtrepentium occupationum tuarum agmina licebit. Inuenies profectò plurima in hoc opere quæ tibi ſint aut voluptati maximę legiſſe, aut ornamento vidiſſe, aut vſui meminiſſe: quippe quæ præceptis & exemplis ſuis oblectare atque inſtruere bene inſtitutum animum poſſint: de cuius cauſis nil attinet plura nunc diſſerere, quum quidem ſingulæ partes eius deſtinatis aliquot voluminibus explicandæ ſint, quas ordine ſuo tũc demum prosequar, quom præfatus fuero pauca quædam de ipſius rei origine ab aliis pene omnibus omiſſa ſcriptoribus, quã reor ad vniuerſę etiam rei deſcriptionem ab aliis quoque pluribus intactam maxime profuturam.

Vale.

Dantis Tertii Aligeri,

Qui modo Romuleam ſeruarat ab hoſtibus vrbem,
Et capitolini culmina cælſa Iouis,
Quíque ducem Calabrûm caſtris ſpoliarat & armis,
Inq; omni fœlix agmine victor erat,
Marmore dux Venetum iacet hoc, Malateſta Robertus,
Fecit adhuc tantum non Libitina nefas.
Cur fraudata rapis iuuenem fortuna, putabas
Nunquid, dum numeras parta trophæa, ſenem?

Eiuſdem,

Quiſquis funeſto validas ſub Marte cohortes,
Et ſequitur miſſas per freta ſalſa rates,
Ille Raguſeum tollat ſuper aſtra Boninum
Ingenioq; viri præmia digna ferat,
Impreſſit quoniam quonam modo bella gerantur,
Machinâ vel quatiat mœnia quæque ſolo.

¶ERRATA

Pagina	Linea	Lege
3	25	vt reliquæ actionum
94	31	Sagmina, inquit, à te
113	17	donec Craſſianus hic &c.

Græcus enim Plutarchus habet κρασσιανός quod latinus habet Craſtinus.

121	21	captos cxlii
ibidem	23	Antipatro autore
ibidem	27	renuit experienti Aiax,

alioquin dux agminis ſemper. Tum pronunciatum &c. ſic Plinius libri octaui capite quinto.

Huius loci occaſione ſubit mihi, bone lector, te orare vt cum in huiuſmodi loca aliquot incides negligẽtiã noſtrã ne incuſes, q̃bus feſtinãte prelo ac autorẽ ſ̃pe tacẽte Valturio, non libuit incõperta in formam mutare diuerſam ab exemplari.

182	43	Vicarium tibi expedi
215	40	κυλίω
259	1	vehicula duo tormẽtaria
289	in titulo	Lib. X

correcta ſunt.

Nomina autorum præcipua(nam omnia perſequi eſſet infinitum)
à quibus quæ xii Valturii de re militari libris continentur
deſumpta ſunt.

Acron
Ambroſius
Ammianus marcellinus
Apollonius Tyaneus
Apuleius
Ariſtophanes
Ariſtoteles
Aſconius pædianus
Athanaſius
Auguſtinus
Auguſtus Cæſar
Beroſus
Biblia ſacra
Boëtius
Cæſar
Cæcilius
C. Caligula
Caſſiodorus
Cenſorinus
Cicero
Claudianus
Cleſbius Alexandrinus
Columella
Cornelius Celſus
Cornificius
Curtius
Dares phrygius
Demonactes
Demoſthenes
Dion
Dionyſius
Dioſcorides
Donatus
Draco
Druidæ
Egeſippus
Epicurus
Ennius
Epimenides
Euangelus
Euclides
Eudoxus
Euripides
Euſebius Cæſarienſis
Eutropius
Fabius Quint.
Fauſtinus
Feneſtella
Firmianus
Flauius Vopiſcus
Florus
Frontinus
Galenus
Gellius
Germanicus cæſar
Gratianus
Gregorius
Helius Lampridius
Heraclytus
Heſiodus
Hieronymus
Hyrcius
Homerus
Horatius
Ioſephus
Iphicrates
Iulianus
Iuſtinus
Iuuenalis
Laërtius
Liuius
Lucanus
Lucullus
Lycurgus
Macrobius
Martialis
Martianus Capell.
Maſurius Sabinus
Menander
Neuius
Nigidius
Oppius
Oribaſius
Oroſius
Pacuuius
Palladius
Pandectæ
Perſius
Petronius Arbiter
Pherecides
Pittacus
Pindarus
Plato
Plautus
Plinius
Plinius nepos
Plutarchus
Polybius
Priſcianus
Propertius
Rabanus
Salluſtius
Seneca
Seruius
Stephanus
Suetonius
Terentius
Tertullianus
Theocritus
Theophraſtus
Thucydides
Tibullus
Trogus
Valerius Maximus
Varro
Vegetius
Victruuius
Virgilius
Vlpianus
Xenophon

ROBERTI VALTVRII

AD MAGNANIMVM ET ILLVSTREM Heroa Sigiſmundum Pandulphum Malateſtam ſplendidiſſimvm ariminensivm regem ac imperatorem ſemper inuictum, Rei Militaris Libri XII.

De prima & ſecunda Rei Bellicæ origine, apud quas nationes primum orta & unde Res bellica dicta ſit, CAP. I.

QVum inter omnes priſcæ auctoritatis viros, qui Xenophonte ac Cicerone duce, clariore mentis ratione viguerunt, non dubium ſit, per ſe hominis vim imbecillam ac fragilem nimis, non ſatis eſſe quo res omnes domi & foris ſibi commodas ad vitam poſſet amplecti, alteriúſq; indigere, legitimam maris & fœminę copulam cõſtat comparatam eſſe natura, vt & vtiliſſima & maximè neceſſaria vitæ ſocietas iniretur, & quod alteri plerumq; deeſſet, præſto ſumeretur ex altero: tum etiam, quum victus non vti primùm palam & in propatulis campis, ſed intra domeſticos parietes accurandus erat, neceſſe fuit alterum foris ſub diuo eſſe qui labore & induſtria compararet quę tectis includerentur, fruges, & alimenta: quum verò partæ res intra limen eſſent congeſtæ, alium eſſe qui & congeſta ſeruaret ad vſus vitæ neceſſarios. Iure igitur & natura comparata eſt opera mulieris ad domeſticã diligentiam, viri autẽ operam omnem & curam ad exercitationem forenſem & extraneam, ad inediam & vigilias, æſtus & algores, tum etiam itinera & labores pacis & Belli, cæterarumq; artium & militarium ſtipẽdiorum perpetiendos: idcirco natura viros quàm mulieres fecit audaciores, quòd neceſſe eſſet foris & in aperto vitam tuentibus nonnunquàm manu & viribus iniuriam propulſare. Huiuſmodi aũt homines, aliis belli propulſatores & arma tenentes, aliis cuſtodes, aliisq; milites notiori vocabulo libuit appellare: quo fit vt hæc militaris res ad commoda vitæ conſequenda, ſecundum naturam apud cœtus iure ſociatos conſiliaq; hominum, quæ nóſtri homines ciuitatem appellant, honeſtiſſimis orta & procreata principiis, ad ſalutẽ vtilitatẽmq; hominibus tradita & conceſſa videatur. Eius rei originem, priſca illa & abſoleta à memoriáque hominum multum remota mecum ipſe reputans, cur ad vrbium conditores ſeu rei ciuilis rectores referatur non ſatis intelligo. Antiquiſſima enim rei huius bellicæ initia fuiſſe conperio, longéq; ante vrbes legéſq; cõditas, ante æris ferriq; vſum adinuenta: ſiue ad Iouem illũ magnum quem in cœlo comitatum exercitu deorum pariter & dæmonum Plato deſcribit, procurantes præfectos & præſides habentem, radices agentia: ſiue ad priſcos vſq; illos homines inertes & ex terra genitos vt poëta meminit.

Terrea progenies duris caput extulit aruis:

ſiue corruptione aliqua, aliõue quouis modo abſq; parentibus natos & reſeruatos, iuris multarũmq; rerum ignaros, quum nullum tunc neq; naturale neq; ciuile ius

uile ius deſcriptum, nulla initia ſapientiæ, nullæ diſſenſiones nec inimicitiæ, neque bella oborta forent. Nam

Nondum veſanos rabies nudauerat enſes,

vt Germanicus Cæſar in Arateo carmine loquitur,

Nec conſanguineis fuerat diſcordia nota:

immo nec alienigenis quidē, quum nulli omnino gladii qui tunc ſtringerētur eſſent, quum pœna ex cupiditate, amentia, nequitia, improbitate aucta, per ſcelus, prædas, direptiones, ſanguinem & crudelitatem perfecta Bellica res à beluis vel quòd beluarum more propter alimoniam & ſpecus quæ tunc pro domibus illis erant, vnguibus & dentibus pugnarent: vel quòd beluarum ſit pernitioſa diſſenſio, dicta & appellata non inſcitè videbatur Horatio,

Quum prorepſerunt primis animalia terris,

Mutum & turpe pecus glandem atq; cubilia propter

Vnguibus & pugnis dehinc fuſtibus, atq; ita porrò

Pugnabant armis quæ mox fabricauerat vſus:

niſi rem hanc ab initio ſecundum naturam profectam túncque rudem ac penè fortuitam ad diſciplinā peritię́q; ſtudia primi reuocaſſent, quales Aſſyrii quos primos bella finitimis intuliſſe conſtat, quanq̄ non horrida multum nec difficilia, quòd rudes adhuc ad reſiſtendum gentes eſſent, nec etiam multæ nec magnæ, quū poſt Noë diluuium anni non multo amplius quàm mille fluxiſſent, vbi Ninus rex Beli filius, ſupra quem nihil præclarū in libris relatum inuenio, Veſorem illum Aegyptium & Scythiæ regem Taneum rēmotis bella populis inferentes, nec imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quærentes victoria ſola contentos ſemper excipio, omnes quæ à Syriæ finibus aduſq; vltima Lybię gē tes nationéſq; ſubegit, quo tempore inter ſeſe inſidiari cœpere & gloriam ex humano ſibi ſanguine comparare: Siue quales Abantes, qui propè pugnandi ac præter cæteros manus cum hoſtibus conſerendi ſolum peritiam habuere. Nam vt Antilochus refert,

Hæc crebros tendunt arcus, nec verbera fundæ

Expediunt, ſæuáſq; ferox Mars æquore cædes

Infert, ſed rigido geritur res comminus enſe:

Hac illi apprime pugna certare periti,

Euboicæ genus acre virûm Bellóq; ſuperbum:

Siue quales Cretenſes, quorū patria prima remis & ſagittis inclāruit: Siue quales acerrimi omnium bellatorum Chalibes, per quos erutum & domitū eſt primitus ferrum. vel vt Heſiodo quoq; placet, in Creta eos qui vocati ſunt Dactyli Idei: Aphris & Theſſalis hanc alii partim gloriam dabunt, quòd ex his primitus pugnam ex equis Centauri ſecundum Pelion montem incolentes docuerint inire, laſciuáſq; vertigines implicare. Illis verò, quòd primi contra Aegyptios prælium fuſtibus, quos phalangas vocant, feciſſe memorentur: Erunt & qui contra hos pugnent veluti Daci, Medi ſiue Thraces, quos bellicoſos adeò fuiſſe ſemper non dubium eſt, vt ipſum Martem apud ipſos fabulæ natum eſſe confirment. Galli verò ſuo quodam iure ab his quos modo diximus hanc palmam repe

niam repetent, ſuámq; omnino eſſe contendent, quum ſe Druidum ſententia omnes à Dite patre cui terrena vis omnis atq; natura dedicata eſt, pugnæ natos prædicent, liberóſq; ſuos niſi quum adoleuerint vt munus militiæ ſuſtinere poſſint, palam ad ſe adire non patiantur. Athenienſibus hanc tribuent alii, quoniam eorum ciuitas qua nihil habuit Græcia clarius, nihil antiquius, à Minerua eſt, principe & inuẽtrice Belli armorúmq; Dea, quæ græcè ἀθλωᾶ dicitur, vtpote quæ bellicoſa & ſapiens regionem eligendam cenſuerit talem, quæ ſui ſimiles viros editura eſſet. Permulti deniq; Spartiatis cõcedent, quorum diſciplina quid quantúmue bellicis actionibus conduxerit vt reliquos miſſos faciam, Maharbalis præſtantiſſimi ducis & Xanthippi declaretur exemplis. Huius enim mercenarii militis ſiue ducis opera & arte, triginta milia Romanorũ cæſa ſunt, Regulo eorum duce, cum quingentorum equitum numero in vincula coniecto: illo Lacedæmonio quoq; Hannibal ſecundo punico bello poſtquàm alpibus patefactis in Italiã traiecit, vſus ductore & accincto & acri & expedito ſemper ad bellum milite, occidiſſe populi Ro. ſupra ducenta milia, quinquaginta & eo amplius hoſtium milia cepiſſe memoratur. Quo quidem duce, vt cætera ſileam, illa maxima Cannenſi mirabilitérq; horrenda clade de Romanis procul dubio eſſet actum, niſi mora peruadendæ vrbis obſtitiſſet, ipſáq; militia tanta rerum agitatione lõgo poſtliminio ab interitu penè reuocata fuiſſet in lucem, quę deniq; omni ſtudio exculta, non principatuum omnium quę circa ſe eſſent Sabinorum, Hetruſcorum, Latinorum, Hernicorum, Volſcorum & Aurunco rum, totiuſq; Italiæ populorum ſolũm Romanis peperit, verùm omnium fere remotiſſimarũ gentium ac nationũ terrarũ orbis reges ac dominos fecit.

Quid res Militaris, & in quot partes diſtributa ſecundum Iphicratis traditionem, & quòd tribus rebus, ut reliquæ actionum, natura, doctrina & exercitatione conſumitur, quodq; plurimis liberalium artium ſtudijs inhærendum ſit ei, qui ſe cum gloria cæteris imperaturum profiteatur,

CAP. II.

MILITARIS res, eſt ciuilis quædam pars facultáſq; honoratiſſima, ad reliquas ciuilis potentiæ partes tuendo continendas, ſecundum naturam maximè neceſſaria, legitiméq; ad hoc ipſum variis diuerſorum temporum exẽplis electione ac ſacramento adacta. Hęc vt Iphicrates tradit, in Pedites, Equites, Phalãgem, Ducémq; diſtributa eſt. Manibus pedites ſimiles ſunt, pedibus verò equites, ipſa phalanx thoraci & pectori, capiti autem imperator: qui vt Ariſtoteli placet, mentis atq; animi inſtar eſt. Rurſus tribus hæc rebus, natura, doctrina & exercitatione conſumitur. Naturæ namq; principiis fortes creantur ex fortibus & bonis, eſtq; in iuuencis, eſt in Equis patrum virtus, nec imbellem progenerant aquilæ columbam, vt Flaccus inquit. Maxima quoq; huic rei adiumenta conferre doctrinam & inſtitutionem quis dubitat? quum in præliis quondam omnibus artibus ſtudiorum liberalium excultis, veluti ſeminario ducũ præfectorũmq;, pręcipuus honos haberetur: quumq; ad militiam euntibus apud maiores noſtros dari ſoliti ſint

cuſtodes atq; magiſtri quibus primo anno erudirentur, quod nec poëtam maximum præterit de Pallante canentem atq; dicentem,

Sub te tolerare magiſtro
Militiam graue Martis opus.

Porrò conſuetudinis & exercitationis ea vis eſt vt dimicãtium animus ſemper ſit pronus ad cædem ardénſq; in præliis, ad quæ ſi inconſuetum militem duxeris, non ſecus ac mulierem videris: & quanquam Tyronum ætas Veteranorum potior eſſe ſoleat, veterani tamen ex conſuetudine cæteris audendi exemplum præ ſe ferent, quum videamus ex militum turba ſæpenumerò ſaucios efferri: & quidem Tyronẽ illum & à conſuetudine pugnæ alienum, leui qnanq̃ ictu vulneris ſuſpicione pallentem effœminatiſſimúmq; eiulatum edentem: veteranum verò præliis aſſuetum, vulneribus innutritum, ac poſt ſanguinem ſæpe etiam victoria potitum, quum nonnunquam grauiter impellatur, feriatur, deiiciatur, alacrem iterum ad cædem exurgere, chirurgum & vnguenta ſpernentem. Quũ itaq; ad perfectam huius rei actionem hæc tria inſint, vt antè diximus, natura, doctrina & exercitatio, neceſſe eſt vndecunq; expolitum eſſe debere, qui ſe præſtantem cæteris profiteatur: quocirca huius rei ducem, ingenioſum & ad diſciplinas ſingulas maiorúmq; inſtituta capeſſenda docilem atq; verſilem eſſe oportet: haud enim ingenii vis abſq; diſciplina & rerum plurimarum maximarúmq; exercitatione, aut diſciplina, ingenio & exercitatione deſtituta, conſummatum ducem poteſt effingere: quòd ſi qui aliter forſan putent, falluntur maximè, & in ſummo omnium errore verſantur: quúmq; nulla ſit ars, nulla diſciplina tam ſuis abſoluta partibus vt non quoq; cæterarum adiumẽta deſideret, vt in bellicæ huius rei quota maximè parte verſatur inſtrumentis, quum alter ſpicula telis & ſagittis exacuat, alii baliſtarum ſcorpionúmq; ſymmetriis & tẽperaturis inſiſtant, cælatis alii frænis, cæteríſq; id genus quæ ad hominũ equorúmq; ſtructuram pertinent occupentur, non alienum cenſeri debet ſi huic militari diſciplinæ plurima liberalium & optimarũ artium ornamenta conſtituta quibus inhærendũ putem. Sit itaq; in primis literatus dux & ſaluberrima philoſophiæ præcepta æmuletur, hiſtorias multiplices memoriter complectatur: oratoriæ poëticæq; facultatis non ſit ignarus: Muſicæ, Arithmeticæ, Geometriæ, aſtrorum cœlíq; rationes pro facultate cognitas habeat: iuris ac legum diuerſarum gentium varietatem calleat, medendi cognitionem haud aſpernetur, gymnaſticæ & militari exercitationi ac otio bellicisq;, poſtremo rebus aliis ad laureas & triumphos tanquàm maximè neceſſariis totus incumbat: quæ cur ita ſint, ſeorſum hæ ſint cauſæ.

De literis hiſq; qui maximè earum ſtudijs incubuere, plurima memoratu digna, CAP. III

LITERATVM ducem eſſe oportet in primis & eruditum, vt diximus. Sunt enim literæ ad excolẽdam vitam & ad comparandam gloriam ſempiternâmq; rerum geſtarum memoriam propagãdam adiumẽtum ei maximum roburq; validiſſimum. Literaturam autẽ intelligo, non vulgarem, non craſſam, & barbaram iſtam qua vtũtur qui nũc in caſtris verſantur duces, ſed præclaram & accuratam illam cum rerũ multarum

rum ſcientia coniunctam. Nam neq; præcepta illorum, qui ſcripſerunt, nec eorum exempla de quibus ſcribitur ſatis intelliget qui non iſta fuerit eruditione perpolitus. Ad quam comparandam, quum diligentia noſtra maximè opus ſit & cura, quum incidant tempora nonnunquàm & horæ quibus ab huiuſmodi rebus bellicis vacare neceſſe ſit, quum non ſemper gerantur bella, & ſinguli dies ac noctes aliquid habeant intercapedinis, quo domi contineri & cum veteribus tuis amicis, id eſt, libris eſſe ſeorſum poſſis, ante omnia tinctum eſſe oportet ingenium & quaſi initiatum præceptoris optimi opera. Quod conſiderans Philippus, Macedonum Rex ſapientiſſimus, Alexandrum filium præ cęteris literarum inductoribus quibus eius curam demandauerat, Ariſtoteli ſummo id temporis philoſopho tradidit literis imbuendum, quo illam, quam modo dixi literaturæ & eruditionis excellentiam adipiſceretur: quod nec rex ille prudentiſſimus feciſſet, niſi forte ab Alexandro fratre Thebanis obſes datus triennio apud Epaminundam, ſtrenuiſſimum imperatorem et ſummum philoſophum eruditus eſſet, nec tantus philoſophus hoc ſibi munus ſuſcepiſſet ſi nō honeſtiſſimarū artiū ſemina ab optimo tractari præceptore debuiſſent: in qua re extat illius adhuc epiſtola ad Ariſtotelē, de Alexandro filio in hunc modū ſcripta.

Filium mihi genitum ſcito, quo equidē diis gratias habeo, non tam pindè quia natus eſt, q̄ pro eo quòd eū naſci contigit tēporibus vitæ tuæ. Spero enim fore vt educatus eruditusq; à te, dignus exiſtat et nobis et harū rerū ſuſceptione. O ſapientiſſimam et tanto principe dignam vocem, qui ita demum eum putauit dignum fore ſuſceptione regni, & tantarum rerum adminiſtratione, ſi literis & diſciplinis erudiretur, atq; planè ita fuit: ſuapte enim natura primum conuerſatione, deinde doctrina, & præceptis tanti philoſophi ornatus Rex ita egit, vt ipſe Deo genitus Deóq; ſimillimus crederetur. Ariſtotele enim primum exacta pueritia per quinquennium, et porrò Calliſthene vſus rhetoribus, orbem terrarum aggreſſus, innumeras hoſtium copias ac gentes expugnauit, & totum penè orbem ſuis victoriis illuſtrauit: cunq; ea tempeſtate armis exercitam communem prope Aſiam teneret, potentiſſimúmq; & Perſarum & Medorum regē Darium præliis & victoriis vrgeret, quāti literas & ipſe rex feciſſe, quantúmq; ornamenti illis poſuiſſe viſus eſt, ex his liquet inſpicere: in illis enim tātis negotiis literas ad Ariſtotelem miſit, quibus in hunc modum queſtus eſt,

Haud abs te rectè factū eſt, q; ſpeculatiuas edidiſti diſciplinas: qua eīm re cæteris iā nos ipſi p̄cellemus, ſi ea q̄bus eruditi ſumus ſtudia oībus cœperīt eſſe coīa? Quippè ego doctrina anteire malim, q̄ copiis atq; opulentiis. Cupidi ea fortaſſe vox & inuidi hominis ad vtilitatē ſuā omnia reuocātis, ſed ex hoc facilior eſt cōiectura quantū literis tribuerit, quippè qui cū cæteris rebus concertatores ineſſe ſibi non ęgrè ferret, in his ne æmulū quidē vellet habere. Quæ animi excolendi cura, quod ſtudium Antigono, præclaro etiā Macedonū regi fuerit, facile percipi poteſt ex Perſeo, Philonidéq; eius pręceptoribus, atq; ex his, vt refert Apollonius Tyrius, quę de Zenone ad eum in hunc modum conſcripta ſunt,

Antogonus rex Zenoni philoſopho ſalutem. Ego fortuna me quidem & gloria vitam tuam anteire exiſtimo, cæterum diſciplinis ſtudiisq; liberalibus

& perfecta fœlicitate quam tute possides, longê abs te præcelli sentio. Quocirca te orare statui vti ad me proficiscaris, id mihi persuadens, te preces meas minimè irritas fieri passurum. Tu igitur modis omnibus enitere vt tuo contubernio fruamur, hoc pro certo habens, te non mei tantum sed omnium simul Macedonũ eruditorem fore. Nam qui Macedoniæ regem erudit atq; ad virtutem imbuit, eum & subditos quosq; instruere ad fortitudinem & probitatem certũ est: nam cuiusmodi fuerit dux, tales vt plurimum subditos fieri necesse est: nec ab re, aliámq; ob causam, si principi literarũ Homero credimus, Peleum regem Achilli filio Phœnicem præfeciſſe ferunt, quàm vt attritus non solum dicendi, sed gerendi quoq; vsu, pariter inclareret clariórq; euaderet. Quid ille Themistocles, quem ego Graii sanguinis virorum clarissimum & vnum ex omnibus totius Græciæ callidissimum & prudentissimũ imperatorem ausim dicere? Nõne in disciplinis percipiẽdis præceptores habuit & eos quanquàm Anaxagoram & Melissum philosophum Emnistes Imbrotus affirmet, tamen temporum ratione diligenter inspecta qua illum errasse constat, Mnesiphilo assentiendum magis videtur, quippe qui eum Phrearei discipulum fuisse asseueret, ad eam solum eruditionem quam bellicæ rei facultatem dicimus capessendam, quanquàm naturæ bonitate fidens prius ipse contempserat? Dionem Syracusanum omni disciplinarum genere erudiuit Plato, cuius quãto deinde studio Dyonisius iunior ad se flagitarit aduentum, quantíq; eum fecerit, vtpote qui illo tempore plus cæteris amauerit Architæ Pythagorei scripta, ad eum demonstrat epistola. Valuit etiam apud veteres diu eiusdem Platonis sententia, qui tum demiq; res publicas censuit fore beatas, si aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur. Nec Isocrates aliis artibus Timotheum Cononis præstantissimi imperatoris filium, summum ipsum imperatorem, hominémq; doctissimum instruxit. Quid ipsius Epaminundę summi philosophi summíq; ducis eruditio, quam in eo præcipuam fuisse accepimus? nonne ea quoq; in Lysiam Pythagoreum refertur? Archelaum prudentem rei bellicæ naualiúmq; commentorem príoriũ, adeò literarum studiis inhęrentem nouimus, vt Euripidi Tragico consiliorum summam crederèt omnem, cuius suprema haud prosequi contẽtus rex & sumptu & impensa funeris, secta barba & attõso crine mœrorem quem animo ingentem conceperat vultu publicauit. Pyrrhum quoq; Epirotarum regem maximum bello, non solum lectitasse libros cum esset rex, verumetiam multa literis demandasse rei militaris præcepta nouimus. Pœnorum dux inclytus Hannibal, vir tantus tantisq; confractus bellis, nonnihil temporis etiam literis tribuisse dicitur cum esset in castris: quippe qui præter Sylenum Sosylao Lacedęmonio literarum græcarum vsus est doctore. Tradunt & Musas virgines cum Libero patre profectas in castra, hisq; cũ bonis artibus apprimè eruditæ essent dux ille oblectabatur: secutus est eum Sylenus quoque pædagogus ac nutritor optimarumq; institutor studiorum, qui ei plurimum ob virtutẽ ac gloriã resq; bellicas contulit ornamenti. Nec admiraberis Mithridatem Ponti regem, clarissimúmq; ducem annos duos & septuaginta natum secũ philosophos omnes immensæ sublimitatis semper habentem, omniúmque ante se genitorum

studia

ſtudia literarũ ęquantem facile vel ſuperantem. Latini verò duces vel Romanorum proceres etſi non ſint eruditione exteris forſan pares, omnes tamen fere docti & literis clari euaſere. Nam Cato primus Porciæ gentis animi vigore præſtantiſſimus, literis etiam expoliri præſtantiſſimum cenſuit, quàm ſerò, inde exiſtimari poteſt, ꝙ latinis iàm pridem, ab Q. Ennio verò iam ſenex & in Sardinia Prætor græcis literis eruditus eſt, adeóꝙ vt probabilis priſca illa eloquentia, non ſolum orator & hiſtoricus, ſed iuris conſultiſſimus, literarúmꝙ omniũ cupidiſſimus fuerit, quarũ & ſi ſenior (vt ante diximus) ſtudium arripuit, tantũ tamen in eo progreſſus eſt vt non facile reperiri queat, neꝙ græcarum neꝙ latinarum rerum quidpiam, quod ei fuerit incognitum: Huius quoꝙ ſucceſſor ac propior ætati noſtræ alius Cato, in literis diſciplinisꝙ percipiendis tardior licet eſſet, Saperdone tamen pædagogo primũ & Antipatro philoſopho ac Tyrio excultus, deinde tam inexhauſta legendi auiditate ferebatur, vt veluti librorũ helluo maximè Stoicorum nedum inter domeſticos & priuatos parietes, ſed ne in curia quidem contra inanem vulgi opinionem quum Senatus cogeretur ſedens ſeſe contineret quominus obuoluta circùm toga eos lectitaret ad animi cultum, quaſi quendam humanitatis cibum, nihil ſtudio rei publicæ adimens: & Scipionem Aphricanũ ſuperiorem à re militari atꝙ vrbana ſtudium ad literas reuocantem legimus, & quanquàm ingenii eius monumenta nulla extent, nulla literis mandata inueniantur, non tamen ſine literis Pieriiſꝙ artibus arma exercuiſſe ſcimus: ſemper enim eius, vt poëta Claudianus meminit,

Hærebat doctus lateri, caſtriſꝙ ſolebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas,

quúmque fœlicibus auſpiciis victor rediens ſubacta Carthagine triumpharet, ſicut ſuum bellica, ita Ennii caput Martia voluit laurea inſigniri: & quod maius mirabiliusꝙ fatebere, ipſius poëtæ ſtatuam & effigiem in monumẽtis & ſepulchris Corneliæ gentis collocari, clarumꝙ illud nomen, imò verò ſpolium ex tertia orbis parte raptum in itinere cum poëtæ titulo legi, ratus rerum ſuarum memoriam extingui non poſſe, ſi literarum illius diuini poëtæ lumen accederet. Paulus Aemilius deuicto Perſe, Romana diſciplina qua ipſe doctus erat, vt filii etiam imbuerentur ſummopere curauit: quúmꝙ ob rem ipſam petiiſſet ab Athenienſibus vti ſibi quàm probatiſſimum philoſophum mitterent ad erudiendos liberos, victorem item ad triumphum exequendum, Athenienſes Metrodorum elegerunt, profeſſi eundem in vtroꝙ deſiderio præſtantiſſimum, qđ ita Paulus quoꝙ iudicauit: neꝙ hoc contentus Paulus, quum quid ocii ex publicis muneribus ſupereſſet, eorum eruditioni intererat, miro erga filiorum eruditionem amore ſuccenſus. Nullum à ſtudiis literarum diem intermiſiſſe Iuliũ Cæſarẽ traditur, quem poëtarum collegium communium ſtudiorum cauſa cũ per ocium liceret ingredientem, & in maxima difficultate itinerum, & in mediis bellorum æſtibus ſcribentem libros & legentem, ſimulꝙ dictantem & audientem frequenter accepimus. Diuus Cæſar Auguſtus, Diui Iulii filius, tanto paternis veſtigiis ſtudio inhæſiſſe traditur, vt grauiſſimis bellorum & imperii curis oppreſſus, & coniuratorum obſeſſus inſidiis, horas & momenta colligeret

geret, nec vllum tempus inutiliter labi fineret, Apollodoro Pergameo dicendi magiſtro vſus: nec eo contentus, ad diuerſa literarum ſtudia ineunda, præter Sperareum philoſophum & Aſinium Pollionem, Valerium Meſſalam, Pariumq; geminum clariſſimos dicendi artifices, Virgilium Maronem & plæroſq; alios illius temporis poëtas habuit ſecum, non tam imperio q̃ dulci conuictu & morum comitate à ſodalitio in omni vita comites, Horatium Flaccum in primis, vt ad Iulium Florum de ſe taliter ſcribentem legimus,

Ciuiliſq; rudem belli tulit æſtus in arma
Cæſaris Auguſti non reſponſura lacertis.
Vnde ſimul primum me dimiſere Philippi,
Deciſis humilem pennis inopemq; paterni
Et laris & fundi paupertas impulit audax
Vt verſus facerem.

Ouidium nec minus deinde, qui hæc ait,

Illa dies libycis qua victor Cęſar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Iubæ,
Dux mihi Cæſar erat ſub quo meruiſſe tribunus
Glorior, officio præfuit ille meo.
Hanc ego militia ſedem, tu pace paraſti
Inter biſquinos vſus honore viros.

Quanquàm hunc ſuo indignum contubernio tandem vindicãs, in Scythiam vbi diem obiit relegauit, cuius relegationis aſperitatẽ diuturnitatémq; his verbis ſuis queſtus eſt,

In Scythia nobis quinquẽnis olympias acta eſt,
Iam tempus luſtri tranſit & alterius.
Perſtat enim fortuna tenax votiſq; malignum
Oppoſuit noſtris inuidioſa pedem.

Ex his autem vtriuſque linguæ auctoribus, quos ſtudioſius Auguſtus lectitabat, illa cupidus hauriebat, quæ vel præcepto vel exemplo ad eruditionem vitę morũmq; elegantiam pertinerent priuatæ vel publicæ diſciplinæ. Hæc & memoriter annotata tenens, quum res exigeret, vel amicos, vel notos exercitus, vel prouinciales aut vrbanos magiſtratus, tali annotatione ad verbum excerpta commonefacere ſolebat, vt ea nõ ſibi primũ ſed antiquis iam tunc curæ fuiſſe perſuaderet: id deniq; ex talium auctorũ eruditorumq; hominum ingeniis vno tempore confluentibus aſſecutus, vt non minus his quàm omnibus Romanis legionibus illuſtratus ſit. Nam quid tantum ſibi conferre potuerunt quinq; & triginta illæ tribus Romani populi, vel tot bellicoſiſſimę legiones, quantum vel Maro ſolus heroico, vel Flaccus heroico ſimul & lyrico carmine contulit ad nominis ſui diuturnitatẽ? Interiere illæ quidẽ cum duce ſuo, cæterum tantorum poëtarum præconio eius res clariſſimæ geſtæ nunquàm defuturæ ſuperſunt. Fuit in Lucullo mirabilis quædam ingenii præcellentia, maxima literarũ totiusq; veteris Academicæ philoſophiæ cognitio ac elegans dicẽdi copia, qui & Aſcolonitam Antiochum acutiſſimũ doctiſſimũq; dicendi artificẽ amicum

ſibi

ſibi ſociûmq; vitæ fecerit. Simili quoq; ardore P. Craſſus in caſtrenſi expeditione quum in Aſiam ad Ariſtonicum regem debellãdum conſul traieciſſet, tantus pręter latinam graiæ linguæ ardor inſediſſe perhibetur, vt eam in plurima diuiſam genera per ſingulas partes eius ac numeros penitus cognoſceret, quæ res maximum ei omnium amorem conciliauit. Nec Syllam illum beatum atq; fœlicem, nec Pompeium quidẽ magnum imp. nec Q. Fabium, nec M. Brutum, nec Traianum, nec Adrianum, nec Maximum, nec M. deniq; Antonium Aurelium qui ob literarum ſapientiæq; ſtudium & ardorem philoſophus dictus eſt, ab hac egregia literarum cognitione alienos fuiſſe comperio, quum & orationes & epiſtolas & libros ſcripſiſſe memoriæ proditum ſit. In maximam quoq; & ampliſſimam tui nominis laudem cedit, magnanime princeps Sigiſmunde, multum lectitare, multum audire, diſputare, patienterq; refelli: quúmq; plurima ſcias & omnia bonarũ artium ſemina cælitus tibi conceſſa communis omnium eruditorum teneat opinio, quotidie tamen aliquid diſcere nonnullis horis liberis, ſapientûmq; colloquiis inſiſtere in conuiuiis publicis & priuatis, grauiſſimis ac profundiſſimis rerum naturaliũ quæſtionibus & rationibus oblectari, ingeniis illuſtribus oratorum & poëtarum tui temporis fauere, copiis & honoribus illuſtrare, ſacras ædes inſtaurare, bibliothecáſq; nonas maximis impenſis tuis illis erigere: data mihi ac pleriſq; aliis librorum perquirendorum facultate, nõ ætati tuæ ſolum, verum poſteritati profutura: quo quid melius, quid ſummo duce ac principe ad immortalitatẽ dignius eſſe queat, nec ſcio nec ſatis intelligo: maximè quum ea tria hac in iuueuili ætate tua adeptus videare, quæ multis ſenio denegata ſunt, vel gerẽdo ſcilicet aliquid magnum & illuſtre quod de te ſcribant auctores idonei, quod plerique tam poëtæ, q̃ oratores & hiſtorici faciunt: vel ſcribendo aliquid, quod legant poſteri, qualia ſunt plurima materna humanarum diuinarumq; rerũ carmina elegantiſſimè per te edita, & multis iam oris ac variis regionibus decantata: vel inſigne aliquod opus extruendo erigẽdoq;, veluti arx nobilis ſiue maius caſtellum tui nominis, eo aſtu militari & arte bellica præcellens vt eius pulchritudo, ſitus atq; diſpoſitio non ciuium modo ſed omnium oculos intuẽtium in ſemet haud immerito alliciat atq; perſtringat: campi enim planicies vndiq; eſt perſpicua, loci ſpecies mœnibus paribus. Primò verſus vrbẽ ambitu hemicycli formam habens, promuralis eius vix credibilis relatu profunditas, quæ pyramidum inſtar procliuis à fundamentis erigitur, ampliſſima latitudine ad ſummitatẽ altitudine pedum quinquaginta, feneſtris centũ ſexaginta ſupra terram, totidemq; infra ex ordine per interualla quædam dimiſſis, vbi baliſtæ lapidum ac ſagittarum ad propulſandos hoſtiles impetus ac omnem inteſtinam ſeditionem, ſi quando cõtingerent collocentur. Faſtigii autem ſpatium craſſitudoq; tanta, vt plures occurrentes ſeſe minime impediant, foſſa prima interiorq; quam perennis fontis aqua interluit, centum pedum latitudine, quinq; & triginta eoq; amplius altitudine. Totius molis ambitus qui coctili laterculo & perpolito eſt lapide trecentos quinquaginta paſſus per vniuerſum complectitur ſpatium: ex altera parte & poſtrema quæ vergit in quadrum, pomerium & murus communis vrbis eſt duplici ponte ac turris latitudine

titudine ſupra quàm cuiquam crèdibile ſit,ad eius tutelam cum magnis propugnaculis & crate ferrea,area interius ampliſsima & puteo vtrinq; mirabili habitationũ ſerie ſuoq; cuſtode diſtincta,à fronte vrbẽ ipſam proſpicit, primóq; in veſtibulo vallum cuſtodibus munitum porta perexigua,duabus deinde latiſſimis ſupra foſſam turribus,parum de induſtria editis,viridi prima puniceo colore,altera ligneo ponte gemino verſatili ac penſili: hoc tranſgreſſo,ſpatiũ & area quędam molẽ totam ambiẽs ineſt quæ terra ad primi muri firmitatẽ egeſta oppletur. Alterius deĩde muri altitudo lv,latitudo verò viginti pedũ eminet ſpatio: Turres ſex octoginta pedũ altitudine,à fũdamẽtis latiſsimis ad ſummũ penè faſtigiũ terra oppletę, vndeuiginti vlnis q̃ murus iſte altiores ſunt. In ſummo autẽ cõſummationeq; cuiuſlibet turris pedũ latitudo decẽ & quinq;,vbi ab omniũ turrium latere habitacula defenſorum, octo feneſtris ad baliſtas ſimili modo lapidũ ſagittarũq; ſexdecim æque diſpoſita ſunt. Huius autem muri mediũ à dextris occupat lapis quadrato marmore ornatiſsimus,qui vt carmẽ literis aureis inciſum indicat,Sigiſmundum Pandulphum totius molis auctorem celebrat: porta deĩde præluſtris ad lævam paulo ingredientibus cernitur,marmore cælato ac præclaro artificio ad vnguem expolita,& in cuius ſũmo elephãtus ex alabaſtrite indico,antiquiſſimũ Malateſtarũ inſigne auro plurimo & auctoris ſui Sigiſmundi Pandulphi nomine maiuſculis quibuſdã literis præfulgens circũſeptus eſt. Media autem loci totius intercapedine murus quidã medius arcem geminóſq; eius cuſtodes,area etiam ſua,puteo & fabrili domo diſcriminat, penes quẽ ſublimis regia tua eſt non æque quadrilatera baſi à fũdamentis q̃ latiſsima ,triplici portarũ obice cataractis imminẽtibus,minis ac propugnaculis minitantibus,ſuo cuſtode,multiplici habitatione,puteo profundiſſimo ornatiſſima,ad aſcendendum cochlea,armamentario omni telorum & tormentorum genere referto minaci proceritate mirabilis,vtpote quæ altiſſimorum cacumina mõtium ſuperet ac maris æquora late proſpiciat, Præterire deniq; nequeo quod ab initio inſtitueram,quum ſit non Arimineæ tantum vrbis & arcis firmiſſima ſalus & tutela,ſed Italicæ magnificentiæ vera admiratio,tota nanque moles penſilis quum ſit plurimos aditus atque receſſus habens,& à quibus armati exercitus vrbem verſus, per abditos ſpecus educi poſſunt, nullo incolentium ciuium percipiente, quóque ab omni externa oppugnatione inteſtináque iniuria eſſe queat immunis, altera aqua extrinſecus latè patens inſtar ſimiliter amnis irrigua circumfluit foſſa, magnæ mentis & præcellentis ingenii opus ſanè: vtrinque enim per ambitum latiſsimis eſt firmiſsima muris cum propugnaculis & aggeribus: denſiſsimis deinde turribus à fundamentis erecta, anguſtíſque vt ſuprà munita feneſtris, aqua ac terra tenus cum defenſorum habitaculis, paruis machinis ac ſagittariis æquè diſpoſitis, tanta firmitate tam mirifica vtriuſque foſſæ interſtitii, habitationum diſpoſitione ad peditatum omnem equitatúmque continendum vt diſſoluere eam nec crebri arietum impulſus queant, nec metallicæ vis vlla machinæ poſſit diruere, incertúmque munimentum loci huius nẽ totius, an pulchritudo plus admirationis apud homines ſit habitura. Taceo ſacras celebréſque Deo di-

catas

dicatas ędes,prætereo fortunæ fanum,ſcenam gallicam, cæteráſq; per te inſtauratas vrbes,erecta oppida,conſtructas arces, ſexcentáq; id genus nomẽ tuum literis oſtẽdentia,qua vna in re ſi te cęteris huiuſce ætatis principibus cõferamus & regibus,omni genere laudis excellere iure ipſo prædicaberis: maximè quum hæc quidem alus latiſſimis defixa radicibus innitatur,& ſolida adeò ſtabiliſq; ſit & infinita ſęcula duratura vt nec vetuſtate corrũpi poſsit nec ex memoria hominũ obliuione deleri. Quàm laudabilis igitur et imitatione digna tui & horũ quos modo diximus principũ vitę inſtitutio ,q prima vitę tẽpora & media patriæ,extrema verò ſibi imperent vt ipſe leges monẽt quę maiorẽ annis ocio reddunt, q̃ Licini Domitianiq; Cæſaris & aliorum quorundam improbanda deteſtandáq;,quos fortuna opibus,loco, imaginum domeſticarum ſplendore ac dignitate cęteris prędecit,econtra verò ipſi vitio ſuo,libidine,ignauia,turpiq; ocio inquinati excidere? Ille enim literas vomicam, virus ac peſtem publicam appellare ſolitus erat : Alterum quum ſacietas hominum aut honeſti cuiuſpiam negotii aliquãdo odium occepiſſet velletq; illam expuere curam & ſolicitudinẽ ex animo,& voluptate aliqua refici,incomitatum ſe intra regios parietes ſingulis diebus recipiẽtem clauſis foribus nihil aliud amplius quàm muſcas càptantem acutiſsimoq; ſtilo præfigentem accepimus. Sed origo illum ruſtica forſan excuſat: etſi enim ad cæſareum vſq; nomen aſcenderit, naturam tamen ſubruſticam & agreſtem haudquaq̃ exuerat. Verum enim eſt illud Flacci , Fortuna non mutat genus . Huius verò tam fœdo ſtudio, tam abominandæ occupationi & ſui principatus initis quibus is delectabatur aucupiis venia fortaſſe danda eſſet, modo temporis reliquum claris actionibus conſumpſiſſet,nec exoſum ex tetris facinoribus maiore odio q̃ ex hoc ridiculo negotio nominandum ſe poſteris præſtitiſſet: Quid plura? Nullum denique Romanum ferè imperatorẽ qui cęteris omnibus exemplo ſit,præter Cn. Marium vnum,ſiue M. Marcellum huius egregiæ literaturæ expertes fuiſſe comperies , quiq; literarum ſtudia ſaltem præter hunc vnum quem paulò ante diximus Licinum non probarint,nõ admirati ac ſummo quodam ſtudio proſecuti ſint. Obſtrepant vt libet & irrideant alii , noſtri temporis duces, noſtriq; reges & principes qui virtuti bellum ac literis indicunt, ſimulatóq; contemptu vel ingenii tarditatem vel ſegniciem ſuam ac ſocordiam tegunt: Audacter tecum dixerim,Sigiſmunde ſupellex regia & auguſta & ornamenta ducum , & principum erant olim libri & literæ. Vnde illud Piſiſtrati probatur ab omnibus qui Athenienſiũ tyrannus quum eſſet,hanc diuinam librorum ſupellectilem ciuibus ſuis primus ad legendũ inuulgaſſe publicéq; præbuiſſe dictus eſt: quos deinceps accuratius eorum numero ab Athenienſibus aucto, Xerxes Athenarum vrbe potitus abſtulit aſportariq; iuſſit in Perſas quosq; itidẽ multis poſt ſæculis interiectis Seleucus rex hic et Nicanor dictus in Græciã,inq; ipſam Atheniẽſiũ vrbẽ vti condignũ fuit rurſus cenſuit reportãdos: increbuitq; ſic cura & voluptas quædã permultis cogẽdi in vnum volumina diuerſarũ gentiũ diuerſarũq; artiũ, vt Alexander & ei qui ſucceſſere in cõficiendis bibliothecis animũ intẽderent,Sic magnus atq; ingens poſtea librorũ numerus ac penè incredibilis in Aegypto cõquiſitus atq; cõfectus eſt: ad

est: ad quadraginta enim vel vt alibi reperio quadringenta, vt Orosio & Senecæ septingẽta fermè, vt Gellio & Amiano Marcellino placet septingẽta voluminũ milia Ptolomæis regibus vigiliis intẽtis cõposita bello priore Alexãdrino dum diripitur ciuitas dictatore Cæsare à militibus fortè auxiliariis incensa classe, flã ma partem vrbis inuadente, qua tum singulare profecto monumẽtum curæ stu diiq; maiorum condebatur conflagrasse produntur: quod elegantiæ regum cu ræq; opus egregium fuisse ait Liuius, quem Seneca carpit: non id elegantiæ cu ræq; regiæ opus dicens sed studiosæ luxuriæ, immò ne id quidem, sed se ipsum conquisitis spectaculis inaniter ostentãtis & Liuii tamen dictum & Ptolomæi factum vtcumq; forsan regiæ opes excusant, & in longum publicis vsibus pro-spiciens primum, ac consulens immortalitati tantorum virorum in hoc tamen certe laude dignissimus q; sacras literas non vtiles modo sed necessarias summa diligẽtia atq; impensa per lectos ad tantũ opus viros in græcam linguam ex he bræo fonte transfudit. Parem curam & studium cogendorum simul librorum secuti sunt ex ducibus primoribusq; vrbis Romę plures, eorũq; primus Aemi-lius Paulus Imp. Perse, potentissimo Macedonũ rege deuicto. Dehinc Lucullus è pontica præda: post hos Iulius Cæsar dato M. Varroni negocio bibliothecas vtriusq; linguæ q̃ maximas posset comparandi, dirigendi, publicandiq;. Proba tur quoq; in hoc Domitianus qui liberalia studia licet imperii initio neglexe-rit, bibliothecas tamẽ incendio absumptas reperare curasset exẽplaribus vndiq; petitis missísque Alexandriam qui describerent emẽdarẽntque. Tollitur in cœ lum præ cæteris & Asinii Pollionis Romæ simile inuentum, qui primus bibli othecas græcas simul atq; latinas additis auctorũ imaginibus dicendo ingenia hominum, R. P, fecit: quæ an priores & maiore librorũ copia inibi fuerint an Alexandrię et Pergami, qui bibliothecas magno certamine instituere, nõ facile dixerim. De priuatis ausim dicere, non regios huiusmodi apparatus, sed alios æquantibus facile vel superãtibus: Sereno quidem Samonico, ingenti doctrina viro, sed maiore cura pulcherrimarum literarum multorumq; voluminũ, duo & sexaginta milia librorum fuisse legimus: quos omnes Gordiano iuniori cu ius patri fuisset amicissimus ille moriẽs reliquit: nobilem sane thesaurũ & prę-claram generosi animi & humani generis hæreditatem. Hanc igitur græcarum ac latinarum literarũ copiam diuinamq; librorum supellectilem atq; peritiam, tanquã maximum absolutissimumq; mortalibus bonum summo opere perqui rendam in delitiisq; habendam futuris ducibus ac imperatoribus censeo: in-terdumq; Corn. Cælso assentiri cogor, q̃ ait summum bonum sapientiam: sum mum autem malum, dolorem corporis: quum nec eius ratio mihi videatur ab-surda. Nam quoniam duabus inquit partibus constamus, animo scilicet & cor pore: quarum prior, melior: deterius, corpus est: summum bonum est, melioris partis optimum: summum autem malum est, pessimum deterioris. Est autem optimum in animo sapientia, est in corpore pessimum dolor: vt igitur summũ malum dolere, sic summum hominis bonum sapere, vt opinor, sine vlla dubitati one concluditur: q; si qui illam assequi poterũt, non ad ostentationẽ, sed ad de-cus, dignitatem, ad commodum ac patriæ vtilitatem, hi mihi videntur fœlicita

tem ac

tem ac beatitudinem facile posse contingere. Alia enim bona humana si cũ hoc conferantur, parua ea sunt quidem & exigua & ab huius q̃ longissimè dignitate præstantiaq; remota. Præclarum quiddam scio dices, Sigismunde, est multis imperio eminere, sed speciosa magis q̃ tranquilla imperii facies est, & qua nulla curiosior, nulla minus libera: immo nulla magis seruà, vt Senecæ placet, conditio est. Gladiis enim ceruicibus appẽdentibus, imminẽt hastæ vndiq; & spicula, ipsi custodes timentur & comites, nihil non ausuri, ira illos vel inopia vel auaritia militari ad quæuis facinora facile iritante. Sic Pertinax non ab alio q̃ a suis militibus interfectus est, sic postmodũ duo Maximini pater & filius, sic Balbinus & Maximus, sic Probus dux clarissimus, sic Gratianus & Valentinianus iunior optimi fratres: ille à suis legionibus, hic à suo comite proditus: sic innumerabiles alii a suis hostibus inuicti, suis exercitibus periere: & quos milites, socios ac comites appellabant, inuenere carnifices. Adde q; omnis ætas in imperio reprehẽditur: senex enim quisq; inhabilis videtur, iuueni quoq; additur & furor. Pulchra est generis dignitas, sed quid aliud q̃ quædam ex progenitorum meritis ꝓueniens laus videtur? pretiosæ diuitiæ, sed externa rapacis fortunæ munera, quæ dum quæruntur cruciant: parta, oblectando molliunt, cupidinẽmq; succẽdũt: quæ illa pro sua libidine perturbat atq; permiscet, cui videtur tradit, aufert habentibus: & rursum quum visum fuerit, non sperantibus reddit, eorúmq; bonos simul & malos sine vllo discrimine atq; delectu participes fieri sinit. Illustrissima rerúmque omnium blandissima est gloria, sed instabilis & periculis multis obnoxia, vtpote quæ sæpius fortunæ q̃ virtutis est beneficium: qua & nihil inanius esse Theophrastus dixit, nihil pernitiosius Satyricus: patriam nãq; obruit olim gloria paucorũ et laudis tituliq; cupido. Formæ dignitas grata est, sed vel fragile bonum vel nulla potentia formæ est, inquit Naso, quam & alienum quoque bonum Bion, deceptionem tacitam Theophrastus, modici verò temporis tyrannidem appellauit Socrates, naturæ ptiuilegium Plato, regnum solitarium Carneades, eburneum detrimentum Theocritus, vitæ flosculũ celeriter decidẽtẽ Satyricus, festinat inquit, decurrere velox Flosculus angustę miserę; breuissima vitæ Portio, dum bibimus, dum serta, vngnenta, puellas Poscimus, obrepit non intellecta senectus. Iocunda valitudo. Sed inconsulta iocunditas quæ negligentes & incautos ferre soleat possessores, & persæpe morbos accersere quos malæ valitudinis intentio declinasset. Optabile robur: at nullę tantum corporis vires quę vel labore immodico vel morbo acri vel cuncta rodente senio non frangantur, non conficiantur. Sic Herculem domitorem gentium ab hominibus inuictũ, vis latentis mali vicit. Sic Milonem Crotonienſem, athletam illustrem patulis in parte media hiscens ramis arbor vna detinuit, dilacerandúmq; hominem feris præbuit. Literarum autem & humanarum rerum disciplina cum virtute coniuncta, hæc omnia declinare & effugere posse videtur incommoda. Hanc enim non casus, nec fortuna violare nec calumnia auferre, nec morbus corrũpere, nec ferrum minuere, nec labefactare senectus potest: Immo quum cætera tempori cedant, sola hæc literarũ monumenta, tẽporis diuturnitate pubescunt.

ROBERTI VALTVRII
DE RE MILITARI LIBER SECVNDVS.

Quòd maximos huic disciplinæ fructus afferat philosophiæ & historiarum cognitio, quòdq; maximi duces historiam scripsere.

Vlta igitur literarum studia quum sint, vt antè diximus, Imperator inuicte Sigismunde Pandulphe, quæ summum decus & ornamentum ducibus queant afferre, erit & in re hac illa præpollens philosophiæ tum historiarum omnis æui summopere peroptanda cognitio: nam quicq; docti & excellẽtes viri qui vsq; sunt grauiter ac peritè locuti, omnem viuendi rationem ita distribuunt, vt pars altera sit in præceptis & institutis, pars altera in historiis collocata. Illa enim viuendi rationem & legem quum præ se ferat tradátque hominum officia, quid sit honestũ, quid turpe, quid vtile, quid quemq; deceat, quid non & cætera quidem acri ingenio excogitata in medium afferat, cum tamen per sese explicantur, segnius legentium animos iritant factúque quodam modo incredibilia iudicantur, vbi verò præclara rerum ac temporum testis accedit historia, faces quasdam ac stimulos sic comparat vt obscurum haud sit mentes hominum ita tepescentium, clarissimorum facinorum memoria ad gloriæ et immortalitatis studium vehementer accendi: quod genus Pythagoræ, Democriti, Platonis & Aristotelis cæterorúmque philosophorum præcepta iubent vt acerbissimos cruciatus & maxima vitæ discrimina ineamus, vt fidem iureiurando hostibus datam non fallamus, vt coniunctiones pactionésque bellicas & hostiles non perturbemus, eorum quidem probabitur oratio, ad rem autẽ proficiscentibus torpebit animus, phorrescet cadétque: quòd si L. Bruti facinus in expellendo Tarquinio, aut Scipionis Nasicæ inuicti animi magnitudinem & robur contra Tyberium Gracchum, aut M. Attilium Regulum, Cassium Sceuam Centurionem, Attilium militem, aut L. Sicinium Dentatum, plebeium Tribunum, vel Cynegirum quempiam ex historiarũ monumentis quasi testes adduxeris, quis est adeò vecors, adeò exanimis vt eorum exemplis non excitetur, non animetur, non impellatur ad patriæ incolumitatem, ad sui suorúmque salutem vindicandam, conseruandam, discrimina mortésque pro nihilo ducat. Sic enim Mylciadis trophæa somnos eripuisse Themistocli, sic alii sunt ad imitandos præstantissimos duces Alexandros, Scipiones, Fabios, Catones, Regulos, Cursores, Valerios, Marcellos, Aemilios, Cæsares denique ac reliquos innumerabiles crebro rumore virtutum suarum incredibili ardore compulsi. Porrò si aliam historiæ vim libet inspicere, reperiemus eã non minimam nec mediocrem ducibus in consultando auctoritatẽ, & in gerendo peritiam accommodare posse: quòd si veterum res gestas memoria repetamus, inueniamúsq; maximas res publicas, præcellentissima regna, potentissimos diuersarum gẽtium populos, grauissimo senum adoleuisse floruissèque consilio, & hi temporum diuturnitate, multarũ gentium vertigine & experientia multa sciisse, permulta vidisse credentur

rentur,quanti faciemus totius antiquitatis ſtudioſos homines atq; peritos,quibus non vnius ſenatus & imperii, neq; vnius ætatis, ſed omniũ penè gentium omniumq; ſæculorum res,vitæ cognitæq; ſint? quæ omnia Cicero noſter hiſtoriam deſcribens,paucis & his quidem verbis expreſſit, Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis,memoriæ vita,magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis. Ex qua deſcriptione,temporum rationes,hominum res geſtas,vniuſcuiuſque vitam,naturam, formam,cogitatus,conſilia, mores, naturæ inſolita opera,fortunæque inſperatos euentus accipies: hac in re aderit quoque ſcriptorum genus, quaſi caſtrenſe,egregiũ ſanè atque præcellens, quos ad pacis vſum bellique tempora legere atq; manu verſare operæ pretium ſit: Verum apud exteros quidem Herodotus ille imprimis atque Thucydides: ille enim Perſico bello merens,quo tempore Xerxes in Græciam duxit exercitum,quantũ hoc dicendi genere valuerit, eius hiſtoria elegantiſſime ſcripta declarat: Hic verò non ſecus cum in re bellica aliquandiu verſatus eſſet, tandem ſe contulit ad ſcribendam hiſtoriam, in qua ita claruit vt cum eius fama in bello non obſcura eſſet, maiorem ex eo ſtudio q̃ ex armis ſibi laudem et gloriam cõpararet. Idem etiam de Timotheo Cononis filio liceret dicere,qui quum ſummus Imperator fuiſſet, elegantiſsime ꝓſcripſit hiſtoriam,& quod magis ſcio admirabere,ſi Probum non legeris,Hannibal Pœnorum dux inclytus,tot tãtiſq; bellis implicitus,de Cn. Manilii Volonis rebus in Aſia geſtis nonnulla ocii, ſolitudinis, & ingenii ſui græcis literis monumenta reliquit. Ioſephus hebræus genere,& Galilæorum dux à Veſpaſiano captus Titóque filio eius relictus, Hieroſolymis Romã veniens,nonne bellum quod cum Romanis geſſere Iudæi omnium maximum atrociſsimúmque, ſeptem libris digeſtum, patri filióque imperatoribus obtulit ſtatuámque ꝓmeruit? Mitto alios antiquitatum libros ab exordio mundi ad quartũdecimum vſque Domitiani Cæſaris annum,ab eo quoq; quorundam ſententia ita vti ſunt apud nos latinis literis & orationis venuſtate conſcriptos: ſunt qui eum ſcripſiſſe literis græcis putent,poſtea vero in latinum verſos illos è græco,quidam à Ruffino Aquilegienſi,aliíque ab aliis traductos malint. Ex noſtris quoque ducibus nonnullis cum militaſſent hoc idem quod externis propoſitum fuit,vt nec in armis ætatem totam contererent, verum ab negotio caſtrẽſi ad hiſtoricum ocium, & ab hiſtorico ad caſtrenſe aliquando ſe mutuò conferrent. Vnde M. Porcius Cato quem honoris ac differentiæ cauſa,modò priſcum,modò ſuperiorem,aliquando maiorem, ſæpe familiæ Porciæ principem, plerumque Cenſorinum docti vocant,Originum libros ſcripſit,egregium quidem opus atque diffuſum,& in quo ſi vſquam alibi hiſtoriæ plurimæ & antiquitatis monumenta extant,eiuſce rei ſeptẽ ſunt libri cõſcripti,ſed primus quæ ſint Romanis à regibus res geſtæ cõtinet, ſecũdus et tertius cuiuſque ciuitatis Italicæ cõditorẽ,ortũ & originem, quamobrem Originũ libros inſcripſiſſe viſus eſt: quartus bellum primum Carthaginenſe,quintus ſecundum, terribile atque memorandũ quod Hannibale duce cum Po. Ro Carthago ſubiit. Quæ autem ſunt eo ſuperſtite bella deinde confecta,ſextus & ſeptimus vſque ad præturam Sergii Galbæ referunt, expoſitis etiam in Italia & Hiſpania quæ aut eſſent aut viderentur

admiratione digniſsima. Nobilem deinde ducem Q. Fabium, qui etiam romanæ hiſtoriæ ſcriptor eſt & cuius orationes Thucydidis orationibus q̃ ſimiles fuiſſe aſſerunt, miris in cœlum laudibus ſuperior tollit ętas, quanquam ex pictura magis q̃ ex literatura nomen inuenerit. Conſimili ratione Syllam Luculli res clariſsime geſtas, memoriæ hominum demandantem accepimus, & ad eum ipſum qui commentariis maiore quodam orationis cultu & ſplendore eam ipſam hiſtoriam expolire potuiſſet. Magna etiam huiuſce rei D. Iulii Cæſaris inter cæteros acta cura eſt, in ſcribendis ſiquidem Gallici ciuiliſq; belli Pompeiani commentariis (ſic enim libros ſuos appellauit) hanc diligentiam adhibuit vt ſingulis libris ſingulorum annorũ res geſtas colligeret: libros igitur ſeptem de bello Gallico & tres de ciuili Pompeiano ſcripſit, ſuperioribus autem octauum poſt eum necatum addidit Hirtius. Is namq; libro vno quæ deerant de bello Gallico ad finem cum integritate ſuppleuit: poſtremo libri ſunt tres de Alexandrino, de Aphricano, de Hiſpanienſi bello ſcripti, horum auctorem Suetonius qui antiquus & nobilis eſt ſcriptor, eſſe incertum refert, quòd eos ſcriptos alii ab Hirtio alii ab Oppio eſſe putent: Hirtius autem in ſuo octauo qui eſt vt dixi de bello Gallico ita præfatur, quòd iſti etiam tres de bellis quæ in Alexandria deinde geſsit Cæſar ſcripti ab eo haud dubiè videantur: quæ hoc in loco à me dicta ſint vt vera ac teſtimonio Hirtii & Suetonii approbantur, inſcriptiones tamen ſolent memini quædam haud minus falſæ q̃ variæ inueniri, q; aliqui Iulio Cæſari, quidam Iulio Cælſo, nonnulli Hirtio, multi Suetonio non iſtos aut illos modò, ſed quos nominaui libros omnes de Cæſaris geſtis (ſunt enim numero quatuor & decem) inſcribant: ſed vt libet diſponant illi, Hirtium nos ac Suetonium ſecuti ſumus. Eadem Cæſariana tempeſtate Aſinius Pollio, Dalmatico triumpho etiam inſignis prætermittendus non videtur: et quãquam eloquentiæ ſuæ nulla ſuperſint monumenea, eum tamen hiſtoriarum ſcriptorem nobiliſsimum fuiſſe memoriæ proditum eſt. Marcus autem Varro quem etiam militaſſe conſtat, quantum hoc ſtudio romanis rebus profuerit, de temporum deſcriptionibus, de patriæ ætate libri ab eo accuratiſsime ſcripti clarè teſtantur. Quid Cicero noſter, orator ampliſsimus & imperator? nonne cum militaſſet, hoc literarum genus ita excoluit vt de temporibus ſuis ſcripſerit, totámque Cyri hiſtoriam à Xenophonte conſcriptam legendo contriuerit pariter & excuſſerit: annales etiam ab eo eſſe conſcriptos atque de Coſmographia libros Pri. Cæſarienſis refert, & fragmẽtum adhuc ſupereſt. Fuerunt & alii præter hos Romanorum Auguſti, maximi ac nobiliſsimi principes ducéſque, orbis ac rerum ſummam adepti, hoc ſcribendi munus minimè aſpernati, Octauianus Auguſtus imprimis & Claudius: ille enim rerum à ſe geſtarum libros tres ac decem cum eſſet in Hiſpania Cantabrico tenus bello edidit, hic verò hiſtoriam Tito Liuio hortante in adoleſcentia, Sulpitio verò adiuuante aggreſſus eſt: in principatu etiam ſuo plurima cum literis huiuſmodi complexus fuerit hiſtoriæque ſuæ initium ſumpſerit poſt cædem obitúmque Cæſaris dictatoris, prioris materiæ duos, poſtĕrioris vnum & quadragĩta libros reliquit. Huius etiam literariæ & hiſtoricæ famæ tã cupidum Hadrianum fuiſſe nouimus, vt rerum

ſuarum.

ſuarum volumina notauerit, familiaribus libertiſq; ſuis nominibus eorum inſcriptis inuulganda contulerit: Gordianus deniq; ſenior, Panegyricum ſiue laudes Antoninorum omnium qui ſuperiori tempore fuerant oratione ſoluta congeſsit in libros, & etiam Antoniniados, hoc eſt, Antonini Pii & Antonini Marci elegantiſſimis verſibus in triginta libris vitam illorum & bella publicè priuatimq; geſta perſcripſit. Taceo alios innumeros rerum geſtarum auctores, ſine quibus præclara ſuperioris temporis vtriuſq; linguæ regum & ducū acta, aut penè deperiſſent, aut eſſent in tenebris perpetua obliuione ſepulta: vtq; ad vrbium iam maximarum nomina conuertatur oratio, nónne ſuo iam igne cōſumptum eſſet Ilion? Num conſumptę Thebæ? num Micenæ? Lacedæmon, Athenę? num Corinthus, Carthaginis Byrſa, ac veteris mœnia Babylonis? quid Roma denique ipſa, vnica quondam mundi gloria ac clarorum tot virorum patria & domicilium? nihil profectò, niſi & græcis & latinis rerum geſtarum ſcriptionibus ſuſcitaretur: hac enim re vna muti loquuntur, abſentes adſunt, mortui viuunt: Mortuorum enim vita (vt inquit Cicero) in viuorum memoria conſiſtit: quò fit vt res ab noſtra ætate memoriáque remotas melius cognoſcamus, ſi modo ſint claris auctoribus illuſtratæ, q̄ quę recentior dies attulit: cum qui ne vnquam vrbem viderint, illuſtres tamen Romanos réſque eorum magnificè geſtas ita norint vt res omnis penè longe melius q̄ qui à multis ſæculis citra inde oriundi ſunt cognouiſſe videātur. Poſtremò ad ea quæ adeunda ineundáque ſunt locorū genera, nihil conducibilius q̄ regionū terreſtriū aut maritimarū ſcientia, cum non ſolū agros, ſyluas, nemora, ſaltus, montes, flumina, lacus, ſtagna, portus, & maria, ſed tot oras orbis & vrbes, ſparsáque imperia et populorū diſſonas diſsidentesq; līguas ita deſcribit, vt nō tā ore ac mēte q̄ oculis legere te reputes. Quocirca et præclarū (vt inquit Flaccus) et vtile nobis exēplar ꝓpoſuit Vlyxes,

Qui domitor Troiæ, multorum prouidus vrbes,
Et mores hominum inſpexit, latúmque per æquor.
Dum ſibi dum ſotiis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, aduerſis rerum immerſabilis vndis.

Illud quoq; in eodem genere Alexandri Cæſ. inſtitutum ſæpenumero ſcitum et memoratu dignum mihi videri ſolet, qui ſapientes obeundis in rebus conſiliarios hiſtoricos conſulebat, & milites veteres & benemeritos ac locorū gnaros, vt ſi quid huiuſcemodi ſuperiori ætate bene actū eſſet, vel vſu ꝓbaret, vel melius ac prudentius cerneret. Præclarum & illud quoq; Demetrii Phalerii, Ptolemeum Aegyptium admonentis vt libros in quibus iuſti regis officia & illuſtriū principum vitæ ac mores literis demandati eſſent, & ſtudioſè legeret & de manibus nunq̄ emitteret. Huic cōſentaneum non minus eſt quod à Scipione Aphricano, diuino homine obſeruatum inuenimus, qui non tātū ſtudii operæq; Xenophōtis lectioni in qua Cyri vita cōtineri dicebatur impendiſſet, ni bello vel pace exiſtimaſſet eam ſibi lectionem plurimum ꝓfuturam: nec Cato ille Priſcus aliam ob cauſam manu ſe ſua nato res geſtas maiuſculis literis exaraſſe teſtatur, niſi vt domi maiorum virtutis ſimulacra filio vſui forent et adiumēto. Quæ cum ita ſint, egregium ſanè cō ſumatúmq; belli ducem neminem eſſe poſſe arbitramur,

qui non harum rerũ cognitione & doctrina ad ea quæ ſibi propoſita ſunt munera tractanda inſtructus atque ornatus acceſſerit, qui non ea quæ de bonis rebus & malis,de contemnenda pecunia,gloria propaganda,frangendis cupiditatibus,conformandis hominum moribus,excipiendis periculis ac morte,pro honeſtate appetenda ſapientiſſimi viri maiores noſtri monumentis ſuis ſcripta nobis reliquerunt,non modo audierit,legerit,verſauerit,verum etiam in his exercuerit ſe diutius,& earum exempla ab omni memoria antiquitatis cognouerit, cognitáque tenuerit,non minora denique priuatim publicéque Pythagorã,Democritum, Zenonem, Chryſippum, Platonẽ,Ariſtotelem,Liuium,Saluſtium, Herodotum, Thucydidem,Ephorum, Theopompum, cæteróſque ſapientes egiſſe aſſerẽtes,q̃ ſi duxiſſẽt exercitus,geſſiſſent honores, leges tuliſſent,nec ſolum palmas & coronas his tribui oportere,ſed etiam decerni triumphos & inter deorum ſedes eos dicandos iudicare.

De Eloquentia quantúmque huic ipſa rei conducat, Cap. I.

ADiicienda eſt huic,ni fallimur,illa quæ rectè à præclaro poëta flexanima dicta eſt omnium regina rerum oratio, hac quam modo diximus hiſtoria formoſior multo & illuſtrior. Sed cum duplex ſit orationis ratio & in altera ſermo ſit, in altera contẽtio, non eſt id quidem dubium quin orationis contentio maiorem vim habeat ad gloriã: ea eſt enim quam eloquentiam dicimus. Sed tamen difficile dictu quantopere conciliet animos comitas affabilitáſque ſermonis. Extant epiſtolæ Philippi ad Alexãdrum, Antipatris ad Caſſandrum,& Antigoni ad Philippum filium,quibus præcipiunt vt oratione benigna multitudinis animos ad beniuolentiam alliciant, militéſque blando appellando ſermone deliniant. Quæ autẽ in multitudine cum contentione habetur oratio,ea ſæpe vniuerſam ita excitat gloriam,vt flagrãtes cupiditate animi ab improbitate,auaritia, luxuria,ignauia,deſidia,flagitio deterreantur: Remiſſi verò atque languentes metúque abiecti,ad virtutem,dignitatem, decus ac gloriam excitentur, inducantúrque in ſpem cogitationémque meliorem: quæ ſingula licet niſi ab his qui naturas hominũ vímque omnẽ humanitatis cauſáſque eas quibus mentes aut incitantur,aut reflectũtur,quos philoſophos eſſe nouimus,& quibus hi loci potiſſime debentur, proſpiciantur,tamen neſcio quo pacto & ira & miſericordia omníſque animi ſuſcitatio in poteſtate eſt oratorum: quorum fœlicem ac beatam eloquentiam ab omni populo fuiſſe ſpectatam,& veluti numen quoddam celebratam non ambigimus,quum neque nos lateat ab ea quàm ſæpe tyrannos vrbibus eiectos atque ſublatos,ſedatas diſcordias, mitigatam inuidiam, turbulentos ac ſeditioſos ciues oppreſſos, plurimos ad honores ac imperia magna prouectos,plurimáſque partas vrbes, quę ita fuiſſe ſuperiorũ tẽporũ demõſtrat euẽtus,et clariſſimorũ virorũ illuſtriũq̃ rerũ publicarũ teſtãt exẽpla: atq̃ vt à noſtris his in rebus qui multũ. valuere noſtra fidẽ ſumat oratio,Quis dubitat aliter hac comitate et ſermonis affabilitate militariq̃ facũdia et bellis accommodata fieri potuiſſe q̃ à L. Bruto,ſpectatę nobilitatis viro factũ eſſe ſcimus,q̃ potẽtiſſimũ regẽ expulerit,ciuitatẽq̃ ppetuo iugo liberarit. Paulo etiã poſt reges exactos,quis neſcit hac ipſa oratione plebẽ armatam

tam variis ſtimulata iniuriis & à patribus diſſidētē prope ripā Anienis fluminis eūq; mōtē qui ſacer dicit ſiue cuius Piſo teſtatur Auētinum occupātē, Menenīū Agrippam grauē ea tempeſtate virū dicendo ſedaſſe? poſſumus Appiū Claudium ampliſſimū virū ſenectute ac oculorū orbitate cōfectum his ānumerare, qui à filiis lectica per forum deuectus in curiam, his auditis quæ in ſenatu & prę clarè & humaniter à Cynea dicta erāt, quū & liberationē captiuorū & auxiliū ad ſubigēdam Italiā Po. Ro. Pyrrhus offerret, ac pro his nihil aliud q̄ amicitiam ſibi tarentiniſq; ſecuritatem poſtularet, pluribus ad eam rem inclinantibus, magnifica oratione auctor fuit vt eiuſmodi pacis quæ plurimum turpitudinis & inſidiarum habitura erat, fœdus nullo pacto reciperent. Poſſumus merito M. Tullium Ciceronem ſermonis & contentionis præſtantia omnipotētem dicere qui Verrem audaciſſimum hominem ſceleſtumq; criminibus ſuis oppreſſit, & ferociſſimis ſeptum armis nihilq; non auſurum Catilinam inermis exterruit, ac de incendio vrbis & ciuium ſanguine cogitantem truſit in exilium: qui mę nia romana, tecta, templa, capitolii arcem, bonorum lares, totum deniq; corpus imperii impendenti iam præripuit ruinæ: quo merito primus omnium (vt inquit Plinius) parens patriæ appellatus, vt qui primus in toga triumphum linguæq; lauream meruit, facundiæ literarūmq; latinarum æquè parens, omnium triumphorum lauream adeptus maiorem, quanto plus eſt ingenii romani terminos in tantum promouiſſe q̄ imperii. Addidit etiam Cæſarem dictatorem ipſius quondam Ciceronis hoſtem de eo talia ſcripſiſſe, ex teſtibus inimicitia fidem ſibi ſumens: qui & ipſe quantum militari valuerit eloquentia, nemini mediocriter etiam erudito ambigendum eſſe cenſeo: quippe qui aut diſertiſſimos dicendi artifices æquauit, aut exceſſit eloquio. accuſator namq; Dolobellæ plus q̄ militare ſit munus, ſummi oratoris officium impleuit: in qua quidem accuſatione extorqueri ſibi cauſam optimam L. Cottæ patrocinio queſtus eſt, quo verbo facūdiæ vim expreſſit, vt Valerio videtur. Nimirum verbum extorquere hanc vim habet, vt reus ille nō ex facili ſed ex arctiſſimo quidem indiſſolubiliq; laqueo verbi vbi cæſareo eloquio victus erat, præreptus videretur: poſt quam accuſationem (vt Suetonius inquit) haud dubie principibus patronis annumeratus eſt. Enumerare poſſem quibus præliis eius oratio ita militum animos incenderit vt periculi omnis immemores, læti etiam & exultātes in ferrum ruerent, quas ingentis exercitus ſeditiones, compreſſerit, quot armatorum milia ſolus & inermis oratione terruerit, vſqueadeo vt ad nutum perorantis inuenti ſint, & qui colla porrigerent, & qui ferirent qui verò gemeret nemo, niſi & narratio longior foret. Nec Auguſtum inter multa animi ingeniiq; ſui bona ab huius quam modo diximus paternę eloquentię ſtudiis abhorrentem nouimus. Nam vt de illo ſcriptum eſt, genus loquendi ſecutus elegans & temperatum, prę cipuā curā duxit ſenſū animi quàm aptiſſimè exprimere, & amicos irriſit verba inſolita & obſcura captantes, & hoſtem increpuit vt inſanum ea ſcribētem quę admirationis pluſq̄ intelligentiæ allatura eſſent animis audientium. Nec eſt mihi de eloquentia clarorum ducum ſcribēti Aſinius ipſe Pollio ſilentio obruendus, quem (vt appareat ſuum cuiq; iudicium fore) medium inter duos eloquentiſſimos

tissimos latinorum M. Tullium & T. Liuium Seneca constituit,ita non spernendus auctor. Tres enim vult esse eloquentiæ principes,quos in epistola quadam videtur omnibus præferre,secundum faciens Pollionem,cuius orationem Ciceronianæ dissimilem salebrosam & exilientem dicit,& vbi minimè expectes relicturam. Si verò Portii Catonis quispiam quærit eloquentiam in orãda causa, oratoriæ artis magnum ea ætate decus illi partum dices , quippe qui omnis generis eloquentiæ eius orationes tam multas pro se, pro aliis & in alios egerit, sicq; perorauerit vt non ab re romanus in vrbe Demosthenes diceretur: id etiã sibi nactus præ cæteris vt eius proprium sit quater et quadragies causam dixisse, neq; quemq; sæpius odio & inimicorum simultate petitum,ac semper inuictum & absolutum : cuius eloquentiæ vim atq; naturam quum ipse probè nosset,ac iuuentutem hortaretur ad audacter pugnandum,asserebat verbo magis quàm ense,& voce quàm manu plerumq; euerti & consternari hostes solere. Excellentem & egregiam quoq; L. Crassi facundiam si aliunde nesciremus hinc liceret intelligere,quòd in libris de oratore M. Cicero mortem eius magnificentissimè deplorans, omnes illum semper eloquentia,paucis verò ante obitum diebus sese etiam vicisse commemorat . Certatim quoq; secum eloquentiæ studiosos ad eũ locum quem nouissimè pedibus ille calcauerat , post ipsius mortem rediisse,captus dulcedine & recordatione sermonis quem ex eo nuper audierat,& velut iterum auditurum. Addit etiam id vni Crasso singulariter contigisse,vt quotiens peroraret totiens solito altius ac sine exemplo locutus videretur. Enimuero quia fama huius aliquanto apud vulgus ignotior est non alienum existimaui duo etiam M. Tullii dicta subiicere,quibus de hac re prę cũctis fides habenda est. Nanque apud eum ita scriptum inuenio, Crasso dicente,nemo tam arrogans qui similiter se vnquam dicturum esse confideret: & iterum,omnibus auditis oratoribus , sine vlla dubitatione sic statuo & iudico, neminem omnium tot & tanta quanta sint in Crasso habuisse ornamenta dicẽdi. Idem de M. Antonio testis adest . Siquidem cum quodam in loco de hoc déq; superiore simul loquens dixerit fuisse vtrumq; tum studio & ingenio & doctrina prestãtem omnibus,tum in suo genere perfectum, vt neq; in Antonio deesset ornatus orationis neq; in Crasso redundaret, alio tamen loco omnium quos ipse audisset eloquentissimum ait Antonium,quasi de industria dubium relinquens,quò tantarum laudum stateram potissimum inclinaret . Verũ fama huius vulgatior videtur,cui multũ adiecit nouissimus dies quo migrauit è vita: in illa enim tẽpesta te Mariana vbi nullus misericordiæ portus erat, iussi scelerum ministri Antonium trucidare,vbi domum eius peruenere , Antonium intuẽtes ac alium alius ad cędem hortaretur præmitterẽtq;,tanta fuit oris illius dulcedo,sed quędam persuadendi dea potius , vt loqui quum inciperet , milites omnes præter vnum Annium eius oratione deliniti,districtos iam & vibratos gladios incruentos vaginis redderent,ac à summo furore protinus ad summam misericordiam conciderent. Huius est etiam ille ad persuadendum efficax actus orationis,cuius in oratore suo aliisq; in locis meminit Cicero: cum enim M. Aquilium qui consul fuerat & dux apud senatum & populum clarus, omni tandem honore spoliatum

tum & ad extrema fallacis fortunæ prȩcipitatum ſenem in capitali cauſa defen deret, in medio orationis ardore & deformem ſqualentémque reum ſubſtulit putrémque eius diſcindens tunicam ac generoſi quondam tunc miſerandi pectoris cicatrices iudicibus oſtẽtans ſimulq; ad C. Marium qui inter aſtantes erat verſus, & vt collegæ dudum miſereretur multis cum lachrymis oſtentans, miſericordiam omnium concitauit: vtq; ad exteros prolabatur oratio, quibus carere in hoc quidem ſermonis genere non poſſumus, occurrit nunc qui primas militaris huius eloquentiæ partes ſibi vendicat Piſiſtratus, quem rara quadam eloquẽtia florentem Athenienſibus imperitaſſe patientibus atq; vltro ei deferẽtibus imperium conſtat: quod ne magis obliuione quàm iudicio factum exiſtimetur, ex eo coniici poteſt, maxime quum Solon orientem Piſiſtrati tyrannidem multo antè proſpiciẽs, euocata concione ꝓfectus in publicũ lorica armatus & clypeo, inſidias et improbos conatus eius aperuiſſet: neq; ſolum orientem, verũ quum relicta patria depoſitis ante curiã armis in Aegyptum indignabundus nauigaſſet, atq; inde Cyprum profectus pòſt ad Crœſum ꝓueniens atq; inde in Ciliciam Piſiſtratum in tyrannide perſeuerãtem didiciſſet, eos rurſus per epiſtolam ſic monuit, Siquidem per veſtram vecordiam dira toleratis, nihil in hac parte diis acceptum referatis, ipſi enim vobis horum cauſa eſtis, qui pignora vt duram ſeruitutem pateremini dediſtis: veſtrum verò vnuſquiſque vulpis veſtigiis incedit, omnibus autem leuis & ſtolida mens eſt: quippe viri linguam ſermonemq; varium & plenum aſtu & fallacia attenditis, rerum exitum conſiderare neſcitis. Huius quoque tyrannidis & eloquentiæ ſucceſſor Pericles dicendo tam ſimilis fuit, vt qui hunc audirent, illum ſe audire arbitrarentur, ſi modo vnquàm eum audire contigiſſet: hoc tamen iſte præſtantior, quòd alter eloquentiam armis adiuuerat: huic eloquẽtia ſola ſatis fuit ad imperiũ, quod & diuturnum geſſit & magnificum. Quadraginta enim annos rempub. tenuit, eodémque tempore & vrbanis rebus ꝓfuit & bellicis inermis ipſe. Sed tamen armata fultus eloquentia, dictu mirabile vt quum aduerſus omnium ſalutem diceret, cum voluptate ſũma omnium audiretur. Quid Alcibiades, Clineę filius, Atheniẽſium & ipſe imperator ſummus mari ac terra, nónne tanta eloquentia præſtitiſſe ad tantãq; rei militaris gloriam perueniſſe perhibetur vt vtraq; in illo duce laus de excellẽtia certare videatur? qui quod ad reliquos attinet tãtum dicendo valuit vt nemo ei dicẽdo poſſet reſiſtere. Hanc itidem oris orationisq; vim atq; potentiam apud Homericum Neſtorem, veluti quodam ingenti ſpeculo clarius licet inſpicere: nam quum duo totius exercitus columina diffideret, Agamemnon regno pollens & Achilles potens bello, deſideratur vir cuius ore melle dulcior proflueret oratio, & peritia multa memoratus, qui Atridæ ſuperbiam ſedet, Pelidæ ferociam compeſcat atq; eos auctoritate auertat, exemplis moneat, oratione permulceat. Similiter apud eundem poẽtam quum in concilio Græcorum Agamemnon ſopitis ſomno membris, quod de inſtruendo prælio viderat efferret in medium, Neſtor fidem relatis concilians, exercitui non minus eloquentia q̃ reliqua omnis multitudo ferro & viribus fuit adiumẽto. Eadem ratione dux ille inclytus Græciæ non tantum, immo nunquam (ſi Ciceroni.

roni credimus) optabat vt Aiacis similes haberet milites, sed vt sapientes simi les Nestoris. Quod si sibi concederetur, non dubitat quin breui tempore Troia foret peritura. Adhec etiam accedit socraticus ille Xenophon, qui optimum di cebat vel tribunos vel equitū præfectos eloquentia pręstantes parare vel oratores idoneos in cōcionibus castrensibus adhibere, qui equitibus peditibúsq; vi orati onis & copia terrorē incutiant metu quò meliores fiant: sedent etiam & ad tran quilliorem partem traducant, si quando temerè cōcitati fuerint: nec aliam ob rem denicq; Pyrrhus ille sapiētissimus rex & imperator dicere solitus est, Plures à Cynnea verbis quàm ab se armis vrbes esse partas: nisi q; omnia Euripidis sententia conficit oratio, quæ haud hostile ferrum conficere potest

De poëtis, qui fructùs ex eis, & qui audiendi, quique repudiandi sint. CAP. II.

VMque finitimi sint oratoribus poëtæ regesq; superiori tempore & inclyti duces quum bellum inituri essent sacra musis de more antè persoluerent, vtpote quæ disciplinæ iudiciorumq; meminissent, quo & faciles ac promptæ periculis adessēt & facinora præliantium me moratu digna redderentur: eos audiendos legendósq; quum inhæreant penitus mētibus esse operæ pretium arbitramur: maximè quum magnam speciem do ctrinæ atq; sapientiæ præseferant: Cæterum hi quum multiformes variiq; sint, vt Tragici, Comici, Epici, Melici & Iambici ac dithyrābici, apûdq; alios poëta rum alii cēsoria notatione digni, alii habeantur in prætio, vt facile secerni pos sit ex his qui lectione nostra digni quíue exigendi sint, diuisionis gradibus ex plicandum est. Poëtæ itaque omnes aut tantum conciliandæ auribus voluptatis aut orationis quoque ad meliores vitæ vias gratia fabulas finxere, auditū im primis mulcent: veluti scenici, de quibus nihil aliud est quod dixerim in presen tia quàm q; Romani veteres apud quos nunq; Tragœdię siue Comœdię probare sua in scenis ac theatris flagitia potuissent, eos non admissuri fuerant nisi con suetudo vitæ pateretur, à rebus diuinis Liberi patris, Apollinisq; sūpto princi pio: abhis enim Tragœdia & Comœdia sumpserunt exordiū, dictáque Tragœ dia proinde eodem nomine quo sacer hymnus Liberi patris, cum hymnus ille fortia facta & laudes Liberi patris cōcinebat: ita & hæc tragœdia non nisi ma gnorum & fortium virorum vitia reprehendebat, vel ex vocis vastitate nomi nata quæ concauis repercussionibus roborata, talem sonum videtur efficere, vt penè ab homine non videatur exire: erigitur autē in hyrcinos pedes, quia si quis inter pastores tali voce placuisset, capri munere donabatur: vel q; hyrco orna batur inter alia præmia eius carminis scriptor, vel quia corium hyrci plenum musto solenne præmium cantoribus erat, vel q; ora sua fecibus perliniebāt Sce nici, ante vsum personarū ab Aeschylo repertum, fex enim græcè dicitur τρύξ: & his quidem causis tragœdiæ nomen inuentum. Simili modo quum pòst lon go tempore Apollini nomio vel Aristeo, id est pastorum vicinorûmue præsidi deo sacra & ludi inuenti celebrarētur circum Atticæ pagos & vicos & villas & compita vbi rustici gestientes humanos actus lætissimis carminibus irridebant sacer hymnus Apollinis cantus esset, qui comœdia dicebatur, vt opinor à pagis & cantilena composito nomine, vel à græco quod est comessatum ire cantantes,

consuetum

consuetum est ibi quoq; sicut in sacris Liberi reprehensoria carmina recitari, sed quæ non reprehenderent nisi vitia agricolarum & mẽdicorum hominum quorum ille erat conuentus maximè apud Græcos,etiam primum fuit lege concessum,vt quod vellet Tragœdia siue Comœdia quodam quasi ludo,salsa & faceta reprehensione composita & dignitate orationis & vtilitate corrigẽdorum morum nominatim de quo vellet diceret:quod suis tẽporibus profuit multum, quum vnusquisq; caueret culpã ne publico spectaculo derideretur. Postea verò quàm victor populus & prius Athenienſis, postmodum Italicus cœpit agros & vrbes extendere & multitudine ciuium creuere factiones & vitia,tantóque poëtæ pro materia vitiorum acrius reprehenderent vt etiam ad nobiles vsque conscenderent,nec solum homines improbos in repub.& seditiosos,cæterum nonnullos virtute ac magistratuũ dignitate præstãtes nulla lacessiti iniuria,vt Neius sępenumero Metellos lacesseret atq; vexaret,nobilitas indignata legem dedit ne quis nominatim reprehẽderet quemquam.Horatius,Lusit amabiliter donec tam sæuus apertam In rabiem verti cœpit iocus ac per honestas Ire domos impune minax, doluere cruento Dente lacessiti ,fuit intactis quoque cura Conditione super communi: quin etiam lex Pœnáque data malo quę nollet carmine quenquam Describi.Hac lege siue pœna quum aliquanto tẽpore siluissent à consuetudine prisca deterriti,nihilq; dictarent, rursus aliud genus dictaminis adorti sunt :ibi enim Satyra sumpsit exordium quæ à Satyris quos in iocis semper petulãtes deos scimus esse vocitata est,quidã aliunde nomen praue putant: Hæc igitur Satyra eiusmodi fuit vt in ea duro veluti & agresti ioco de vitiis ciuiũ tamẽ sine vllo proprii nominis titulo,carmẽ esset: quod item genus comœdię multis obfuit poëtis quum in suspicionem potentibus ciuibus venissent, illorum facta descripsisse in peius ac deformasse stilo carminis. Hoc igitur malo coacti sunt omittere satyram & aliud genus carminis,hoc est, nouam comœdiam inuenire: ꝙ Græci quamquam impudentius, tamen conuenientius licere voluerunt,cum viderẽt suis diis accepta & grata esse opprobria,non tantum hominũ verumetiam ipsorum deorum in scenicis fabulis, siue à poëtis essent illa cõficta, siue flagitia eorum vera commemorarẽtur & agerentur in theatris, atq; ab eorum cultoribus: vtinam solo risu,ac non etiam imitatione digna viderentur, quale est illud apud Terentium , dum flagitio Iouis optimi maximi adolescentum nequitiam incitaret.Quid enim ingenui iuuenes aut virgines ipsæ facient, quum hæc & fieri sine rubore & spectari ab hominibus libenter cernant?nónne admonebuntur quid facere possint, & inflãmabuntur libidine quæ visu maximè concitatur? At Romani quàmuis noxia iam suspicione premerentur vt illos deos colerent quos videbant sibi voluisse scenicas turpitudines consecrari, suæ tamẽ dignitatis memores ac pudoris actores taliũ fabularũ haudquaquam honorauere more Græcorũ : sed artem ludicrã scenámque totam in probro duxere, genus id hominũ non modo honore ciuium reliquorum carere,sed etiam tribu immoueri notatione censoria voluerunt.Nam quãquam ibi actus musici et prudentissimi sæculi dicta floruerunt, ætas tamen subsequens miscens ludicra priscorũ inuenta traxit ad vitia,& quod honestæ causa delectationis repertum erat

ad volu

ad voluptates corporeas præcipitatis mentibus impulerunt: quo factum ẽst vt paulatim honeſtiſſimæ diſciplinæ improborum conſortia fugientes, verecunda ſe exinde conſideratione ſubtraherent: & conſultè id quidem. Quid enim aliud quàm libidines edocent & inſtigant hiſtrionum impudentiſſimi motus, quorum eneruata corpora, & in mulierum inceſſum habitumq; mollita impudicas fœminas immodeſtis geſtibus mentiuntur? Quid de mimis dixerim? corruptelarum impudentiæque omnis diſciplinam humanarum rerum imitatione præferentibus, qui docent adulteria dum fingunt, & ſimulatis ſtupris eruditunt ad vera? quòd ſi nullus ſcænicis ad honores dabatur locus, conſentaneum videtur vt ipſi poëtæ talium fabularum compoſitores, qui duodecim etiam tabularum lege prohibentur famam lædere ciuium, non minus quàm ſcænici actores habeantur eiecti. Plato etiam quum recte formaret qualis eſſe ciuitas deberet quam finxit, quámque optimis moribus & optimo rei publicæ ſtatu, tanquam aduerſarios poëtas omnes (Homerum tamen excipiens quem honorabiliter admonet phanum ei conſtituens & vnguenta ſuperfundens) vrbe pellendos cenſuit, ne rectam opinionem de deo fabulis forte deſtruerẽt, deorum iniurias indignè ferens, animóſque ciuium, taliũ lectione fucari corrumpíque. Huic illud quoque apud Lacedæmonios perſimile probatur, qui Archilochi poëtæ libros è ciuitate ſua aſportari iuſſere, quòd eorum parum verecundam, parũ continentem ac pudicam lectionem non virtutum ſemina ſed labem quandam potius & iuuentutis corruptelam viamq; ad obſcœna ſingula præſtruentem arbitrarentur. His proximi ſunt qui auditum etiam mulcent, ſed illecebris ac fœdis amoribus referti, laſciuiæ omnis & intemperantiæ legem præferentes: quales Marſum Pedonem, Aediuium Zetulicium, Portium Theium Lacedæmonium: Meminium, Titydem, Cynnam, Cornificiũ, Anſerem, Hortenſium, Seruium, Gallum, Catullum, Caluum, Propertium, Tibullum, Apicium, mulierem Leſbiam: Naſonemq; poſtremo omnium laſciuiſſimum ſiue M. Valeriũ Martialem: & quicquid Melicorum, ſiue Lyricorum, ſiue Dithyrambicorũ erit huiuſmodi: quod dictũ licentius ac procacius videatur: quum horum omnium libri potius Veneris militiam quàm Martis ſtudium & inſtituta perſtruere videantur. Molliunt enim fortiſſimorum hominũ animos dulcedine ſua, & ita molliunt vt non legantur modo ſed ediſcantur: ſicq; ad malam rei domeſticæ diſciplinam vitámque omnem quum acceſſerint neruos virtutis omnes elidunt. Sunt Epici alii qui ſumma vi eloquentiæ carminíſque præcellẽtia per turpia licet & in digna nonnunquam effluant: perplurima tamen ac maxima per clariſſimos duces bella memoratu digna ſub honeſtis rerum figmentis ac velaminibus ad varium optimúmque degendæ vitę genus propius videntur accedere. Hi ſunt qui ſuppliciis & pœnis improbos homines variis terrent agitantq; terroribus, eos qui econtra iuſti probíq; fuerint, & ob patriam pugnando vulnera paſſi, Quíque ſacerdotes caſti dum vita manebat, Quíque pii vates et Phœbo digna locuti: Inuentas aut qui vitam excoluere per artes, Quíq; ſui memores alios fecere merendo, puros, impatibiles & beatos in cœlum prouehi virtutum meritis, vel in campos quoſdam fortunatos rapi hic vbi mira voluptate fruantur:

Hoc in

Hoc in genere quũm multi nobis occurrant poëtæ, omnium clariſſimi Homerus & Maro primi ſe ingerunt. Apud illum nanque operæ preciũ eſt videre quæ prouiſio ducum in bello, qui aut aſtus aut fortitudo militum, quod inſidiarum genus vel cauendũ vel inferendum, quæ deinde monitio, quod conſilium, quod genus Aeneas prælio Troianorũ dux, Græcos magna vi pulſos in caſtra redegërat: quumq; audacius ſurgeret ac iam totum agmen obiiceret caſtris, aduolat ad eũ Hector & ſenſim circumſpectêq; agere monet, affirmans eum qui exercitum ductitet, non tam audacem quàm cautum eſſe debere, quod quanti exiſtimandum eſt præſertim ab Hectore audaciſſimo traditum, tute Sigiſmunde tecum verſa atque peruolue. Apud eundem quoq; poëtam Iris ſiue ſomnus vt alii interpretantur, nónne ad Atridem miſſus quum dormientem comperiſſet, corripit eum verbis negatq; dormiendum eſſe, cui tot populorum, tot gentium ſalus cõmiſſa eſt, ac tantarum denique rerum incumbit prouiſio? Poſtremo quum rebus dubiis & afflictis ſpectatores deligendi ſunt, qui noctis intempeſtæ ſilẽtio caſtra hoſtium penetrent, nónne Vlyxes inibi cũm Diomede deliguntur, veluti conſilium & auxiliũ, veluti mens & manus, animus quoque & gladius? Quiſquis igitur concionator aũt imperator ſũmus effici voluerit, Achillis aut Agamemnonis ſe ſimilem fieri cupit, is ſe in huius poëtæ diſciplinam tradat, librũq; de manibus nunquam deponat, quod ab Alexandro ſicut ex ipſius ꝓcipi poteſt epiſtolis factum fuiſſe proditum eſt. Is enim rex diſcendi legendiq; auidus, Iliadem in qua rei militaris viaticum exiſtimare ſolebat & appellare, Ariſtotele exponente perdidicit, eam ſemper vnà cum pugione ſub puluino iacentẽ tenere ſolitus, qui itidem quanti eundem poëtam facere viſus ſit, ex hoc maxime liquet: hic enim quum inter ſpolia Darii regis deuicti vnguẽtorum ſcrinium reperiſſet auro gemmiſque expolitum ac eius ſcrinii varios vſus amici oſtẽtarent, immo inquit librorum Homeri cuſtodiæ detur, vt precioſiſſimum humani animi opus quàm maxime diuiti opere conſeruetur. Apud hunc verò huius quem modo diximus Homeri in omnibus ferè emulũ Maronem, deeſſe quid poteſt? cuius poëſim nedum viaticum, cæterum totius penè rei militaris eſſe diſciplinam non dubium eſt, in belli tempora pacíſque diuiſam? Quod etſi ſatis diuini operis eius conſtet initio, apud eos tamen qui mentem eius enucleatius perſcrutantur potiſſimum eſt intueri. Nam ſi militaris iuſticiæ formam et tremendum conſulis imperium ab eo quæris, occurrit tibi ilico in primis Brutus, deinde Torquatus rigidis faſcibus, immo ſæuis ſecuribus in filios patriam & rei bellicæ diſciplinã acerrime vendicantes. Si fortitudinem, aderit Horatius Cocles qui pro ponte ſuplicio ſtans, minitantem Porſennam exercitũque eius qui grauiſſimo bello Romanos vrgebat, auſus eſt & potuit dum pro ſalute patrię dimicat donec pons ipſe ſolueretur à tergo in arcẽdo hoſte ſuſtinere. Si luẽdis periculis publicis priuata piacula, Decii præſto ſunt, vt illis cadẽtibus & iram deorum ſanguine ſuo placãtibus romanus liberaretur exercitus. Prætereo Camilli victoriã de Gallis, Coſſi clariſſime res geſtas. Fabricii & Curii victus tenuitatem eorúmque duritiam & continentiam, Fabii moram et plurima huiuſmodi in bello & pace non minus egregia mentem ſubeuntia: quæ omnia poëtam no-

bilem minime latuere dicẽtem, Interea muſis animus dum mollior ętas,Et quæ mox initure legas,nec deſinat vnq̃ Tecum graia loqui,tecum romana vetuſtas. Antiquos euolue duces,aſſueſce futuræ Militiæ, Latium retro te confer in ęuũ. Libertas quæſita placet,mirabere Brutũ. Perfidiam dãnans Metii ſatiabere pœnis. Triſte rigor nimius, Torquati reſpice mores. Mors impẽſa bonũ, Decios venerare ruentes. Vel ſolus quid fortis agat te põte ſoluto Oppoſitus Cocles, Muti te flãma docebit. Quid mora proſpiciat, Fabius: quid rebus in arctis Dux gerat oſtendet Gallorum ſtrage Camillus. Diſcitur his nullos meritis obſiſtere caſus, Prorogat æternam feritas tibi punica famam Regule, ſucceſſus ſuperent aduerſa Catonis: Diſcitur hinc quãtũ paupertas ſobria poſſit, Pauper erat Curius regem quũ vinceret auro, Pauper Fabricius Pyrrhi quũ ſperneret aurum, Sordida Serranus flexit dictator aratra, Luſtratæ lictore caſæ faceſq̃ ſalignis Poſtibus affixi, collectæ cõſule meſſes, Et ſulcata diu trabeato rura colono. Præteriẽs ita q̃ reliquos ex noſtris, exterorũ nonnullos Tirtheumq̃ Lacedæmoniorũ poẽtam ac ducẽ dicam imprimis, cuius cõpoſito carmine & pro cõcione habito, tãta vi animorũ deuictis Meſſanis deniq̃ cõcurſum eſt, vt rarò vnquã cruentius prælium exarſerit, tametſi antea cõflictibus Lacedæmonii à Meſſanis fuſi metuq̃ periculi propterea territi, certamine deſiſtendum arbitrarẽtur. Thucydidem præterea, nónne quem imperatorẽ Athenienſes in exiliũ egere Tragœdiarum conditorem reuocauere, deinde maxma bellorũ tẽpeſtate permoti? duos duces non abre delegere, Periclem ſpectatæ virtutis virũ & Sophoclem Tragœdiarũ ſcriptorem? qui diuiſo exercitu & Spartanorũ fines late populati ſunt, & multas Aſiæ ciuitates Athenienſiũ imperio adiecerunt. Quid Diopitẽ, & Meneſtheum, Leoſthenem & Charedemũ ſubticeo? nónne his artibus & rei bellicæ peritia amplitudinẽ adeptos ſcimus, rempub. Periclis, Ariſtidis & Solonis more gerẽdo? vt pote omni ex parte abſolutam & vtrinque excultã & idoneã? Quiſq̃ enim horum virorum videbatur, vt inquit Archilochus & Mauorte deo gratiſq̃ Helicone camænis, Aſſiduus cultor munus vtrunq̃ tenens. Apud agreſtiores denique barbaros et nationes nõnullas, vt apud Galatas, tanti ſunt poẽtæ, atque ſapientiæ cedit ira, Marsq̃ reueretur muſas, vt quum inſtructa acie exercitus eductis enſibus iactiſq̃ iaculis propinquant, non ſolum amici, verum hoſtes quoque, eorum interuentu à pugna conquieſcant.

De Muſica & in quo cum re Militari commercium eius ſit. Cap. IIII.

DIſciplina autem cantuum & modorum quam muſicen dicunt, non minus in ſtudio erat quàm dicendi emulatio ac nitor. Ipſa nanq̃ modulis ſuis & numeris, inſtitutio erat ad ingenuos animi mores ratione moderandos, & ſtimulus quidam ad eum concitandum & ad impetum quaſi furentẽ atq̃ ſtrenuum inducẽdum. Etenim quum hæc ipſa diſciplina ſit in modos ſiue tonos, numerosq̃ diſtributa, repente vt diſſimilium concordia quã harmoniam vocant diſtinguitur: ſic audientium animi diſponũtur ad vnum quẽq̃ ipſorũ, ad alios quidem cõpoſitè et mediocriter, vt ad Doricum quem fatentur omnes conſtantem ac firmũ eſſe, moremq̃ cõtinere virilem prudentiæ ac caſtitatis auctorem: ad alios violenter, vt ad eum qui Phrygius eſt, qui

& ita

& ita excitat,distrahit rapitq; animũ ad pugnas, votũq; furoris inflãmat,vt vix apud sese videatur,quẽadmodũ de Pythagora scriptũ est,q violẽtos ac debacchãtes adolescẽtes sub huiusmodi sono incitatos, spõdeo succinente,ad compositæ mẽtis ttanquillitatẽ reddiderit.Nam quũ mulieris cuiuspiã dilectę domũ vellent amburere forésque perfringere ,vbi Pythagoras intellexit tibiarum Phrygiiq; modi sono adolescentes raptos furere,& multorum persuasionibus cœptis nolle desistere,mutari modum præcepit, atq; ita tarditate modorum furentẽ illorum petulãtiã cõsedasse.Simili modo de Timotheo Milesio inuulgatũ est,qui quum in Alexãdri cõuiuio esset et hunc quẽ Phrygiũ diximus modularetur,vsqadeo regẽ excitasse fertur,vt ad arma capiẽda prosiliret,atq; iterũ ad comessatores epulásq; reduxisse,modulatione mutata . Eũdem etiã ferũt Alexandrũ Xenophõte canẽte manũ ad arma misisse. Sũt et modi alii diuersorũ etiã idiomatũ vocabulis designati,ut Aeolius,q animi tẽpestates sedat,sõnũq; iam placatis attribuit.Iasius,qui intellectũ obtusis acuit et terreno desiderio grauatis cælestiũ bonorũ appetẽtia operator indulget.Lydius,qui cõtra nimias animæ curas tædiáq; repertus,remissiõe reparat et oblectatiõe corroborat,Itidẽ enim et in numeris dicẽdũ, quũ et alii morẽ contineãt grauius, alii verò cõcitẽt,alii liberaliores, alii violẽtiores afferãt motus,quo fit vt morũ animorũq; maximæ mutationes fiãt.Nam si numeri modiq; ad mẽtem vsq; peruenerint, æquè animũ atq; ipsi sunt afficiant necesse est.Ideo lasciuia mollis dissolutaq; mẽs mollibus & impudicis modis delectatur,asperior rursus durioribus gaudet,mediocribus autẽ quę mansueta, ex quo internosci potest,quãta sit nobis cognatio cũ harmonicis modulationibus, quũ et multi quoq; sapiẽtum dixerint , alii quidẽ animã esse harmoniam,alii vt Plato,mũdi animã musica cõuenientia fuisse cõpactã.Proinde nullis quidẽ q sapientiã profitẽtur,curã Musicæ quãtum ętas illa recipiebat defuisse,quũ Pythagoras inuẽtor atq; eũ secuti aliquot præcipui philosophi, imbibita & assũpta à veteribus opinione cuncta cõpleuerint,mũdũ hũc quatuor elemẽtis ea resonantia esse cõfectũ quã postea sit lyra ad similitudinem veræ testudinis imitata,cuius Mercuriũ quoq; neruis trium chordarũ,triũ anni tẽporũ instar,repertorem tradunt. Tres enim instituit voces,acutã,grauẽ,& mediã.Acutam ab æstate,ab hyeme grauẽ,à vere autũnoq; mediã,tantaq; proinde vtilissima procurantẽ Astronomi inter stellas requirẽdã esse putauerunt,persuadẽtes cælestẽ esse musicã, quãdo lyræ formã cõprehendere potuerũt inter sidera collocatã.Detractoribus autẽ & humile et abiectũ huius disciplinæ exercitiũ esse dicentibus,q; aiunt sordidos homines ac viles musicã exercere,haud quaq; difficile est respõdere,si spectetur quibus modis & instrumẽtis,et quousq; illi indulgendũ ab his q ad virtutẽ ciuilẽ erudiuntur: quum vsq; ad aliquid discere & exercere honestum sit atq; modestũ,ad extremum vsq; prosequi & ab illius illecebris capi , turpe atque indecorum: & quum nihil vetet modos quosdã et instrumẽta musicæ illud quod aiũt efficere,clarũ est oportere disciplinã eius neq; impedimẽto esse cæteris operatiõibus,neque corpus molle & inutile reddere ad bellicas ciuilesq; exercitationes:quod vtiq; fiet,si neq; illis tẽporibus multũ impartiemur,quæ ad certamẽ artificii pertinent, neq; circa admirabilia quædam & superuacanea, sed eò vsque

vt gaudere valeamus probabilibus modis, et non cõmuni ſenſu muſicæ ſolũ vt turba vilium ſeruorũ, ac puerorũ. Quũ autem ſonorum qui materies cãtilenarũ ſunt,triformẽ cõſtet eſſe naturã,quod triũ muſarũ nnmerus efficit,quũ aut ſcilicet voce editur,ſicuti eorũ eſt qui faucibus canũt: aut ſpiritus, ſicuti tubarum & tibiarũ: aut intẽſione & pulſu, ſicuti in neruis et citharis et tympanis et quibuſdã aliis quæ cõcaua feriẽdo canora ſunt,ex his qui fit voce modus quàm decẽs ſit quãq; ingenuis progredi in ea liceat,ex Philippi & Catonis ſentẽtia intueri licet.Hic enim quia ſibi viſũ eſt bene cãtare nõ ſerii hominis eſſe,nimirũ M. Senatorẽ nõ ignobilem,ſpatiatorẽ et feſcemium vocat.Ille verò in inſtitutiõe ad filiũ,quũ eum accepiſſet ſuauiter quodam in loco ceciniſſe, vrbane eſt obiurgatus:Non te pudet inquiẽs q; ita pulchrè canere ſcias? ſatis eſt enim regi, canentibus audiẽdi ocio ſupereſſe : at pmultũ quidem videtur impartiri muſis,ſi cæteris his de rebus concertãtibus ſpectatorem ipſe tãtum ſe præbeat:quum nec vllus vnquã ingenuus adoleſcens quũ ipſe Iouẽ ſit intuitus,Phidiã ſe fieri cõcupiuerit,neq; Polycletũ: etſi vehemẽter eorũ opera ſit admiratus.Et quanq; hoc ardens muſicæ ſtudiũ non horũ quos modo diximus duorũ principũ mẽtes inceſſerit, iuuaſit tamen & occupauit aliquorũ animos peſſimorũ , Caii maximè qui adeò cãtandi voluptate efferebatur vt ne publicis quidẽ ſpectaculis tempararet. L.Sylla vir tãti nominis optime ẽtiã cãtaſſe dicitur.Nero quã vocis curã habuerit cõſeruãdæ vel augendæ,nemini quidẽ mediocriter erudito in dubiũ venit, neq; ab his id iniuria factũ quiſpiã forte dixerit . Eſt enim haud dubie muſicæ pars hęc potens multũ et effectus eius ſupra fidẽ varii,quũ multos ad læticiã inanem,ad amatoria carmina, ad reliquas voluptatis illecebras,multos ad virtutẽ, ſanctũ & deuotũ gaudiũ, piáſq; nonnunquã lachrymas moueat: quæ varietas in diuerſas ſententias magna etiã ſanctorũ patrũ traxit ingenia.Nempe Hieronymus canẽdi ſtudiũ improbaſſe viſus eſt,cum inquit,deo,nõ voce, ſed corde cantatur: nec in tragœdiarũ modũ guttur & fauces medicamine leniendæ ſunt , vt in eccleſia theatrales modi audiantur.Vnde fit plerũq;,teſte Gregorio, vt in ſacro miniſterio,dũ blanda vox quæritur,cõgrua vita negligatur,& cãtor miniſter deũ moribus ſtimulet,quũ populũ vocibus oblectat.Ambroſius pietatis appetẽs,vt caneretur inſtituit. Athanaſius vanitatis fugitãs,canẽdi vſũ in eccleſiis eũ approbat,qui tam exiguo vocis flexu fit,vt pronunciãti vicinior ſit: ne voluptatis,aut vanitatis,aut laſciuiẽtis & proſtitutę vocis luxu affectuq; ſtupentes emoriãtur animulæ.Auguſtinus difficile hinc inde ſibi negotiũ dubietate exortum intuens, ita fluctuo inquit inter periculũ voluptatis & experimentũ ſalubritatis, magiſq; adducor nõ quidẽ irretractabilẽ ſententiã proferens,Cantãdi dico conſuetudinẽ approbari in eccleſia,vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectũ pietatis aſſurgat: tamẽ cum mihi accidit vt me amplius cantus q̃ res quæ cantatur moueat, pœnaliter me peccare cõfiteor, & tunc mallem non audire cantantem:quanquã alio in loco aperte denunciet,nos nõ propter ſuperſtitionem prophanorũ debere muſicã fugere,ſi quid inde vtile ad intelligendas ſacras ſcripturas capere potuerimus,nec ad eorum theatricas nugas cõuerti ſi aliquid de citharis & de organis,quod ad ſpiritualia capienda valeat,diſputemus.

Neq;

Neq; enim & literas diſcere non debemus quia earū deum dicunt eſſe Mercurium,aut quia virtuti iuſticiæ tẽpla dedicarūt,et quæ corde geſtãda ſunt in lapidibus adorare maluerunt,propterea nobis iuſticiæ virtus fugiẽda eſt.Qui verò ex ſpiritu et ore fit modus,nõ aliter improbãdus nobis erit, ac de Minerua & Alcybiade rationabiliter teſtãtur antiqui.Aiunt enim illã tibiarū reptricẽ eas abiecciſſe,ob deformitatẽ oris infenſã: huic verò ab auunculo Pericle tibiarū ſtudio tradito ſimiliter obtigiſſe,qui quum ab inſigni tibicine ad ipſū accito , oblatas tibias ori applicuiſſet ,& collecto ſpiritu genas inflaſſet,anima duerſa vultus deformitate erubuit,& abiectas tibias aſpernatus fregit,meruitq; tenera licet ætate exẽplo eſſe,vt totius populi conſenſu ex tunc Athenis tibiarū vſus qui poſt victoriã cõtra Medos aſſũptus & receptus adeò fuerat , vt ingenui omnes addiſcerent,improbaretur.Nec Athenienſiũ modo,nec veteris illius celebratiſſimq; quõdã Græciæ quæ pòſt tellus Itala eſt,virorū illuſtriũ ſolum,ſed maiorū quoq; noſtrorū,multarumq; aliarū nationũ & populorum fides & tibias ſolennibus epulis,choris,& cõcionibus adhibere veteris inſtituti fuiſſe cõperio,quum illorū laudes qui fortiter pro patria occubuiſſent,et eorū vituperationes qui metu id agere detrectaſſent,cãtu & tibiis proſequerẽtur: quippe quę etiã ludis pariter communes & luctibus. Ouidius, Temporibus veterũ tibicinis vſus auorum Magnus,& in magno ſemper honore fuit.Cantabat phanis,cãtabat tibia ludis.Cantabat mœſtis tibia funeribus.Et quanq; ab ingenuis & grauibus illis ad meribibulos quoſdã helluones leuiſſimos & ſordidiſſimos eſt huiuſmodi tibiarũ ſtudiũ vt antea forte prolapſũ,apud multas tamen nationes & bellicoſiſſimos populos in cõſerẽdis bellis,veluti diſciplinã quandã militarẽ fuiſſe,multorum cõſtat exemplis. Spartiatarũ enim militia imprimis ad modũ ac tibiã proficiſcebat, nec adhibebatur vlla ſine modulo anapæſti pedis cohortatio . Itaq; illorũ aſpectus pulcher erat & formidabilis:qui & numeris ad tibiã incederent, neq; phalãgis ordinẽ miſcerent, neq; animis turbarẽtur: ſed manſuete & hilariter à modulo in diſcrimẽ inducerẽtur,quum certũ videatur,neq; metũ neq; furorẽ nimiũ illis oriri poſſe qui ita ſe habuerint , ſed firmã potius & cõſtãtem animi magnitudinẽ ſpei audentiæq; admixtã.Nec aliter Lydos Halyacte etiã rege ſuo bellũ Mileſiis inferẽte inire prælia ſolitos accepimus,quũ nõ ſolũ inter pugnãtis exercitus acies tibicines habuerit,ſed fiſtulatores & fidicines,quod Cretenſes itidẽ non tibia ſed cithara quaſi magiſtra ac duce ſingulos eorũ bellicos actus regẽte non ab re feciſſe memorãtur.Nã veluti Laconicus ille poẽta inquit,Serpit et in ferrum citharæ ſonus ipſe canoræ. Et quid aliud in noſtris legionibus litui ſiue cornua, tubæ , claſſica , buccinæ ſiue tympana ſibi volunt,quàm vt his in bello & progreſſioni & item receptui cãtetur: aut nimis remiſſos excitãdo,aut plus iuſto cõcitatos reuocãdo?quod poëtarum maximũ minime fugit dicẽtem, Aere ciere viros Martémq; accendere cãtu. Nec cantu ſolum accẽdi remittiq; virorum animos conſtat,verum equorum, quibus docilitas tanta eſt ,vt vniuerſus Sybaritani exercitus equitatus ad ſymphoniæ cantum ſaltatione quadam moueri & excitari ſolitus inueniatur.Cæterum Sigiſmunde Pandulphe qui ex pulſu et fidium intenſione fit modus quo pacto in eo quiſq; agat,plurimum refert . Nam

ſi vti tu tecum aliquando ſoles ſapientiſſime princeps poſt magnas curas, difficiles & illuſtres bellorũ occupationes relaxãdi ac reparãdi animi gratia, vel amicorum vel propter virtutẽ quis agat, nõ illiberaliter ſed modeſtè ab his aliquid voluptatis aſſumet: nec abſurde hanc muſicæ partẽ bellicę fortitudini coniunxiſſe te quiſpiã admiretur, Mercuriũ maximè imitãtẽ qui Palæſtram docuit & lyram primus inueuit: qui verò id ipſum propter alios vt audiẽtes oblectet ſæpe vti videbitur, turpiter ac indecorè agere, quũ finis cuius ſit gratia improbus ſit & merito improbãdus vſus, nec aliter q̃ quomodo multa inſtrumẽtorũ antiquorũ improbata ſunt, veluti Pentades & Barbiti & quæ ad voluptatẽ audientium intẽdebant, et heptagona & cuncta quæ indigent perita manuũ geſticulatione. Itaq; profitendũ puto nõ hãc quæ iſtis inſtrumẽtis cõſumitur omni dedita opera præcipi, & quæ in theatris olim & in ſcænis effœminata & impudicis modis, infracta non ex parte minina, quæue nec fera nec varia ſit, ſed ſimplex, morata, prudens, maſcula atq; modeſta, & qua laudes fortiũ canebantur, quáſq; ipſi canebãt, cuiuſq; qui tũc fuiſſet ignarus quiſq; ille eſſet habebatur indoctior. Quod Themiſtocli attico, Græcorũ imperatori clariſſimo eò quòd lyrã inter epulãdũ recuſaſſet accidiſſe Cic. teſtis eſt. Epaminũdã verò Thebanũ hãc fortaſſis infamiam declinãtẽ pręclare fidibus cõcinẽtem accepimus: et Achillem Homerus inducit à pugna redeũtẽ in hac re acquieſcere ſolitũ, non amatoria quidem ſed virorũ fortiũ geſta modulãtem. Ouidius hũc nõ modo ſed Alcydẽ fidibus doctũ, muſicíſq; iſtitutũ diſciplinis his verbis expreſſit, Ille manus olim miſſurus in Hectora læto Creditur & lyricis detinuiſſe modis. Venerat Alcydes exhauſta parte laborũ, Iuſſaq; reſtabant vltima pene viro. Nero verò quãtum ſtudio citharæ deditus fuerit, incredibile dictu eſt, cũ neq; quicq̃ omitteret eorum quę eius generis artifices ex induſtria factitare ſolent. Id verò eiuſdẽ ſtultũ penitúſq; ridiculũ, q; nocte illa quæ ſibi vitæ fuit vltima in terris, inter querelas quas vicina mors & præſens metus dolorq; dictabãt, crebrius atque miſerabilius, nõ quòd tantus princeps, cæterũ quòd tãtus muſicus deperiret defleuit infœlix. Multa præterea poſſent Adriani, Alexãdri, Seueri et aliorũ maiorũ exempla in medium proferri, ſed vereor ne ſi fuero in taliũ enumeratione diutius immoratus, aut oblitus eſſe propoſiti videar, aut crimen loquacitatis incurram.

De Arithmetica & militari Geometria. Cap. V.

DIgnum et conſentaneum propterea viſum eſt eas diſciplinas attingere quæ Geometricis numeros rationibus & multiplicationes habent notas. Magnũ nanq; adiumentũ afferunt ad eorũ quæ ſupra nos ſũt vim naturamq; explicandã, maximũ ad ea quę infra, vt ad locorũ interualla, ędificiorũq; magnitudines, profunditates aquarũ, inſtrumẽtorũ quorundam infra ſcriptorũ arte dimetiẽdas: quã rem vt eſt hominũ genus nimis ſolers atq; ſolicitum, Chaldæi primi inueniſſe et Aegyptii nõ diſſimili feruore calentes tranſtuliſſe memorãtur, qui rationẽ huius diſciplinę generaliter colligẽtes ad hæc omnia quæ diximus quicquídue poteſt formis generalibus cõtineri aptam ita eſſe docuerunt vt ea ſine nihil horum poſſit ad agnitionem veriſſimã peruenire. Eudoxum etiã & Architã inchoaſſe variis eã formis & celaturis illuſtrãtes

memorię

memorię proditũ inuenimus. Hi enim artis obſcuratis ſub pectoribus ingenii latẽtes rationes,obductas propoſitiones demõſtrationeſq; per ſenſum ac inſtrumẽtorum exẽpla inuulgarunt, ambo in cõparãdis produxerunt inſtrumẽtis,ſemiſcriptis quibuſdã lineolis figuriſq; geometricis machinamẽta formãtes. Quo circa in eos moleſtè cõcitus eſt Plato q; doctrinæ huius tãtę dignitatẽ ac preſtãtiã ſuſtiliſſent,quæ à cogitatione & rebus incorporeis ad ſenſibilia quędã prolapſa eſſet,quaſi ad ſui vſũ corpore & mercenaria indigeret inertia. In qua re operoſã porrò ac mirificã quoq; Archimedis & Scopinę Siculi Syracuſis induſtriã à nominatiſſimis artiũ ſcriptoribus fuiſſe ſpectatã atq; probatã nõ ambigimus. Multa nanq; organica & gnomonica numero naturalibuſq; rationibus inuenta atq; explicata poſteris reliquerunt,maximã ſibi gloriã prę cæteris vindicãtes. Archimedes præcipue,ærei cõcauiq; orbis & globi cæleſtis inuẽtor. Erat enim ea tẽpeſtate obſeſſis dura obſidione à Marcello Syracuſis,vir ille huius diſciplinæ ſtudio ante alios omnes & doctrina præcellens :admirabilior tamen artifex fabricatorq; muraliũ ac bellicorũ tormẽtorũ, quibus varia miſſilium genera & immenſæ magnitudinis ſaxa incredibili fragore & celeritate iaculata vexant hoſtes,leuiq; momẽto labefactãtur muri & mœnia quãtiũtur, quibuſq; vſus ad obſidionẽ patrię propulſãdã aduerſus romanũ exercitũ & Marcellũ ducẽ vnus Archimedes ex tãtę vrbis ciuiũ numero haud dubie tardiorẽ effecit. Quam tarditatẽ quũ Marcellus tandẽ vrbe potitus victorię ſuę magno impedimẽto fuiſſe cõperiſſet,eius tamẽ egregia opera delectatus,quũ eam vrbẽ diripiẽdã permitteret diſcurrentiũ militũ furori,vnũ de tot milibus ciuiũ vita donatum excipit Archimedem,pluris illũ merito quàm vniuerſũ populũ faciens. Cęterũ in tanto tumultu quãtus captæ vrbis in diſcurſu eſſe poterat,dũ artis ſuæ lineamẽtis & formis quas in puluere ille deſcripſerat totus incubuit,introgreſſus interea vnus ex militibus Ro. inter rapinę ſitim & imperatorii præcepti memoriã hęſitabũdus, ſtricto mucrone ſupra verticẽ cogitãtis vt nomen ſuũ ederet iubebat. Sed is cui oculos atq; aures ingens animi cura cõcluſerat,ferociter percunctãti et quiſnam is eſſet ſciſcitãti,certum aliquid reſpondere nõ curans,oppoſita quin immo tantum manu ne puluerẽ ſibi ſuum cõfunderet obſecrans, militi cõtemptione irato trucidãdi ſui cauſam præbuit. Cuius mortis miſertus dux Ro. immunitatem fruſtra ſibi deſtinatã in affines eius trãſtulit ſibiq; quod vnicũ ſupererat fieriq; potuit,funeris ac ſepulturę curam exibuit. Huius etiã ſepulchrũ ſphæra & Cylindro in ſummo eius ſculptũ & inciſum multo pòſt tempore diſiectum & ſuis etiam ciuibus incognitum inter denſiſſimas vepres obſitum ſe reperiſſe et ignorantibus indicaſſe dum in Sicilia quæſtor eſt Romani princeps eloquii Cicero gloriatur. Hoc itaq; modo híſq; auctoribus oblabantem paſſim & inuulgatam artis huius imitationem fabricandorum induſtria machinamentorum à Geometria delapſa conſpicitur,ac diutius philoſophia neglecta vna militaribus ac mœchanicis artibus inſtrumentis eiuſmodi enumerata ſecernitur.

Per vmbram quoq; turris vel erecti ſti
pitis eorũ altitudo deprehẽditur.

Inanis pila plũbea vel ænea, manu cum ferrea, in hũc modum, quæ in aquã demiſſa cõtinget in profundũ trahi: quod vbi tetigerit, mox reſiliens ſurſum aſcẽdet. Vbi igitur immergi cœperit, cõputa in merſi one ipſa tẽporis momenta, móxque lanceam demittens, pedum alti-tudinẽ vel cubitorũ quãtitatẽ diſtribue, & ſanè quod in minori aqua fuerit inuẽtũ, in oĩ maiori copia index tibi ac certiſſimꝰ teſtis accedet.



ROBERTI VALTVRII

AD ILLVSTREM HEROA SIGIS-

mundum Pandulphum, de re militari

Liber Tertius.

De Astronomia uariáque perquirendorum futurorum arte si qua est.

REstat autem nobis, Sigismunde Pandulphe, profundissimam quandam Matheseos, hoc est, astronomicæ rationis tradere disciplinam, quam multi opportunam maxime putãt ad bellorum futurorum euentus denunciandos. Hanc nanque inter cæteros si non docuit, sectam tamen erroris attigit Lucanus, quum timorẽ Vrbis describeret, bellúmq; ciuile necessariis huius desciplinæ argumẽntis ineuitabiliter appropinquante Cæsare futurum denunciaret. Innuit enim poëta doctissimus, si tamen poëta dicendus est qui vera narratione rerum gestarũ ad oratores vel historicos magis accedit, Saturni malitiam quũ solus in sui domicilii throno resideret emouendam fore, quũ inquit,

Quod cladis genus ò superi, qua peste paratis
Sæuitiam? extremi multorum tempus in vnum
Conuenere dies, summo si frigida cælo
Stella nocens nigros Saturni accẽderet ignes,
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
Totáq; diffuso latuisset in æquore tellus:
Si sæuum radiis nemæum phœbe leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensúsq; tuis flagrasset curribus æther,
Hi cessant ignes, tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda chelásq; perũris
Quid tantum Gradiue paras? nam mitis in alto
Iuppiter occasu premitur Veneriſq; salubre
Sidus habet, motuq; celer Cyllenius hæret,
Et cælum Mars solus habet, cur signa meatus
Deseruere suos, mundóq; obscura feruntur?
Ensiferi nimium fulget latus orionis
Imminet armorum rabies ferriq; potestas
Confundet ius omne manu sceleriq; nephando.
Nomen erit virtus, multosq; exibit in annos
Hic furor.

In hac igitur rerum altissimarum contemplatione si quid huiusmodi occurret quo talium curiosi, stellarum veram possint assequi positionem, vel qualitatem præscire temporum & speculationis suæ iocundissimum fructum capere, tanta

compleri

compleri videntur voluptate vt noſtra hęc omnia externa præcipue,ac fortunæ munera quæ ſinguli tanti faciunt tanquam exigua & minima ab eis contemnantur.Ex hac enim reliquáque perquirendorum futurorum arte, ſi modo ars vlla eſt, potiuſq̃ vaniſſimum cuiuſq; ludibrium, clariſſimorũ philoſophorum ſummorumq; virorum conflictari videmus ingenia: nãq; Democriti totius penè terrarum orbis peregrinatio fuit, patrimoniiq; ampliſſimi diſſipatio, Platonis Diogeniſq; captiuitas & Pythagoræ longa ad varias gentes peregrinatio. Hoſtanes verò & Empedocles ad rabiem non auiditatem modo eius percipiendæ gratia nauigauere,exiliis verius quàm peregrinationibus: hanc reuerſi prædicauere,hanc in archanis habuere: quãquam animaduertam præter hos ſummam quoq; literarum claritatem gloriamq; ex hac ipſa abditarum perueſtigatione rerum antiquitus,& penè ſemper ſpectatam atq; petitam. Talem dico Mileſium Anaxagoram,Clazomenium Xenophanem, Colophoniũ Eudoxũ,Calliſtum,Melonem,Philippum,Euchemenonem, Aratum,Hipareũ: adde his Socratem,Zenonem,Dicearchum peripateticum, Cratippũ, Cleantem,Chryſippum, Antipatrum,Poſſidonium atq; Panætium,plurimoſq; alios quorũ voluntaria paupertas,iniuriarum contumeliarumq; perpeſſio,laborum præterea, itinerum,vigiliarum,algoris,æſtus, inediæque ſuſceptio memoratur: pro quibus eorum aliqui cultus & honores diuinos vel diuinis pares meruerunt, & omnes quam ſemp viui contempſerant,laudem, gloriam & immortalitatem nominis mortui conſecuti ſunt.Nec verò ſolos philoſophos in hac rerum futurarum cognitione tantum ſtudii & diligentiæ contuliſſe, ſed omnes fere nationes, potentiſſimas reſpub,Imperatores quoq; maximos,clariſſimos reges & principes eadem mente & ſententia extitiſſe,vt his ſine quę futura promittũt,quæ varia multiformiáque ſunt,ad maximas rés gerendas nunq̃ ſibi tutè accedendũ putarent. In qua re primi occurrunt Babylonii et Aegyptii,qui quoniam neq; domiciliis tegebantur propter aëris qualitatem,neq; vllis in ea regione nubibus ſubtexitur cœlum,ſolis & lunæ varios curſus,& meatus ſiderum ac effectus ſolo vſu egregie notauere atq; inuenere,quum ea ſæpius ac liberius cæteris intuerentur.Chaldęi deinde vnà cum Aſſyriis diuina cœli obſeruatione ſũmo ſtudio meditationéq; ſcientiam creduntur effeciſſe,qua maximè reliquis antecellerent:dicente Lucano,quis noſcere fibris Fata queat, quis probet aues, quis fulgura cæli Seruet, & Aſſyria ſcrutetur ſidera cura. Aruſpicum autem diſciplina quo pacto in omnem Cariam diffuſa ſit peruenerítque ad Telmeſſum, religoſiſſmam vrbem, in his & in aduertendis oſtentis curioſam atque diligentem non facile dixerim, nec qualiter tranſierit ad Theſſalas vrbes: quam & ipſam Britanni tantis cerimoniis obſeruaſſe dicuntur, vt dediſſe Perſis videri poſſint,apud quos, Magos, doctiſſimum hominum genus Aegyptiis antiquiores floruiſſe Cicero teſtis eſt,& Ariſtoteles in primo de philoſophia libro. Druides habuit quondam Gallia,religionum ſuarum interpretes,qui de ſiderum cœlíque & terræ, mundiq; ambitu & forma,de immortalium deorum vi, poteſtate, & voluptate diſſerebant,& auguriis partim ac coniectura quæ eſſent euentura ſe ſcire profitebantur,quorum diſciplina quanquam in Britannia reperta, atq; inde in Galliam

tranſlata

tranſlata eſſe exiſtimetur,pòſt tamen qui diligentius eam rem cognoſcere voluerunt eò diſcendi cauſa profecti ſunt,vbi annos nõnullos duo de viginti & vltrà conſumpſiſſe memoriæ proditum eſt . Diuinatoribus etiam vtuntur Galatæ, qui apud eos tum auguriis,tum ſacrificiis futura prædicunt, quiq; plurimi exiſtimantur, omni eis obtemperante plebe,quũ verò de rebus magnis conſulũt, mirabilem incredibilemq; ſeruant conſuetudinem. Iugulãt enim enſe hominẽ, quo decidente,tum ex caſu,tum ex membrorum laceratione,tum etiam ex ſanguinis fluxu,ex quadam antiqua rerum obſeruatione futura norunt.Græcia verò,omnium bonarum artium nutrix , vt aliquò nullam vnquam coloniã miſit, ſic quoq; nullum belli genus ab ea,ſine ſuorum numine deorum cœptũ aut ſuſceptum eſt.Quid Hetruria,nónne extorũ inuentrix fuit, ac portentorũ & fulgurũ interpres,híncque præterea vel à thure et ſacrificiis,vel à ſacrifico ritu lingua Græcorũ Thuſcia cognominata ? Phryges prætereo qui auguria inueniſſe creduntur. Cilicum et Arabũ,Piſidarũ, deinde Pãphiliq; et Vmbriæ gẽtẽ miſſam facio, huic vni cognitioni ſemper intentam .Hæc de variis gentium nationibus: Nunc nobilia rerum publicarum ſubtexantur exempla imprimiſq; Athenienſium & Lacedæmoniorum: hi enim augurem regibus ſuis dediſſe collegam & aſſeſſorem, illi verò ſacerdotes quoſdã diuinos, quos vt ait Cicero Mantes appellant,ſingulis eorum publicis concionibus præfeciſſe dicuntur. Quotiens deinde S.P.Q.R.quum armorum crepitus è cælo auditus,quum prodigioſq; lapidum, laterum,ferri,carnis,ſanguinisq; pluuiæ in terram cecidiſſent, quum clypei ardentes emicuiſſent,cæleſtes coronæ arſiſſent , quum è fœminis mutari in mares, quibus omnibus non minima reip.detrimenta imminere ſperabantur, nónne his diſciplinis cum Sibyllinis verſibus vſi perhibentur ? neque his contenti , omnia quoque,quod omnibus in rebus plurimum conducere poſſe arbitrabantur,agendorum ſingulorum initiis,quod bonum,fauſtum,fœlix fortunatúmq; eſſet præfabantur.Calchãtem ſcimus tanto honore apud Græcos habitum ob vnam auſpicii diſciplinam qua profectò excellebat,licet aliis in rebus multis eſſet inferior,vt petentibus Ilion Graiis, innumeroſiſſimæ claſſi præfectus memoretur. Amphiaraus verò & Tireſias tam illuſtres eodem artificio feruntur ,vt primum pro deo colerent , ſecundus non modo viuis hominibus præferretur, ſed defunctis etiam, Homero dicente,apud inferos Tireſiam ſolum ſapere, vagarique reliquos vmbrarum more . Mopſus & Amphilochus reges quoque in Græcia auguriorũ fama percogniti . Hic verò mirari poſſe aliquos præclare video ,vbinam ſcilicet vrbis Romanæ parentem augurem optimũ omiſerim: Sed piget reminiſci,pudet cogitare vrbem Romam omnium terrarum indubitatum caput,auſpicio conditã et florentẽ porrò præpotẽtis populi fortunã auibus credere maluiſſe quàm deo,quũ ſub regibus& imperio cõſulari multis quidem ſæculis nihil abſq; auſpiciis fieri ſolitum ſit, neque comitia,neque Patrum prouocationes,nec equitum conſilia aut peditũ deſcriptiones,nec tota deniq; res militaris. Stupet animus recolens viros illos tam celebres ac magnificos,auium volatibus garritibúſq; ſuccubuiſſe fallacibus: vbinã Martios dimiſerim fratres apud vetuſtiſſimos romanorum hoc in genere celebratos,ſed de his fateor nihil

præter

præter nomen habere me. Prætereo Cassandrã virginem, Priami regis filiam cuius illustris admodum & magnæ rei nuncius furor, Polybũ deinde quẽdam Corinthium de quo est apud Homerum q̃ multis Achiuorum Troiam petentibus & imprimis filio suo, an furore an aliter incertum est, mortẽ prænũtiauit. Ego autem omne quod vel fabula est vel fabulã redolet sciẽs volensq̃ prætereo, Athlantem astrologiæ fuisse peritissimum, deq̃ sphæra primum inter homines disputasse, qua ex re visus est orbem suis humeris sustinere: Zoroastrem verò Bactrianorum regem quem primum magicas artes inuenisse nominatissimi testãtur auctores, nónne vt Hermodorus etiam tradit & Dion in quinto de philosophia libro, & sui nominis interpretatione astrorum constat fuisse cultorem, mundi principia siderũq̃ motus curiosissime spectasse? qua curiosa siderum cognitione atq̃ contemplatione Pericles Athenienſium animos solis obscuratione territos, eiusce causis redditis quas ab Anaxagoræ institutione perceperat, vano trepidantes metu liberauit. Alexandro quoq̃ Darium insequente quum lunæ defectus matutinis horis incidisset, Macedones rati numina sibi indignari, tanta seditione commoti sunt vt armis abstinere decernerent, nec eos cohibere potuisset magni ducis imperium, ni Aristander vates, naturæ rationes absoluisset sicut Dion Syracusanus, turbatis primũ militum animis cum grauissimo & crudelissimo tyranno Dionysio patriam liberaret, Amylta vate docente & cunctis in medium rationem deficientis sideris reddente, non est tali casu deterritus. Arguuntur quoq̃ dissoni lunæ crepitus, cuius pauoris causẽq̃ ignarus Nicias, Athenienſium imperator, veritus, classem & pulcherrimum exercitum portui subducens perdidit, eorumq̃ opes afflixit. Nec alitur L. Sulpitius Gallus qui cos. cum M. Marcello fuit, defectum lunę imminentẽ in L. Pauli exercitu contra Persem regẽ militibus metum adimens fore prædixit. Non me præterit, Iulium quoque Cæsarem Astronomica ratione denos dies obseruationi veterum superadieciſſe, quòd solis meatum partes cccIxv quibus sol zodiacum lustrat efficerent, vt temporum ratio fluctuans facilius congrueret in annum: quam rationem vnico errore comperto, superintercalandis diebus emendauit Aug. & vt est scriptum in Saturnalibus, omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandauit. Neronem principem quoque sceleſtiſtimũ ac crudelissimũ, alioquin artis eius amãtissimũ fuisse cõstat, quæ ex aẽre est et stellis, et aqua & sphæris, lucernis, ac peluibus, inferorũ vmbrarũq̃ colloquiis, multisq̃ aliis modis qui diuinationem promittunt, fortuna sua rerum humanarũ summa gestiente potissimũq̃ imperare diis cõcupiente: neq̃ sum nescius, Adrianum Matheseos adeò peritũ fuisse, vt de rebus suis ad suprenum vsq̃ vitę suæ exitum cuncta perscriberet, diceréque de vero Helio Virgilianũ illud, Ostendẽt terris hunc tantũ fata nec vltrà Esse sinẽt. Prætereo Alexandrum Seuerum Matheseos & aruspicinæ artis peritissimum, Horoscopum quoque summum Auidum Cassium in his quoq̃ nil omittentem. Taceo Variũ Antonium Heliogabalum, qui & Magorũ colloquio vtebatur assiduè. Sunt præter hos qui diuinis numinũ præsagitionibus illustres habẽtur, neq̃ id mirũ quidem, quum singulis hominibus in lucem editis (salua tamen firmitate fatali) Genios esse

quosdam

quoſdã ,eorũ tutelæ, ſalutiq; aſſignatos, veluti actionũ ſuarũ magiſtros ac rectores à nõnullis,paucis quãq;, viſos,multipliciũ virtutũ ſuarũ ſplẽdore cõſpicuis,& Theologi,et Socraticorũ,Platonicorũq; libri ac auctores celebres, Cenſorinus, C.Flaccus,Euclides,Apuleius, Triſmegiſtus,Anneus Florus, Ammianus Marcellinus,ſed Menãder Comicus imprimis et Homerus docuere, quorũ carminibus illud accepimus,Cęleſtes deos cũ viris fortibus haud quaq; fuiſſe locutos,nec affuiſſe pugnãtibus vel iuuiſſe,cęterũ familiares Genios cũ iiſdẽ verſatos,quorũ adminiculis ac pręcipuis admonitionibus freti plurimi dicũtur enituiſſe,Socrates pręcipuè quẽ ſępe dicere ſolitũ nouimus, diuini quiddã numinis ſecũ eſſe qd' Dæmonion appellat cui ſẽp paruerit nũq; impellẽti,ſæpe reuocãti, idq; ſępe accidiſſe,tũ maxime quũ apud duellũ infœliciter ceſſiſſet Lachete prętore,vnaq; ſecũ proinde fugã arriperet ac eſſet in cõpito,nec eò quò reliqui diuerteret:eius rei cauſã ſciſcitãtibus præmonitũ ſe ac deterritũ à deo dixit:tũq; eos q; aliò diuertẽrãt,in hoſtiũ incurſiones incidiſſe.Nec Socratẽ ſolũ,vt diximus,in hac diuina prę ſagione celebrẽ fuiſſe creditũ eſt,ſed Zalecũ et Minoẽm, Cimonẽ,Zoroaſtrem, Lycurgũ et Numam,vt Pyrrhi bello Curiũ Fabriciũ Corruncanũ:primo Punico caratinũ duellũ,Metellũ Luctatiũ ,ſecũdo maximũ Marcellum, Paulũ Garchũ,Catonem ſuperiorem Aphricanum,Lęlium,Syllam,Marium,ac vt nõnulli putant,Cęſarem quoque Auguſtum,multoſq; præterea & præter hos Romanorum. Reſpub.& Græcorum tulit ſingulares viros,quorũ neminẽ niſi iuuante deo talem fuiſſe credẽdum eſt.Quæ ratio poẽtas maximeq; Homerũ impulit vt principibus heroum,Vlyxi,Achilli,Agamemnoni certos deos diſcriminũ et periculorum comites adiungerent.Præterea ipſorũ deorum aliquando pręſentiæ quales ſuprà commemoraui declarant , ab his ſingulis hominibus quibuſdam conſuli , quod quidem intelligitur etiam ſignificationibus rerum futurarum quæ tum vigilantibus tum dormientibus portenduntur . Tametſi quidam talia prorſus tollentes aſſerant nulli ſapientum comparuiſſe deum vel genios,verũ vecordes quoſdã ex imbecillitate homines, in animi horrore aut corporis intemperie conſtitutos,inanes et alienas opiniones attrahere,qui in ſe ipſis eſſe genium , ſuperſtitionem habent : quibus quidem aſſentiendum putarem, Epicuri rationibus defenſus, noſtri mutatiõe atq; deceptione innixus, niſi Dion atq; Brutus,grauiſſimi viri & ſapientiæ ſtudio dediti,nullã p affectionẽ morbũve aberrãtes haud facile captabiles ab ipſo ita diſpoſiti genio fuiſſẽt vt amicis ac familiaribus retulerint : quare periculoſum iter auertẽs haud facile dixerim vetuſtiſſimis ne auctoribus hunc ſermonẽ comprobantibus aſſentiendum ſit,an huiuſmodi homines regna & exercitus reſq;pub . gubernantes atque regentes, familiares genios ac numina ſibi adeſſe dicentes,vt infrenes difficileſq; multitudines caperent nouitate ac magnitudine rei , & opinionem dei vere commenti ſint quæ ipſis illis quorum gratia fingebatur ſaluti eſſet . Quis itaque,niſi mentis inops quiſpiam dicet,non oraculis fidẽ daret,quum videret non modo ſummos philoſophos et humanæ magiſtros vitę,ſed latiſſimas nationes,clariſſimos populos & reges apud Delphos et Dodonam & Ammonem concurrẽtes?quis ſperneret Sibyllas quas ſenatus & po.ro. in extremis periculis conſulebant?quis

ſomnia negligeret quum ſciret vt reliquos ſileã, Lacedæmonios ipſos quos neſcio an proximos Romanis fortiſſimóſque omnium & præſtãtiſſimos viros iudicare velim, vſqꝫadeo ſomniorum curioſos, vt ſcribit Cicero, quòd qui eis præerant non contenti vigilantibus curis, in Paſyphæ fano, quod eſt in agro prope vrbem ſomniandi cauſa excubabant: quia vera inquit quietis oracula ducebãt. Quis deniqꝫ Magos non ſuſciperet, ſine quorum doctrina neminem quantumlibet talibus rebus ornatum ad Perſarum regnũ prouehi poſſe cognoſceret? His & aliis eiuſmodi vt diximus tunc prouidentiæ modis agebatur inſenſata mortalitas, fidens conſultoribus infeſtis, nec dum tempus erat ex tã profundis tenebris emergere, proſequebatur humanum genus tũc diuina vltio, ſicque meritum premebat vt (ſi dici fas eſt) ſuperſtitionibus humanis cæleſtis patientia faueret. Nos verò quibus diuinæ gratiæ ſplendor illuxit, aliud vitæ genus alioſqꝫ ritus decet amplecti, & modum omnem vt eſt cuique tributa prouincia in præpetibus gubernandis, erudiendis oſcinibus, ſpectandis extis, ſomniis conformandis, inſpirandis vatibus, fulminibus iaculandis, ſortibus regendis, cæteríſque quibus futura dignoſcimus dęmonum obſequio & miniſterio fieri arbitrandũ eſt. Etenim deceptionum illudentium plena ſunt, quibus vt turbent omnia & errores humanis pectoribus infundant euenit vt iſtis ſubdolis & captioſis præſcientiæ modis multa futura dicantur, nec aliter ac dicuntur eueniant: quibus implíciti homines curioſiores fiant et ſeſe magis ac magis inſerant multiplicibus laqueis perniciоſiſſimi erroris, quod vt facilius valeant leuiuſqꝫ conſequãtur quod in nos intendunt, edunt illa perſæpe quibus ſtupefacti homines fidem commodent ſimulachris diuinitatis ac numinis: inde fit vt vitam ſæpe turbent, ſomnos inquietent, membra obtorqueant, valitudinem frangant, morbos laceſſant, mentéſque aliquando territent: inde eſt quòd augure Accio Neuio Tarquinii tempore, lapis nouacula inciſus eſt, hinc nonnullis regni futuri ſigna procurantur. Quo fit vt. L. Tarquinio Priſco Romam petenti Aquila pileũ ſuſtulerit & cũ alte ſubuolaſſet, dictu vix credibile, capiti repoſuerit. Quo etiam regnante tradunt Creſſam virginem reliquias quas ex omni regia mẽſa percipiebat ad virgines veſtales ferre conſueuiſſe, obtigiſſéqꝫ aliquando quum igni ſacro eas imponeret repẽte è foco genitalem cinerem viri inſurrexiſſe eámque quę ibi inſederat Tanaquilis reginæ ancillam Creſſam captiuam conſurrexiſſe grauidam, Seruiumqꝫ Tullum natum qui regno ſucceſſit, cui porrò in regia accubãti puero caput arſiſſe viſum creditumqꝫ laris familiaris filiũ, Ouidio in faſtis dicente, Nam que pater Tulli Vulcanus Creſſaqꝫ mater Præſignis facie corniculata fuit: Hãc ſecum Tanaquil ſacris de more peractis Iuſſit in ornatũ fundere vina focum. Hic inter cineres obſcœni forma virilis Aut fuit aut viſa, ſed fuit illa magis. Iuſſa foco captiua ſedet conceptus ab illa Seruius à cælo ſemina gentis habet. Signa dedit genitor tunc quum caput ore coruſco Contigit, inque coma flammeus arſit apex. Hinc quoque ꝙ Iuno Vegenſis migrare ſeſe Romam velle reſpondit, quòd Claudiæ manũ nauis ſecuta perhibetur, ꝙ in ſacrilegos & Iuno nudata & Locrenſis Proſerpina & Ceres Mileſia vindicauit, Herculesſqꝫ de apio. Nec aliter Hannibali ſomnia orbitatẽ oculi cõminãtur. Flaminio extiſpicia periculum

lum cladis prædicant: vel ſerpens, immo verò Dęmoniarches vrbem Romã peſtilentia liberauit Epidauro accerſitus, aut Aeneas oraculorum indicio promiſſam & quęſitam inuenit Italiam, & in ea non tã numinũ q̃ dęmonũ nutu ſedem ſtatuit. Quid aliud agit in ſomnis pater Anchiſes? Quid Iupiter & Apollo qui ambiguitate ſtudent obnubere oracula, vt cum mendaces aut fallaces inuẽti fuerint aliquando rationis velamine ſuam tueri queant fallaciã, ſicq; perditos perdere & deprauatis errorem prauitatis infundere ac fallere non deſinũt donec auditores ſuos protrudãt in præceps; cui à ſæculis vatum profuere reſponſa? Crœſone an Pyrrho vel Laio, aut præcedentiũ aut ſubſequentiun cuiquam? Nonne Crœſus opulentiſſimus Lydorum rex bellũ moturus in Perſas, tali reſponſo fertur illuſus, Crœſus Alyn penetrans magnã peruerterat opum vim. Quo reſponſo, hoſtium ſe vim peruerſurum putans peruertit ſuam. Vtrum autem accidiſſet eorum, verum oraculum fuiſſet. Nihilo purius egiſſe traditur cum Pyrrho qui bellũ Romanis illaturus dum Delphos conſulit, hoc reſponſũ vt ait Ennius accepit, Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe. Demẽs Pyrrhus ſi nõ intelligeret vtra pars viciſſet verum oraculum videri, ſic verſutus artifex texuerat, ſic in omnem euentũ perfugium veritatis occupauerat, hoc inq̃ adeò manifeſtam fallaciam præfert vt quanq̃ ſicut Ennius idẽ ait, ſemper fuerit ſtolidũ genus Aeacidarum, ab eo tamẽ perpẽdi abſq; difficultate potuerit: illud etiam obſcurius quod Crœſum decepit, quod vel Chryſippum potuiſſet fallere. Sic enim apud Ciceronem ſcriptum eſt, cui tamẽ ad poſtremum tota res commẽtitia videtur et hoc à poẽta fictum ſuſpicatur, illud ab hiſtorico, rationes afferẽs: primum enim latine Apollinem nunquã locutum fuiſſe, deinde Pyrrhi temporibus iam iam verſificari deſiiſſe, & hoc vltimũ vt eodem libro permulta irriſiue dictum arbitror: tamen vtcunq; non multum his rationibus moueor, quoniam in latinum tranſferri & in carmen inſeri potuit ambiguitas oraculi, græcis & ſolutis primũ verbis edita: nã ſi ad linguam reſpicio, quæcunq; oraculis dicta ſũt, latine quidem apud noſtros de his græco fonte deſcendunt, græce vel ab Apolline prolata vel ab illis memoriæ mandata, nec linguarum varietas obfuit veritati. Alia igitur me Ciceronis ratio violentius vrget, ait enim hoc Pyrrho reſponſum inauditum græcis, itaq; ſatis credi poteſt hoc ab Ennio, ſuo quodam iure fictum eſſe. De Herodoto autem quem Cicero ipſe patrem hiſtoriæ vocat, quòd ſuperioris oraculi fictor extiterit non tam facile crediderim. In dubio igitur viſum eſt verúmque attingere, & Ciceronianam de hac re non præterire ſententiam. Illud etiam anceps & inopinabile, quod Philippus Macedo ex eodem adyto accepit vt imminens ſibi à quadriga periculum prouideret, quo audito rex anxius diſſolui currus per omnem Macedoniam imperauit. Quin & oppidum Bœotiæ cui Quadrigæ nomen erat vt fatale ſibi perpetuo declinauit, vel vt quidam ferunt iuſſit euerti, fruſtra tamen: aliò nanque minarum ſpectabat oraculum. Capulus enim gladii quo eũ Pauſanias tranſfodit quadrigæ cælaturam fertur habuiſſe. Itaque Tul. eleganter illudit, Neque enim obſcura tantum ſed mendax admonitio, quaſi rex capulo & nõ cuſpide moriturus eſſet. Appius Claudius is qui ciuili bello põpeianas partes ſecutus eſt, de euentu rerũ dubius vicinũ caſtris

qui iam tunc neglectus obmutuerat retentauit Apollinem . Itaq; Perhemonoe quædam templi vates in antrum compulsa solitoq; æstuãs furore fertur in hanc sententiam respõdisse, Magnas huius minas Romane ne timeas: nihil enim ad te,quoniam in pace Eubœæ cola,vel vt quidam alii,latus euboicum possidebis. Lucanus,Effugis ingentes tanti discriminis expers Bellorum Romane minas soluſq; quietem Euboici vasta lateris cõualle tenebis : quo ille responso velut in somnis accepto perplexior discessit inde q̃ venerat,sed non multo pòst apud locum qui Eubœæ cola dicitur ante supremum prælium morbo correptus interiit,ita subtractus bellis & sepulchro cõditus Euboico fidem fecit oraculo. Eodémque modo Laio prædictum est ab Apolline , Caue vetatos liberum sulcos seras, generatus ille mactabit te impie & omnis aula respergetur sanguine . Sed ille quidem vtpote præscius quæ sequerentur sementem iuxta fatum fieri vetabat, sciens in potestate eius positum si abstinere vellet . Laius non vt homo nescius futurorum ab eo qui sciret quid agendum sibi esset scisciabatur,seuit autem non fato eliciente sed victus intemperãtia. Similiter Argiuis per oraculum quęrentibus an aduersum Persas bellum susci pi conueniret,responsum est,Vicinis offensa deo carissima plebs armorum cohibe numina,corporis omne discrimen sola capitis tutabitur vmbra . Sciebat enim quid esset deligẽdum,q́q; optio penes hominem: id verò quod sequitur optionem penes factum . Nero Cæsar post hos portendi sibi mutationem status à mathematicis acceperat, qui in hoc concordes in eo discordabant quæ nam fortuna imperio deiectum exciperet: his Neronis animus eger Delphicum oraculum experiri statuit , sic enim sibi visum est hæsitationem suam ab humano ad diuinum consilium transferri debere: inde sibi responsum est, Annum tertium & septuagesimum caueret: quod quum audisset,homini incõsiderato & vix trigesimum ætatis suæ annum transgresso , tanta securitas incesserat vt iam nihil metuens & prosperitatem & ætatem sibi integram sponderet,quasi ante prænuntiatum tempus ab Apolline moti non posset, eo deniq; est insolẽtiæ raptus vt precios issimis quibusdã rebus maritima tempestate deperditis affirmaret eas ad se vel piscium obsequio reuersuras,talibus intumuerat erroribus quũ subito destitutus ab omnibus & ad turpissimam compulsus est mortem , vtique consiliario dignus Apolline,quàmuis vanissimus ille spiritus mendaciiq́q; parens ne quid ineptius videretur consuetis ambagibus atq; arte prouiderit.Quod ipse Nero suprema illa nocte audito clamore militari suum execrante & Galbæ nomen celebrante, serò licet,quiuit intelligere,& ad infœlicitatis sue cumulũ auctorem oraculum veridicum appellari. Galba enim successor tertium & septuagesimum annũ tunc agebat . Admonet nos aliquis obtrectator quibusdam consultorem istum consulere,quęruntur vtrinq; nostris temporibus sacra sibi interdicta cerimoniasq́q; sublatas,et ob hoc ideo maxime nulla vel perplexa & inextricabilia omnia talium rerum consultoribus responsa dari. Cur ergo longe ante imperiũ Cæsaris ac Christi dei saluatoris nostri natiuitatem sicut ipsorum auctores attestantur abolita pene fuerat Pyt hii oraculi fides,abolita autẽ quia contempta? Porrò autem quare contempta nisi quia vel vana vel falsa vel dubia. Vnde poẽta prudẽter admonuit in-

consulti

consulti abeunt sedemq; odere Sibyllæ. Et ne forte parui id pendant quòd contemptum, abolitũ atq; antiquatum fuit, hoc esse aut numen aut sedem, Apollo ille Pythius erat quem ferunt magno Pythone serpente interfecto magnum vatem totiusq; vaticinationis auctorem & principem hæredem sedis & diuinationis & nominis extitisse, ibique eum reddere responsa elegisse, vbi orta cũ auctore ipsa diuinatio videbatur, euasiunculas autem quærentes dicentésq; vim sedis ac loci euanuisse tractu tẽporis, sic ridet Cicero vt dicat eos non aduertere quod de vi diuiua agitur, quæ si est vtique æterna est: Sed perinde loqui quasi de vino aut salsamento quæ vim suam imminuũt vetustate & paulatim euanescunt. Itaque hęc profitẽtes philosophos superstitiosos & penè phanaticos appellat qui excusationes friuolas ineptiis suis malunt exquirere euanuisse fingentes, quàm veritatem ingenue confiteri & errorem suũ vel serò cognoscere qui diutissime circumuenti sũt super huiuscemodi oraculis, partim falsis vt ipsius Tullii verbis vtar, partim casu veris vt fit in omni oratione sępissime, partim flexiloquis et obscuris vt interpres egeat interprete & sors ipsa ad sortes referẽda sit, partim ambiguis & perplexis oraculis: hi maxime fallunt quorum pręstigias à veritate profani intelligere non possunt. Ideoq; ab ipsis attribui putant et imperia et victorias & opes & euentus prosperos rerum, deniq; cum ipsorum nutu sæpe rempub. constet periculis imminentibus liberatam, quæ pericula & responsis denunciauerunt & sacrificiis placati auerterunt, omnia illa meræ fallaciæ sunt. Nam quum dispositiones dei præsentiant quippe qui ministri eius fuerunt interponunt se in his rebus vt quæcunq; à deo facta sunt vel fiunt ipsi potissime facere aut feciss videretur. Et quotiens alicui populo vel vrbi duci vel principi secundum dei statutum boni quid impendet, illi se facturos vel prodigiis vel somniis vel oraculis vel sortibus cæterisq; id genus vt diximus pollicentur, si sibi honores & sacrificia tribuantur, quibus datis quum id acciderit quod necesse est, sibi summam pariunt veneratiõẽ. Quotiens autem pericula impendẽt ad aliquam ineptam & leuem causam se profitentur iratos, sicuti vno Varroni quòd formosum puerũ in templo Iouis ad excubias tenendas collocauerat et ob hãc causam Romanum nomẽ apud Cannas penè deletum: quòd si Iuno alterum Ganymedem verebatur, cur iuuẽtus Romana luit pœnas, vel si dum tantummodo duces vel principes curant cæteram multitudinem negligunt? Cur Varro solus euasit qui hoc fecit, & Paulus qui nihil meruit occisus est? Itaque siue periculum quod imminet vitari potest, videri volunt id placati auertisse, siue nõ potest id agunt, sicq; sibi apud homines qui eos nescium auctoritatem pariunt ac timorem, his versutiis & his artibus noticiam veri dei trini & vnius apud omnes gentes inuerterunt. Harum igitur disciplinarum obseruationibus superstitiosis, quæ ad cognitionem siderum coniunguntur societas dæmonum formidanda atque vitanda est, neque illos ab hoc genere superstitionis segregandos puto, qui ab ipsa Chaldæorum natione profluxerunt: quod propria est eorum genealogiæ ratio vt possint antea facta futuráque ex ratiocinationibus astrorum explicare, hoc est, quos effectus habent sidera duodecim, stellæ quinque, sol & luna ad humanam rationem conferre: Cuius rei primus Berosus insula & ciuitate

Coho consîdens,ibi aperuit disciplinam , postea studens Antipater,iterumqꝫ Achinapolus qui etiam non enascentia sed ex conceptione rationes explicatas reliquit.Hi enim quanquam veram stellarum positionem quum quisqꝫ nascitur consectẽtur & aliquando eam perueſtigent, per eorum inuentas conscriptasqꝫ regulas,tamem ꝙ inde conantur vel actus nostros vel mores vel euenta prædicere,nimis errant profecto,nimisque magna dementia detinentur,& quos non solum christianæ religionis instituta ac fidei nostræ lumina,verum multa quoqꝫ veterum poëtarum, philosophorumꝙ illustriũ, clarissimorumꝙ ducum & imperatorum dicta confutent,ex quibus est illud imprimis sacris in literis ad Moysen annotatum,Quando ingressus fueris terram quam dominus deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationem illarũ gentium, ne inueniatur in te qui lustret filium aut filiam suam ducens super ignem,aut qui ariolos scisciteturꝫ & obseruet somnia atqꝫ auguria, ne sis maleficus vel incantator,ne pythones consulas & diuinos & ne quæras à mortuis veritatẽ.Omnia hæc enim abominabitur,& propter huiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo,perfectus eris & absqꝫ macula cum domino deo tuo : gentes istæ quarum possidebis terram augures & diuinos audiunt, tu autẽ à domino deo tuo aliter institutus es. Quis ergo dubitet hæc non modo capitalia sed fidei peruersionem,quæ tanta diligentia diuina explodit sententia? Et illud quidem Leuitici,Non augurabimini nec obseruabitis somnia nec declinetis ad magos nec ab ariolis aliquid scisciteminiꝫ vt polluamini per eos: vir enim in eodẽ inquit, siue mulier in quibus pythonicus vel diuinationis fuerit spiritus morte moriatur,lapidibus obruãt eos & sanguis eorum sit super illos . Nec minus ad Romanos apostolicis verbis expressum: Quis enim cognouit sensum domini,aut quis cõsiliarius eius fuit? Est quoque illud diuinum ac cæleste consilium,Altiora te ne quæsieris & fortiora te ne scrutatus fueris: Sed quæ præcepit deus tibi illa cogita semper et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.Non est enim tibi necessarium ea quæ tibi abscondita sunt videre. Non est vestrum,alibi scriptum, nosse tempora vel momenta quæ in patris potestate posita sunt.Annunciate quę futura sunt inquit Isaias,& sciemus quia dii estis vos.Simile est illud Ecclesiastici, Ignorat homo quod ante se fuerit & quod post futurum quis ei poterit indicare? Quid aliud illud Sapientiæ asserit? Cogitationes enim mortalium inquit timidæ sunt & incertæ prouidentiæ nostræ, corpus quod corrumpitur aggrauat animam & terrena inhabitatio deprimit sensum,multa cogitantem: & difficile existimamus quæ in terra sunt & quę in prospectu sunt inuenimus cum labore,quæ in cœlis sunt autẽ quis inuestigabit: sensum autem tuum quis sciet,nisi tu dederis sapientiam & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis? & sic correptæ semitæ eorũ qui sunt in terris & quæ sibi placent didicerũt homines. Atqui teste Firmiano non hoc idem faciunt philosophi qui disputant in cęlo quid agatur,& eo semper impune id facere arbitrantur quia nullus existit qui errores eorum coarguat: quòd si existimarent descensurum aliquem qui eos delirare & mentiri doceret , nunquàm quicquam de his rebus quas scire non possunt disputarent.Nec tamen ideo fœlicior putanda est eorum impudentia & audacia quia non redarguuntur . Redarguit

enim

enim deus cui sola veritas nota est licet conuenire videatur eamq; hominum sapientiam pro summa stulticia cõputat. Linquo Augustini & Ambrosii operosissimos validissimosq; tractatus ac disputationes lõgissimas quas nec tempus exigit nec recipit locus nec requirit quisquis aliquantulum legendo profecerit, notę nempe sunt: vnam Augustini veram nescio an breuem magis proferam sententiam ex eo libro qui de dei ciuitate inscribitur, His omnibus cõsideratis inquit, non immerito creditur quum astrologi mirabiliter multa vera respõdent occulto instinctu fieri spirituum non bonorum quorum cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus atque firmare non horoscopi mutati & inspecti aliqua arte quæ nulla est. Alteram Ambrosii ipsius ex eo libro quem de obitu Satyri fratris nobis luculẽta oratione reliquit: eius enim verba sunt hæc, De solis cursu cæliq; ratione philosophi disputant, & sunt qui putant his credendũ qũum quid loquantur ignorent, neque cælum ascenderunt axem dimensi, nondum oculis perscrutati sunt: quia nullus eorum cum deo in principio fuit, nullus eorum de deo dixit quum pararet cælum cum ipso eram & eram cum eo cuncta componens. A diuinis prẽter hæc ad humana descenden ti permulta se ingerunt illustrium poẽtarũ dicta his satis cõsentanea, è quibus illud primum antiquissimum & acerrimum apud Homerum proferendum: Iuppiter inquit non mortalem hominẽ non è communi grege deum aliquẽ, sed Iunonem illam suam coniugem ac sororem reginamq; deũm graui comminatione deterret ne secretum suum intimũ auderet inquirere aut sciri posse præsumeret: post hunc duo literis demandata sunt. Duorum quoque in illa prima ætate poẽtarum illustrium, Pacuuius, Nam si quæ ventura sunt præuident æquiparãt Ioui. Rursum idem poëta istis qui linguam auiũ intelligunt, plúsq; ex alieno iecore sapiunt quàm ex suo, magis audiendum quàm auscultandum censeo. Accius, Nihil quoque credo auguribus qui aures verbis ditant alienas, suas vt auro locupletent domos. Quartum his Enniũ addiderim qui vetusta illa & venerabili facundia hos ipsos eleganter irridet, vt verbis etiam suis vtar, Qui sui quæstus causa falsas suscitant sentẽtias. Non enim sunt hi aut scientia aut arte diuini sed superstitiosi vates impudentesq; arioli aut inertes aut insani aut quibus egestas imperet, qui sibi semitam non sapiunt, aliis demonstrãt vias: quibus diuitias pollicentur, ab ipsis drachmam ipsi petũt. De his diuitiis sibi deducant drachmam, reddãt cætera. Addo quinto loco spectatæ authoritatis grauitatisq; poẽtam doctissimum Flaccum Horatium dicentem, Prudens futuri temporis exitum caliginosa nocte præmittit deus, Ridetq; si mortales vltra fas trepidant necnon illud quod adest memento componere æquus, & quid sit futurum cras fuge quærere: Et quem fors dierum quem quæ dabit lucro appone. Est & illud eiusdem quoq; poëtæ ad Leuconoen, Tu ne quæsieris scire nefas, quem mihi quem tibi finẽ dederint dii Luconoe, nec Babylonios tentaris numeros vt melius quicquid erit pati seu plures hyemes seu tribuit Iuppiter vltimam. Lucanus inter hos sextus his verbis accedit,

Sit subitum quodcumque paras, sit cæca futuri
Mens hominum fati liceat sperare timenti.

Statium

Statium his ſeptimũ aggregauerim, Quid craſtina voluerit hora ſcire nefas homini. Vltimo in loco ſequitur hos Iunius Iuuenalis Aquinas & his verbis,

Spondet amatorem tenerum vel diuitis orbi
Teſtamentum ingens calidæ pulmone columbæ
Tractato Armenus vel Comagenus Aruſpex
Pectora pullorum rimatur & exta catelli.
Interdum & exta pueri faciet quod deferat ipſe
Chaldæis. Sed maior erit fidutia quicquid
Dixerit aſtrologus credent à fronte relatum
Amonis: quoniam delphis oracula ceſſant:
Et genus humanum damnat caligo futuri

Hæc religionis noſtræ inſtituta & illuſtriũ dicta poëtarũ illis ſimilia ſubſequuntur & philoſophorum ſententiæ, Socratis potiſſimum qui in hoc cæleſtium ſcrutinio & cauſarum abditarum indagatione cęteris cordatior fuit, quum hæc intelligeret non poſſe inueniri, celebre illud ab omnibus probatum in medium nobis attulit, Quod ſupra nos nihil ad nos, ſicq; proinde ab omni phyſica quæſtione diſputationem ſuſpendens eò ſe contulit vt in virtute atque officio omnis eius verſaretur intentio. Itidem Democriti phyſici non ineptus præ cæteris contra tales iocus, quod eſt ante pedes nemo ſpectat, cęli ſcrutantur plagas: facetiſſimáque illa Ciceronis irriſio temere diſputantium, nullaq; de re dubitantium tanquàm modo deorum ex concilio deſcendentes quid ibi agatur oculis ſuis aſpexerint auribúſque perceperint. Sanè vt idẽ inquit Cicero & in ſenectute ſua horæ quidem cedunt & dies & menſes & anni nec præteritum tẽpus vnquàm reuertitur, nec quid ſequatur ſciri poteſt. Sunt & aliæ contra hæc hominum portenta, philoſophorum clarorum ſententiæ, inter quos Fauorini eſt illa melius & vrgentius cæteris quos legere potui philoſophis futurorum noticiam facillime repudiantis atque dicentis, Nihil enim ab illis audiri poſſe dicebat niſi graue atque moleſtum: quoniam aut vera reſpondebunt quod rariſſime ſolent: ſi quidẽ mala miſeriam ante tempus afferre & ſuperuacuam ſolicitudinem: poſita enim illic veritate, adeſt hinc neceſſitas. Ita nihil præciſe niſi doloẽ poſcenti reddere libet hoc loco ſuſtinere, & quod communis rerum natura non patitur tentare maior ſine offenſione poſſit interſeri, hoc eſt, Fauorini, M. T. cuius hæc ſũt, vt omittamus ſuperiores. M. Craſſo putas vtile fuiſſe tum quum maximis opibus fortunisq; florebat, ſcire ſibi interfecto filio Publio exercitúque deleto trans Eufraten cum ignominia & dedecore eſſe pereũdum? An Cn. Pompeium cenſes tribus ſuis conſulatibus, tribus triumphis maximarum rerũ gloria lætaturum fuiſſe ſi ſciret ſe in ſolitudine Aegyptiorum trucidatum iri, amiſſo exercitu, poſt mortem verò ea conſecutura quæ ſine lachrymis non poſſumus dicere? Quid verò Cæſarem putaſſe ſi diuinaſſet fore vt in eo ſenatu quẽ ex maiori parte ipſe cooptaſſet in curia pompeiana ante ipſius Pompeii ſimulachrum tot centurionibus ſuis ſpectantibus, ac nobiliſſimis ciuibus, partim etiam à ſe omnibus rebus ornatis trucidatus ita iaceret vt ad eius corpus non modo amicorum ſed ne ſeruorum quidem quiſpiam accederet,, quo cruciatu animi vitam acturum fuiſſe? & certe

ignoran

ignorantia futurorum malorum vtilior est quàm scientia,Hæc Cicero. Possem ego antiquos & fortunatissimos ætatis nostræ viros in huius sentẽtię testimonium vocare, sed nec necesse,nec locus hic longiorem digressionem recipit,& attigisse videtur ille clarissima:sin autẽ vt ad Fauorini argumentationẽ redeat oratio, bona pronũtiant, duplex incommoditas,expectationis tędium,& pręcogniti gaudii extenuatio :quod repentinũ,gratius ac cumulatius obuenisset. Aut falsa dicẽt, quod q̃ familiare & frequẽtissimũ apud eos est:et si erũt infęlicia,angoribus falsoq; metu:si fœlicia, inani spe & gaudio tristiciaq; vbi te delusũ senties torqueberis.In omnẽ igitur euentũ hos nugatores sycophãtas cõtemnendos fore, ad hanc fere sententiam vt præteream Dicearchum qui expedire omnia nobis futura nescire magno volumine concluſit, Anaxarti philosophi ratione cõpellor.Is enim quum in Byrsam vrbem trans Eufraten omissam traiecisset Alexander , ibi eũ vt antea persæpe monuit,vt tãquàm falsa & incerta Magorũ prædicta contẽneret:nec ab re. Nam si fatis inquit ò Alexãder cõstent quę prędicuntur,ignota esse mortalibus:si vero naturæ debeantur,immutabilia quidẽ esse.Simile & illud Demonactis etiam philosophi qui vatẽ semel intuens publica mercede responsa præbentem,nonne vides,inquit,cuius rei mercedẽ flagites?Si enim tibi potestas à Ioue est eorum quæ fatali lege sunt constituta aliquid commutandi , quodcunque id est quod flagitas parum sane est : sin autem dei nutu & voluntate posita sunt omnia,quid tuum nos vaticiniũ iuuare potest?Demosthenes Græcorum armis ac tanta & tam prompta virorum potentia confisus,neq; mentem adhiberi oraculis,neque vaticinia audiri permisit,Epaminundam memorans & Periclem illa semper formidinis & ignauiæ velamenta putasse. Saluberrimũ & memorabile est illud omnibus horis Halicarnasei excellẽtis in astrologia,& in regendis suis ciuibus principis præstãtissimi,totum id quod est Chaldaicum prædicãdi genus repudiantis. Magnus quidam vir ecce superuenit,prę-missis omnibus fide non inferior , Cato ille rigidus qui mirari se ait q; non ridet aruspex aruspicem quum viderit, quod dictum ad omnes ęquè augures , sortilegos,coniectores,chaldęosq; &mathematicos ac totam denique manticen cõuerti potest. Spectatis enim tot ineptiis quibus credulis homunculis illudunt, occursus profecto memoriam & risum ex mutua conscientia mouere deberet . Quàm illud quoque eleganter?quum esset consultus à quodam, monstrum ne esset à soricibus corrosas sibi caligas quum diceret,Respondit non esse id monstrum,sed verum monstrum habendum fuisse,si sorices à caligis roderentur. Quod sequitur non minus profecto,sed magnificum ac succi & pensi plenum.Nã quũ apud Prusiam Hannibali exultanti & auctori committendi prælii pugnari placeret, ac ille negaret,quòd exta prohiberent , An tu Prusia inquit Hannibal vitulinæ carnis mauis quàm imperatori veteri credere?breue sane atque amplissimũ tantóque principe dignum verbum,vt pote qui Hispaniam,Galliam,Liguriam,Italiam denique laceratam in faciem eius effuderit,vnius hostiæ vilissimæ ac sordidissimæ exta tot monumentis ac victoriis rerum præponi indignũ ferens. Quid aliud Cæsar quum à maximo augure & doctissimo aruspice pręmoneretur ne in Aphricam ante brumam nauigia transmitteret , non ne illius dictum nihili faciens

ciens transmisit? quod ni feciſſet, omnes aduersariorũ copiæ conueniſſent. Econtrario Regulus nónne auguria seruauit & captus est? & Mancinus religionem tenuit & sub iugum missus est? Pullos habuit Paulus, & apud Cannas tamen cæsus est. Hæc & horum similia quæ confirmãdis auspiciis & id genus erroribus afferuntur, tam inepta, tam friuola persæpe sunt vt multis quidem M. Marcelli illius quinquies cos. probandum summopere consilium videatur, qui quũ esset imperator & augur optimus, totum hoc militare auspiciũ omiserit: à quo ne prępediretur lectica opertus, nec ab re, iter facere solitus: vir enim fortis & sapiẽs desperabat posse inuulgatam diu & imbibitam ac ossibus inhęrentem opinionem aperta fronte discutere. Non eò vsque tamen Marcello assentiendum, nec auspicia omnino ita repudianda reor vt res magnas nullis vnquàm credam signis vel auspiciis præueniri, quum et volatus auiũ dirigat deus, vt rostrũ sonans, aut præteruolans penna, turbido meatu vel leni, futura præmonstret, vt theologi veteres & clari quidam auctores testes sunt. Ouidius in fastis,

Non ego te quàmuis properabis vincere Cæsar
Si vetat auspicium signa mouere velim.

Sint tibi Flaminius Trasimenaq́ littora testes,
Per volucres signa multa mouere deos.

Verùm præclare de hoc quoque vt de aliis Cicero, Signa inquit ostendũtur ab his rerum futurarum: in his si quis errauerit, non deorum natura sed hominum coniectura peccauerit. Nec etiam postremo præter hæc rerum futurarũ signa est, quod ratione signorum vel planetarum certiores hi futurorũ nuncii de singulis quibusq́ polliceri possint vel audiri: in sepem nãq́ sideribus de quibus antè dixi mus & quæ ab incessu vocamus errãtia quũ errent tamen nulla minus, certę cõsiderationis nihil habent nisi secundũ cõmune regimẽ in mũdo eis debitũ intelligentiã septuplicẽ substantia extra consistente virtute sibi coniunctam. Scimus etiam, ne horũ audaciam per singula prętereamus intactã, eos fateri solitos quòd quisquis aquarii signo in lucem editus sit, piscatoris ministerium sortiretur. Cæterum piscatores quum Getulia non habeat, quis eorum dicere ausit, quia nemo illic in stella aquarii nascitur. Rursum quũ plurimos quos nasci signo libræ norint, trapezitas fore prędicent, quos multarum gentium prouinciæ ignorant, fateantur necesse est aut in eis hoc signum deesse, aut effectũ fatalem nullo modo haberi. Persarũ autem ac Lacedæmoniorũ reges quum per genus dominẽtur, regumq́ filii vno eodẽq́ sidere cum seruis cõtinue degentibus nati ad regnũ ꝓficiant, quid rationis habent vt serui qui secũ iisdẽ momentis horarũ ac temporũ fuerant geniti omnino in seruitute cõmorentur? Homines etiã diuersarum regionum, diuersarũ ætatũ, sub variis & diuersis siderũ motibus geniti, si aut oppidorũ expugnationibus, aut collatis signis, eadẽ classe fluctibus obruantur, vel alio quouis modo, eodem tamen genere mortis eodemq́ momento temporis interierunt, vt in Cannẽsi pugna contigit, quomodo momenta nascendi singulis secũdum istos attributa suas leges habebunt? Aduersabitur horum iudiciis vastitas forsan immensa altitudine, discreta in duo & septuaginta signa per rerum aut animarum effigies, in quas digessere cælum periti. Posse etiam fieri credibile est,

ex

ex infinito ſtellarū numero, vt alia ſigna pari,maiore, vel minore poteſtate ſint, ſine quibus recta ac perpetua obſeruatio perfici non queat : neque eos homines cernere poſſe,neque percipere exuperantiam vel ſplendoris vel altitudinis,quum & quædam ſidera in quibuſdam terris conſpiciantur,earumq; terrarum hominibus nota ſint , eademq; ipſa ex omni terra alia non videantur, & ſint aliis , vt Canopus,omnino ignotiſſima.Eſt enim id ſidus ingens noctibus lucens,clarum & maxime mirum,cuius ſi aliunde fides abeſſet M. Manilius libro primo aſtronomicon præcellentiſſimus teſtis accedit: idcirco inquit,terris non omnibus omnia ſigna Conſpicimus, nunquam inuenies fulgere Canopum, Donec hiliacas per pontum venerit oras.Quum itaq; cōſtet rerum ambiguitatem confuſionēm que dānoſam ex taliū potius diuinationis prænunciatione generari, quàm certam,cōducibilē conſultoribus cognitionē,quū nihil rite cernant,nihil percipiāt, nihilq; veniat horum quæ iſti lubricis & fallacibus cōiecturis delirantes ac velut ebrii pollicentur(niſi rarum forte aliquid,aut fortuitum,qualia etiam aliquādo ementiri volentibus elabuntur & excidunt)nullo pacto,Sigiſmunde Pādulphe, vtendum eſſe tibi reor iſtiuſmodi ſuperſtitioſis hominum iudiciis: quorum diſciplinas tute optime calles,ſtudiis indulges,ingeniis faues,vt argutiis apprime delectaris: maxime quum clariſſimos quoſque ætatis viros mathematicos,horoſcopos ſummos & aſtronomos more maiorū domi & militiæ ad futura pręſagienda te ſemper penes habueris & habeas. Tantorum itaque virorum,tam erudi torum,tam illuſtrium exemplis & auctoritate, ac rationibus fretus,non iniuria dixerim diuinationis artem qua quis de futuris omnibus ſoli deo cognitis ad interrogata ſingula vera reſpondeat,aut omnino nullā eſſe(quod Socrates & eum ſecuti antiqui Academici quos eoſdem & Peri ripateticos nominamus aſſerunt)aut eſſe,ſed nōdum ſcitā, aut opinionem quandam, proinde vanam hominum coniecturam atq; iudicia quàm maxime fallentem.

Finis Tertii.

ROBERTI VALTVRII

AD ILLVSTREM HEROA SIGISmundum Pandulphum, de re militari

Liber Quartus.

De legibus Cap. I.

Vm quoque, Sigiſmunde Pandulphe, neceſſe eſt quem aliis ducem & imperatorem præfecimus, non harum quas modo dixi mus bonarum artium inſtitutis ſolum, verum & legitimi iuris & more maiorum, cerimoniarum & ſacrorũ erga deos & contentionum controuerſiarumq; inter homines dirimẽdarũ iudicem, ac belli primum iuſte gerendi dominum eſſe: bellũ enim iuſtum eſt, vt in repub. inquit Cicero, quod denũciatum & indictum, atque hoc ipſum quod aut repetundarum aut propulſandorum hoſtiũ cauſa geratur: legitimi iuris munus etiam dicimus ea iubere quæ ſunt viri fortis, vt non deſerere locum in acie, non fugere, non arma abiicere: & ea quæ ſunt temperãtis, vt non committere adulterium, non flagitiũ facere: & ea quę ſunt manſueti, vt non pulſare, non iurgia exercere: eodem modo ſecundum alias virtutes, & vitia, has iubere, illa vetare. Eſſe etiam præter hæc quædam belli iura, vt ineundæ pugnæ ſolennitatem ſeruare, decreta publica, fœderum percuſſionẽ, religionem ſacramẽti, militum animaduerſionem, dignitatem, ac præmiorum & honorum gradum. Quædam porrò eſſe quę vti facere ita pati ſit fas, vt ſata exuri, dirui tecta, prędas hominum pecorumq; agi, aliáque id genus quæ de ſingulis cauta ſunt legibus, in quarum editione ſunt qui putent Zeleucum, alii Rhadamanthum ſiue Lycurgum putant: quidam omnium priorem Cererem, quæ frumenta, quum antea glande veſcerentur inuenit: molere quoque & conficere in Attica, & alia in Sicilia, ob ibq; dea iudicata, vt Carcinus tragędus in ſuo poẽmate affirmat. Hãc alii gloriam illi gentis hæbreorum duci ſummóque philoſopho Moyſi tãquam veritati magis conſentaneum facile conceſſerunt. Lycurgus enim & Zeleucus, omnésque qui apud Gręcos mirabiles ſunt recentes atq; nouelli, quantũ ad hunc ipſum Moyſen comparati, eſſe noſcuntur, quoniam nec ipſum nomen legis, fuiſſe olim apud Græcos agnoſcitur, & teſtis Homerus eſt, qui nuſquàm in diuino eius opere hoc vſus eſt nomine. Non enim ſecundum legem, ſed indiffinitiuis ſententiis & regum pręceptionibus populus regebatur: vnde etiam multo tempore permanſere tantum moribus vtentes, & non ſcripto, & multa horum ſemper ſecũndum euentum caſuum permittentes. Phoroneus etiam ipſe ſecundus Argiuorum rex à quo forum forenſéq; dicẽdi genus deductum putant, vt Argiui certa lege ac iudiciis regerẽtur, ſexcentis ante bellum Troianum ferme annis inter Græcos primus ante omnes effecit, ſi modo illa quæ apud Platonem in Timæo

Critias

Critias ex Solone commemorat de legibus atticis multis annorum milibus ante Phoroneum, fabulosa & commentitia esse credamus. Nec me præterit apud priscos Græcos Isidem legiferam appellatam, tanquam primam legum inuentricem. Aegyptiis autē prima scriptarum legū monumenta, Mina rex siue Trismegistus dedit, quem fortasse quispiā in philosophorū numero computet, quanquam in deos relatus Mercurii nomine ab Aegyptiis honoretur. Secūdus apud Aegyptios legūlator dicitur, vir prudētia excellens, Sasochis, hunc & ad deūm religionē cultumq; multa prioribus legibus addidisse perhibent. Tertium Sesoosim regem tradunt, qui ad rem militarē & belli munera plurima cōtulit institutis suis. Quartus scribitur rex Buchoris tulisse leges sapientia ac vsu rerū expertus, qui & vitæ regum leges dederit, & commercia hominum iudiciáque constituerit: post hūc legibus multa addidit Amasus rex, quem tradunt & de his quæ ad monarchas pertinēt, déque omni Aegyptiorum œconomia præcepisse. Minos mare obtinuit & paulo antè Troiam captam Cretensibus leges dedit, vt Paradius memorat, quod Plato falsum esse conuincit. Spartanis verò qui & Lacedæmonii sunt, Lycurgus primus leges ex Apollinis, vt áiunt, auctoritate cōfinxit. Et quanquam leges scriptas nullas Lycurgus tulerit, vt alii perhibent, vnam tamen ex his quæ rhetræ appellantur afferam, quæ in hostes militare prohiberet ne sæpe pugnando consuefacti bellicosi redderentur. Qua in re Agesilaum regē maxime posteriori tempore accusant, vtpote qui continuis & frequentibus in Bœotiam incursibus ac pręliis Thebanos resistere Lacedęmoniis edocuerit. Quare saucium Antalcides quum intueretur, pulchram tuæ doctrinæ merecedem inquit à Thebanis recipis, qui nolentes ipsos neque scientes pugnandi peritiam docuisti. Huiusmodi sanctiones rhetras libuit appellari, quasi ex deo decretæ de íque oracula quædam essent. Epirotis Ariba Epirotarum rex vnus ex posteris Pyrrhi, Achillis filii, leges, senatum, magistratus annuos, & politicę vitæ formā primus instituit. Arianeis Chatharactes, Getis Zamolxis. Pittacus Mitileneis q ad sexcentos elegos versus, & carptim de legibus ad ciues conscripsit. Fuit & alter Pittacus legifer, cuius & Fauorinus & Demetrius meminit. Athenięsibus verò à quibus iura & leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur, tulit rigidissimus Draco, quas & hoc ipso mitior Solon, sapiens vnus è septem, & legū scriptor, propter asperitatem magnitudinémque pœnarum abrogādas curauit: vna enim fere omnibus mors pœna prædiffinita erat, vt etiam qui otii damnati essent capite plecterentur: & eis qui olera aut fructus surripuissent, idem supplicium quod peculatoribus aut homicidis cōstitutum esset. Ob quam causam illud Demadis à doctis probatur, qui Draconem non atramento sed sanguine leges descripsisse dixit. Inter Solonis autē leges quas plures fuisse cōstat, ac omnes quidē sapiētissimè latas, illas præclare statuit, quibus athletarum quoq; pręmia castigata moderatione correxit, & ei qui Olympia vicisset quingētas drachmas, qui verò in Isthmo, ei centū dari cōstituit, eadēq; ratione in certaminibus & prœliis qui succubuissent præmiis esse illustrandos, eorúmque filios publicè enutriendos educādosq;, quo sane animati singuli, fortiter ac strenue in bellis dimicabāt: sic Polyzeus, sic Cyneagirus, sic Callimachus, sic omnes qui in Marathonis expu

gnatione pugnauerunt:sic præterea Armodius, Aroſtogiton,Mylciades, innumerabiléſque alii: maxime autem Alexis comicus Athenienſes inquit, oportere ideo laudari, quòd omnium Græcorum leges cogunt parentes à liberis ali, Athenie̅ſium non omnes,niſi eos qui liberos artibus erudiiſſent.Fuit etiã quandoque in Macedonia lex,eum qui nullum hoſtem interfeciſſet,capiſtro cingi debere.Et apud Scythas,in bello vbi primum quis homine̅ deieciſſet,eius ſanguinem bibere, neque aliter participes prædæ fieri conſueuiſſe niſi ad regem necatorum omnium capita detuliſſent:quæ nonnunquam (horrendum dictu) purgantes deaurantéſque ad pocula deferebant . Non licere etiam eorum cuiquam ſolennibus epulis pateram circumlatam accipere,niſi ei qui aliquem ex hoſtium quoque numero de medio ſuſtuliſſet : apud Gallos ſic etiam puberes omnes & armatos communi lege cogi ad bellum ſolere,vt qui ex his nouiſſime adueniret, in conſpectu circũfuſæ multitudinis affectus omni genere cruciatus necaretur. Atque vt ab externis ad domeſtica aliquãdo redeat oratio,quis neſcit Italis leges dediſſe Italum quendam Oenotriæ regem , à quo mutato nomine pro Oenotris Itali ſunt vocati , orámque illam maritimam Europæ quæ eſt inter Syllaticum & Lameticum ſinum Italiæ nome̅ primo cepiſſe ? Hunc ergo Italum periti quidam tradunt agriculturam Oenotros docuiſſe , quum prius eſſent paſtores vagi ac palantes,illiſq; comeſſationes inſtituiſſe primum,legesq; poſuiſſe,quas itidem nõnulli & quidem docti non Italum Italis,ſed Saturnum :Romanis verò Quirinum.Nam quum agreſti quodam more in Italia etiam viueretur,is genus indocile & diſperſum mõtibus altis Compoſuit legesq; dedit, Latiúmque vocari Maluit his quoniã latuiſſet tutus in oris.Hic verò quum poſt fratrem interemptum, ſolus potiretur imperio,iura dedit populo,nec re aliqua prẹter quàm legibus coaleſcere multitudinem vnum in corpus arbitratus eſt: populum itaq; Ro.qui noua tunc paſtorum conuenarumq; omnium colluuione collectus erat , Romulus in partes triginta diuiſit,quibus quoque additæ ſunt quinque , eaſdémque curias placuit appellari,quòd publicas curas gerebant,quum in illis vniuſcuiuſq; partis populi Romani quid gereretur: ita vt in ſua quiſq; curia, ſacra publica faceret feriáſque obſeruaret,quibus ſingulis curiis, Curiarũ nomina virginũ impoſita eſſe dicuntur,quas virgines quondã Romani de Sabinis rapuerãt : qui verò eis conſulerent,ex populo nobiliſſimo centum ſenes delegit,quos ob ẹtatem Senatores , ob pietatem & in ſimilitudinem curæ Patres nominauit , quorúmque filii Patritii ſunt appellati . Tres equitũ deinde centurias inſtituit, quas ſuo nomine Ramnes, à T.Tacio Ticienſes,à luci communione Luceres,quãquam huius denominatio auctore Liuio incerta eſt,appellauit. Equites item armatos trecẽtos, qui Celeres vocarentur, tum pace,tum bello ſui ad cuſtodiam corporis , Tribunum etiam qui eis præerat appellauit. Reliqua verò multitudo regem in bellum euntem ſequebatur pedes,vniuerſos autem Milites appellabat.Non enim vti poſtea atque in præſentia ornati aureis calcaribus & aureo cingulo , ſed qui erant in exercitu equites & pedites , vulgò ſimul omnes ſine diſcrimine apud veteres ſunt milites à militandi conſueudine appellati : hunc deinde Romulum ſecutus Numa PompiliusPomponii filius, è Curibus Sabinorum oppido accitus

ad

ad regnum qui Romanum populum vtpote ferreũ religione molliuit, fidem pacis ac belli docens, ſacris pluribus per eum inſtitutis: nam Veſtæ fecit ædem & portas Iano gemino ędificauit, augures, flamines tres, Dialem, Martialẽ & Quirinalem & Salios Martis ſacerdotes: pontificem maximum creauit, leges plures tulit, ceremonias cultumq; deorum omnium immortalium, ob quam tantam iuſticiam & religionem nemo ei bellum inferre auſus eſt. Excipit Numam Pompilium Tullus Hoſtilius Romulo fortior, qui populum iam quieti & legibus aſſuetum ad bella & arma reduxit: idem omnem militarem diſciplinam, artemq; belandi condidit, ac debellatis Etruſcis, ſellam curulem lictoréſque & togam pictã atq; prætextam, quę inſignia magiſtratuum Etruſcorũ erant, primus vt Romæ haberentur inſtituit: huic ſucceſſit Ancus Martius, Numę Pompilii ex filia nepos, ac religioni auitę quàm ſimilis: hic vt bella geri aliquo ritu, pie ac ſancte indici videretur, cerimonias lege quadam inſtituit, quibus Fecialis & Pater Patratus qui eſſent ad eam rem legati, hoc eſt, ad res repetũdas quum bellũ indicerent vteretur. Regnum tenuit poſt Ancum Tarquinius Priſcus, qui omnia quibus imperii dignitas eminet decora & inſignia ſumpſit ex Tuſcia: inde namque aureus et triũphalis currus et equi quatuor, tunicę palmatę, faſces, trabeę, curules, phaleræ, anuli ac paludamẽta ſumpta ſunt, frequentibus prælijs, duodecim Etruriæ populis per eum ſubactis. Poſt hunc Seruius Tullus, quãquàm quaſi precariò regnare cœpiſſet, imperium tamen recte miniſtrauit, vrbe quadrifariam diuiſa, regionibus collibuſq; qui incoluntur, & Tribus eas partes vt ego arbitror à tributo appellauit. Ab hoc claſſes centuriæq; conſtitutę peditum & equitum: huius tempore Romanorum ciuium qui arma ferre poſſent cenſita eſſe octoginta milia, Fabius pictor auctor eſt: ab eodem cenſus conſtitutus. Diuiſit nanq; ciuitatem non ſecundum regiones verum ſecundum cenſum, vnum corpus faciens eorum ciuium qui cenſum habebant ſupra centũ milia æris, aliud corpus cenſum habentium à centum milibus ad ſeptuagintaquinque, tertium eorum qui à ſeptuagintaquinque milibus: & ita deſcendens vſque ad quinque milia peruenit, infra eum numerum ſine cenſu reliquit, quaſi tenues & impotentes. Ex cenſu autem quæ domi & militiæ ſubeunda forent onera conſtituit. Quia verò patrimonia vel augentur vel minuuntur ſingulis quinquenniis, in quinquennium recenſeri ſtatuit, idq; quinquennium, Luſtrum maiores dixere. Tarquinius cui Superbo ex moribus cognomen inditum eſt, poſtremus omnium fuit, vir iniquus, cruentus ad reſq; bellicas fortis ac præſtans, vtpote qui vrbes euerteret & turpi arte in deditionem redigeret. Exactis autem regibus, anno ſeptimo & quinquageſimo, ab vrbe verò condita trecenteſimo & vltra, creati ſunt viri decem ad leges condendas: nouus quidem ac ſummi imperii magiſtratus, à quibus decem tabulæ primum editæ, centuriatis comitiis perlatæ ſunt, ſimúlque deinde duæ ſuperadditæ, vt omne ius Quiritum confectũ duodecim illis tabulis ad vnguẽ abſolueretur: ſicq; à decemuiris leges decemuirales, quibus tabulis duodecim eſt nomen, in æs ſiue ebur inciſas in publico propoſuerunt, quas tãti feciſſe Romanum populum memorant vt illis quàmdiu Romę ſtetit honor & innocẽtia pudicitię contentus fuerit: Sed cum creſcente improbitate interpretationes prudentum

per consuetudinem receptę sunt,quas quidem ius ciuile non leges libuit appellare,ex hoc fuerunt actiones,quæ ius agendi sunt,solenniter institutæ: quibus sicut & interpretationi collegium pontificum præsidebat. Accesserunt ad hæc populi placita,senatus consulta,scita plebis,edicta prætorũ, responsa prudentũ; & trãslata demũ in principes lege regia romani populi potestate,cœpit quod principi placuit, legis habere vigorem. Hoc legũ progressu multi clarissimi romanorum consules tribuni aut censores ferendis legibus auctores fuere,& à quibus leges denominatæ,vt consulares,tribuniciæ,iuliæ,corneliæ. Nam sub Octauiano Cæsare suffecti consules Papius & Pompeius,legem tulere quæ à nominibus eorum appellantur Papia & Pompeia: sub eodem quoque imperatore Falcidius tribunus plebis,legẽ fecit ex cuius nomine lex extat falcidia. Aquilius quoq; legẽ condidit quæ hactenus aquilia nuncupatur,sic Iulia,sic Cornelia, Catoniana regula etiam legibus ab Catonibus inserta quorum nomen quoque adeò clarum, adeò celebre est vt non solum vrbem, sed orbem pene totum suis tẽporibus præsentia,postea vero memoria sua ac splendore illustrarint. Nam vt Priscũ & Censorinum illum pręteream,tanta fuit posterior ille Vticensis habitus reuerẽtia, vt eum quum Cæsar à subselliis in carcerem traheret, summa cum mœsticia boni ciues vnà cum senatu taciti atq; afflicti omnes sequerentur,vt quæ in sacris ludisq; floralibus quibus vulgati corporis meretrices nudę more veterum mimarum fungebantur officio, & in conspectu populi vsque ad satietatem impudicorum luminum cum impudendis motibus detinebantur,veritus sit populus Ro. solitæ lasciuiæ ludum petere,quoniam fortè tum Cato venerat in theatrum,vnde Martialis in epigrammatum suorum limine inquit,Nosses iocosę dulce cum sacrum Florę Festosq; ludos & licentiam vulgi Cur in theatrum Cato seuere venisti? An ideo tantum veneras vt exires? legimus enim eum plaudẽte populo postea quàm ex Fauonio familiari & amico vnà sedente præsentiam suam spectaculi consuetudini impedimento esse intellexit,è theatro continuò abiisse abeuntemq; populum priscum ludendi morem in scænam reuocasse,confessum plus se honoris,& maiestatis,& reuerẽtiæ illi vni deberi quàm sibi vniuerso vẽdicare. Equestris autem ordinis & qui sua literis posteritati demandarent,inter alios, iurisconsultos plurimos fuisse constat,& quidem celeberrimos, quorum scripta Ausidius Namusa quadraginta & centum libris complexus est. Ex his Ausidius & Nerua ambo doctissimi & equestris ordinis ambo fuere, ex his Furius Sabinus quoque fuit & publice primus scripsit. Mitto Tiberium Coruncanum, Labeonem, Trebatium & Alpheum. Prætereo & alios innumeros quibus quasi stellis quibusdã leges fulgent,quorumq; cõsiliis multi sane principum suum imperium ad maximum felicitatis cumulum prouexere. Adrianus enim Iulio,Celso,Saluio,Iuliano Prisco atque Neratio vsus est. Antoninus pius Vindio,Vero,Saluio,Valẽte,Voluxio,Martiano,Vlpio,Marcello & Iaboleno. M Antonius philosophus Scæuola præcipuo iurisperito: Alexãder Seuerus Fabio,Sabino,Iulio Paulo atque Vlpiano,quẽ inter cæteros tanti feciſſe constat vt Helius Lampridius literis mandauerit,hũc principẽ ideo summũ impatorẽ fuisse, q; Vlpiani pręcipue cõsiliis rẽpub. rexerit. Horũ studiis fretus & moribus,iustissime princeps Sigismunde,quantum

semper

ſemper hęc ætas noſtra tulit,regni tui ſummam,regimen,curam ac gubernationem tanquàm optimus populorum paſtor his hominibus cõtuliſti qui non callidi,non ſeditioſi,non ad malum idonei,non virtutis hoſtes,nõ luxu perditi,non truces,non facinoroſi,non ſcelerum miniſtri,non improbi ac prouincialium expilatores, ſed ſenes, ſed ſapientes, ſed ſobrii, ſeueri, pii, ſancti,& qui habeant illud ſemper in animo vetus præceptum, Deum ſequere,& qui nihil venderent, nihil mentirentur,nihil fingerent deciperêntque exiſtimationem de te bonã tuíque mandata, more Perſarum, qui internuncii ſunt aliud quàm reſpondetur à principe ſæpenumero populis referentes: nec Parthorum regum vſum imitarentur,quos non poteſt quiſquam ſine munere ſalutare: & ne poſteri ſilentio obruantur quos conſiliis tuis huiuſmodi præfeceris,quorũdam nomina ac dignitates recenſere non alienum erit. Merito itaque ante omnes præcipuum & primariũ magiſtratus huius noſtri decus eſt Iuſtus,ex antiquiſſima,& prȩcellentiſſima comitum vrbis Romæ familia, ea vitæ ſanctimonia,ea integritate, ea religione,ea iuris ciuilis etiam et pontificii cognitione,ea denique eximia & maternę & latinæ eloquentiæ copia,ac ſuauitate præditus,vt hac noſtra ætate ea non niſi cælitus per eum nobis tranſmiſſa meritò atque optimo iure exiſtimari poſſit. Effulſit inter hos porrò quaſi matutinum quoddam ſidus Iacobus Aneſtaxius Burgẽſis, iuris non ſolum ciuilis & pontificii ſcientia clarus,cæterum omnium bonarum & optimarum artium ſtudiis peritiſſimus,ac in maximis quibusq; gerendis rebus quàm aptiſſimus,vtpote qui vafra ducum ac principum conſilia optime norit,& cuius ingenium & eruditionem ita laudem, vt hac laude cũ eo neminem comparem, ita admirer vt magnum neſcio quid portendere in poſterum videatur,quum ad quamcunque animo rem ſe conferat,in ea facile ac breui ſui acumine ac mobilitate cæteris antecellat. Succeſſit Deindus, equeſtris ordinis, ex primariis Peruſiæ vrbis,vir magni ac præſtantis ingenii, multæq; lectionis ac literaturæ,ſic omnibus cõſiliorũ præſidiis, virtutis omnis & eloquentiæ ſplendore conſpicuus,vt eo non ſolum vrbs noſtra,verum romana etiam,ſi priſca illa maiorum gloria maneat, non iniuria gloriari poſſit: acceſſit quarto loco ex nobiliſſima vicecomitum familia Frãciſcus vicecomes,equeſtris & ipſe ordinis perpaucorum, vir magni penſi magnóque rerum vſu attritus, & experientia multa perilluſtris. Sunt & alii plures equeſtris otdinis & ſpectatę nobilitatis viri doctiſſimi, philoſophi & oratores ampliſſimi ex quibus ad fœliciſſimam regni tui diuturnitatem oportuna conſilia,literatæ conciones ac docta colloquia facillime poſſint haberi atque componi.

De Medicina Cap. II.

NEque tandem medicinę rationem intactam relinquemus,tametſi maiores noſtri virtutũ omnium cupidiſſimi,minus q̃ par erat eam celebraſſe forſan viſi ſunt. Eſt enim,vt doctiſſimi auctores tradunt, non ſolum ob morbum ac vulnerum remedia,quoquo modo corpora debilitari contingat, verum ſicubi diutius habendus eſt exercitus, ob ſalubrem caſtris locum deligendum,huius rei habenda cognitio, veterũ rationem in hæc ipſa tẽpora reuocãdo. In his enim locis quibus ſupioris ętatis homines aut oppi

da,ſtatiua,aut caſtra cõſtituebãt,pecoribus īmolatis quę ibi paſcebãtur iecinora inſpiciebant,& ſi integram & ſolidam eorum naturam inueniebant,ex aqua & pabulo ibi munitiones conſtituebant: ſin autem vitioſa,idem in humanis corporibus ob peſtilentem loci cibiq́ copiam fieri poſſe credentes,tranſmigrabant, ac regiones mutabant quærẽtes omnibus ſalubritatem: quã ſi propter locorum diſcrepantiam terrarúmque diſſimiles proprietates percipere haudquaquam põterant ,& fama & incolentium diſpoſitione corporum , atque eorum colore facile conſequebantur.Magna dehinc etiam induſtria maiorum inſtitutis quęrendi ſunt & deligendi fontes,qui ſi nuſquã præſto & in promptu ſint, plureſq́ dies caſtris immorandum,his ſignis híſq́ notis & rationibus vbinã lateant poterunt internoſci.Nanq́ virentium imprimis herbarum copia,arborúmq́ proceritas,vicinitatem indicant aquarum: terris enim quibus dulcis humor nõ longe ſubeſt,vbertas quorũdũ germinum ſemper arridet,vt iuncus,arundo,rubus, ſalix, alnus,multúmque alicui loco pectore incumbens rana . Sunt illa huiuſce rei indicia,quum nocte adueniente,loco in altitudinem pedum quinque defoſſo,teſtáque è figulino opere cruda aut peruncta, pelui ærea cooperta ,lucernáq́ ardente concremata,ſine defectu olei reſtincta,aut etiam vellus lanæ madidum reperiatur,non dubie promittunt aquas. Addunt,quod certius multo eſt,ante ortum ſolis longius intuentibus , quòd ex edito quidam ſpeculantur in columnæ ſpeciem quandam,nebuloſa exhalatione tenuiſſimum fumum,qui quanta fuerit altitudine porrectus ad ſummum,tanto in imum humorem deliteſcere profiteatur. Orto etiam ſole intuentur loca,talium rerum curioſi,& vbinam ſupra terram viderint volitare ſpiſſitudinẽ muſcarum , tunc promittunt facile quod quæritur inueniri.Eſt & peculiaris exiſtimatio peritis tantum nota,quã feruentiſſimo æſtu ſequũtur dieiq́ horis ardentiſſimis qualis ex quocunque locorum repercuſſus ſplendeat: nã terra ſitiente, humidior eſt ille indubitatáque ſpe promittitur. Sed tanta oculorum intenſione opus eſt,vt indoleſcant: quo fugiente, ad alia experimenta decurrunt. Prædicunt etiam ſapores aquarum,vt nec aſpera diſpendioſo labore debeat quæri,nec dulcis neceſſariáq́ inhonora relinqui. Aquam enim dulcem argilloſa terra,limoſas exileſq́ ſabulum promittit. Glarea incertas venas,ſed boni ſaporis: rubra ſaxa optimas. Hanc ſcientiam ſequẽtibus accuratiſſime tradidit apud latinos Marcellus,inquit enim aquas quæ ad orientem auſtrúmq́ prorumpunt,dulces atque perſpicuas eſſe,& pro ſua leuitate ſalubres: ad ſeptentrionem verò atque occidentem quæcunque manant, probari quidem nimis frigidas: ſed grauitatis ſuæ craſſitudine incommodas . His proinde reperti vt ad humanæ vitæ ſalubritatem magna diligentia bonæ vtileſq́ appetendæ,ſic non minori cura earum quoque vitia repudianda.Nanque damnantur imprimis vndecunque profluxerint ſtagnantes,pigræq́ & amaræ, quibus odor & ſapor vllus inſit, præter vnius in toto orbe fontis aquæ, vt equidem inuenio iocundæ,olentíſque . In Meſopotamia vtiliores quæ profluunt & excurrunt exiſtimantur: curſu enim & agitatione ſua extenuari atque proficere aiunt,eóque miror ciſternarum ab aliquibus maxime probari,quum inutiles aluo duritie,ac faucibus conſtet . Quòd ſi rationem afferunt quòd leuiſſima ſit

imbrium

imbrium,vt quæ ſubire in cælum potuerit,ac pendere in aëre,ideo & niues præferuntur imbribus:leuiores enim his eſſe,et multo leuiorem aqua glaciem,cuius ac niuis peſtilentiſſimos ac inſaluberrimos potus prædicant . Repudiantur deinde aquæ quæ cœnum & limum faciunt,quæq; corpora inualida,malum colorem,crura vitioſa,lippientes oculos bibentibus reddunt. Culpantur etiam ſi vas ære corinthio,vel nobili ſparſæ infecerint,aut ſi legumina tarde percoxerint,decoctáque craſſis obducunt vaſa cruſtis. Non etiam ipſa aqua quæ erit in fonte ſi fuerit limpida & lucido cælo pſimilis,quòque peruenerit aut profluxerit muſcus innaſcitur,aut iuncus & inquinatus aliquo inquinamento is locus fuerit,minus improbãda videbitur: intereſt enim plurimum vtrum loca ſulphure an vitro an bitumine plena tranſeat, grauem enim ſpiritum caloremq; peſtiferũ aut nimium rigorem ex loci vitio ſaporis varietate concipit,& ſũma celeritate corrũpit,quia protinus hauſta duratur,nec aliter quàm gypſum ſub humore conſtringitur & alligat viſcera:illinc eſt illud de quo Ouidius ait,

Flumen habent Cicones quod potum ſaxea reddit
Viſcera,quod tactis inducit marmora rebus.

Medicamentum eſt etiam, & eius naturæ habet limum vt corpora conglutinet & induretur, quemadmodum puteolanus puluis ſi aquam attigerit ſaxum eſt: ſi econtrario hæc aqua ſolidum quippiam attigerit,hæret & affigitur. Inde eſt quòd res abiectæ in eundem locum, lapideq; ſubinde extrahuntur.Similem vim habent mero illi lacus quos quiſque faucibus hauſit,vt idem poëta ait,aut furit aut patitur mirum grauitate ſoporem.Nam quemadmodum ebrietas donec exſiccetur dementia eſt,& nimia grauitate defertur in ſomnum,ſic huius aquę vis habet quoddam acrius ex aëre noxio virus, quod mentem aut in furorem mouet aut ſopore opprimit.Contingit etiam non ſolum confectis de induſtria venenis pleroſq; necari, verum aquas quaſdam conſueto naturalis ordinis curſu, occultiorem in ſe peſtem ſeruare. Nanque fertur in Armenia fons cuius piſces in cibo ſumpti mortem afferant,in Archadia circa Nonacrina Styx ab incolis appellata mortifera eſt,aduenaſq; fallit: quia non colore nec odore notabilis, nec ſapore ſuſpecta eſt, qualia ſunt magnorum artificũ venena quæ deprehendi niſi morte non poſſunt:in eadem regione fontem etiam eſſe conſtat , vt epigramma indicat,lapide inſcriptum,non idoneum ad lauandum,ſed inimicum vſibus,quòd apud eum Melampus ſacrificiis purgauiſſet rabiem proci filiarum reſtituiſſetq; earum virginum mentes in priſtinam ſanitatem . Linus etiam ibi fons eſt,qui abortus fieri nõ patitur: ediuerſo in Pyrrhea flumen,quod Aphrodixum vocatur ſteriles facit. Eſt etiã noxia aqua in Theſſalia circa Tempe quã fera & pecus omne deuitat,per ferrum & æs exit,vis illi ineſt etiam dura molliendi nec arbuſta vlla quidem alit,& herbas necat:in Macedonia non procul ab Euripidis ſepulchro dextra ac ſiniſtra monumenti aduenientes duo confluunt riui,vnum accumbentes viatores tranſire ſolent propter aquæ bonitatem:ad riuum autem qui ex altera parte monumenti,nemo accedit, quòd mortiferam aquam dicitur habere . Achaia ex ſaxo ſtillantes frigidiſſimos humores habet, quos neque argenteum neque æneum neque ferreum vas , neque vlla alia materia

ria quo minus corrodatur poteſt ſuſtinere,diſſilit enim & diſſipatur: cõſeruare autem eam & continere nihil aliud niſi mulina vel aſinina , vel vt alii tradunt equina vngula poteſt , quæ etiam memoratur ab Antipatro in prouincia vbi erat Alexander per Iollam filium perlata eſſe , & ab eo ea aqua regem non ſine magna Ariſtotelis infamia eſſe necatum . In Bœotia ſunt duo fontes quorum alter memoriam, alter obliuionem affert: In Cilicia apud oppidum Viſcum , riuus fluit ex quo bibentium ſubtiliores ſenſus fieri Varro tradit. In Co inſula fontem eſſe quo hebetes fiant. Cidnus etiam Ciliciæ amnis podagricis medetur,ſicut apparet ex epiſtola Caſſii Parmenſis ad. M. Antonium; in Germania trãs Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis maritimo tractu fons erat aquæ dulcis cuius hauſtu infra biennium dentes labefierent decideréntque ac compages in genibus diſſoluerẽtur; villa etiam ab Antonio lacu Campaniæ Puteolos tendentibus impoſita litori celebrata porticu ac nemore quam vocat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum,exiguo poſt obitum ipſius tempore, Antiſtio vetere poſſidente,eruperunt fontes calidi,perquàm ſalubres oculis, celebrati Laurei Tullii qui fuit ex libertis eius,tali carmine,

Quòd tua Romanæ vindex clariſſima linguę
Sylua loco melius ſurgere iuſſa viret,
Atq; Acamediæ celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultus ſub potiore vetus,
Hæc etiam apparent lymphæ non antè repertæ
Languidáque infuſæ lumina rore leuant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hæc dedit , hęc fontes quum patefecit ope:
Et quoniam totum legitur ſine fine per orbem
Sunt plures oculis quæ medeantur aquæ.

In Italiæ etiam alpibus multis in locis eſt genus aquæ,quã qui potu aſſiduo hauſerint,turgidis & prominẽtibus gutturibus efficiuntur . Scatẽt alibi denique in plurimis terris,alibi frigidæ,alibi calidæ,alibi promiſcue auxilia conferẽtes,& è cũctis animalibus hominum tantum cauſa erũpentes : feruntur aliæ quæ aluos inaniunt, capiti, auribus, oculiſque priuatim medentur: neruis aliæ proſunt & pedibus,aliæ luxatis & fractis adiumẽto ſunt ac vulnera ſanant. Eſt autem vtilis ſulfurata neruis , aluminata paralyticis , aut ſimili modo ſolutis bituminata aut nitroſa,maxime calens. Homerum calidorum fontiũ mentionem non feciſſe non demiror,quum aliquos lauari calida frequẽter induceret,videlicet quia medicina tunc non erat hęc quæ nunc aquarum profugio vtitur. Cæterum quum ad huiuſmodi humanæ infirmitatis remedia aquæ præſto ſemper eſſe non poſſint,atque alio in loco inter ſeſe maxime diſtantes,neque ad omnia omnes valeant,nunc ad reptilium fugam morſuſq; & reliqua imbecillitatis noſtrę auxilia ex ſimplici medicina vel compoſita congeramus: quòd in promptu ſit & inuentum tam ab ipſa natura quàm ab ipſa arte profectum quàm facile: ab ipſa natura filicem ſubſterni vtile locis ſuſpectis aiunt,quoniam ſerpentem experientia comprobante non recipit,vſtáque fugat nidore: experti quoque prodidere,ſi ſerpens

pens ignibus & fraxini frondibus concludatur in gyro, in ignem potius quàm in fraxinum fugere: & quod maius eſt,nec matutini quidem occidentísue ſolis vmbras quamuis longiſſimę ſint vllo pacto velle cõtingere: Verum ſi ex arte vt ſæpe fit & Maro inquit ſub immotis pręſepibus aut mala tactu

Vipera delituit, cęlumq; exterrita fugit:
Aut tecto aſſuetus coluber ſuccederet vmbræ
Peſtis acerba boum, pecorísque aſpergere virus
Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum
Galbaneoq; agitare graues nidore chelidros.

Vel plenius & vberius vt Pharſalię auctor expreſſit,

Vltima caſtrorum meditatus circuit ignis
Hic ebulum ſtridet peregrinâque galbana ſudant:
Et larix non læta comis eoáque coſtus.
Et Panacea potens & theſſala centaurea
Peucedanumq; ſudat flammis ericináque taxus.
Et larices fumoq; grauem ſerpentibus vrunt
Abrotanum et longe naſcentis cornua cerui.

Percuſſis quorundam hominum tota corpora ſiue partes proſunt,vt Ophiogenes olim in inſula Paro,Marſiq; alibi in Italia,ſiue quõdam in terra Aphrica, ſi modo durẽt Pſilli qui vocãtur à Pſillo rege vt Agarchides tradit dicti. Lucanus,

Nam primum tacta deſignant membra ſaliua,
Quæ cohibet virus retinétque in vulnere peſtem.

Nec Marſorum ſolum ac Pſillorum ſed ieiunam cuiuſque hominis ſaliuã contra ſerpentum ictus pręſidio eſſe non dubium eſt. Silerem in proferendo percuſſorum remedia,niſi,M. Varronem ſcirem,lxxx vitę annum agentem, Marcúmque Catonem Porcium prodidiſſe,aſpidum ſerpentum ictus,hauſta à percuſſis vrina,vel Melantio in vini veteris hemina contrito & in nares infuſo,appoſitóque ad morſum ſtercore ſuillo,efficaciſſimè curari: horum etiam & ſcorpionum ictibus ipſi medentur,ſi mortui & attriti ilico ſuperimponantur. Viperam etiam ferunt exuſtam in cineremq; dilapſam mederi eiuſdem beſtiæ morſui. Ad huiuſmodi etiam ſerpẽtum morſus Nigidius de animalibus libro ſecundo teſtis eſt,gallinam quoque q̃primum deligi opponiq; debere: ex arte quoque ea maxime probantur quæ in ædis Eſculapii dei limine contra animalia virulenta ea, compoſitione clariſſima ſcripta lapide fuiſſe inueniuntur,Serpilli videlicet duûm denariorum pondus,opoponacis ac milii tantũdem ſingulorum,trifolii pondus denarii, anethi & fœniculi ſeminis & aneſi & opii duûm denariorum ſemis ex ſingulis generibus, erui farinæ, xii. quę tuſa & cribata ac vino excellenti digeſta dari in vini cyathis tribus conſueuere. Quo genere antidoti Antiochus magnus rex,aduerſus omnia venenata vſus perhibetur. In ſãctuariis Mithrydatis, maximi etiam regis inuẽtam antidoti quoque compoſitionem ipſius manu conſcriptam legimus,& à Galeno etiam & Dioſcoride celebratam, è duabus ſcilicet nucibus,ſiccis ficis totidem,foliis rutæ,xx. ſimul tritis, addito ſalis grano: hoc effectu deniq;,vt qui hoc ſumereet ieiunus,nullum veneni genus profecto

fecto sciret illo sibi die nociturum. Porrò vulnerum remedia in præsentiarum attingere,nec absurdum,nec inutile erit,verum quoniam vulnus nequicquã conglutinationẽ admittit si ferrum intus maneat, infixa & corpori adhęrentia quo nammodo abstrahi possint primum docebimus,prompta & pauca quædã remedia prosequentes.Infixa quæque cinis abstrahit hirundinis, in olla combustæ cũ aceto.Mus similiter dissectus & superimpositus, farina è semine lini cum radice cucumeris sylvestris, fractis ossibus pręsentaneus,maxillarum apri cinis, costis quoque fractis laudatur vnicè caprinus fimus ex vino vetere: aperit enim & extrahit atq; sanat. Sanguinem porrò ex vulnere fluentem sistit puluis olibani,cum pilis leporis & albumine oui facto emplastro,& imposito donec cadat. Aloës etiam puluis per se vel cum aceto vndecunque fluat sanguis eum sistit: vulnera recentia & vetera si brassicæ decoctione foueantur,& ea trita imponantur,mire sanat:vermes qui in ligno,vlcera sanant omnia:vulnera verò recentia terreni adeò cõglutinant, vt neruos quoq; præcisos illitu solidare intra septimũ diem Democritus persuaserit, itaque in melle seruandos censuit: inflaturam ex ictu,cicuta trita imposita sanat. Achillea quę millefolium maius vocatur cum aceto bibita ad plurima quum valeat, ad suspiria præcipuè confert præcipitatis ex alto.Eiusmodi remediis clara Esculapii opera fuere troianis temporibus. Podalyrius deinde & Machaon ex eo geniti succedere, qui & bello troiano ducem inclitum Agamẽnonem secuti,non mediocrem opem vulneribus tantum medendo commilitonibus suis attulere. Adhibitos in exercitu suo à Cyro medicos,Xenophontis tradit historia. Scimus & Xerxem Persarum regem à Sosthene comitatum esse bello quod Græcis intulit,itemque Alexandrũ à Sosthene secundo, nec nisi cura artis huius,ope atque præstantia quã ab inuictissimis maiorum nostrorũ ducibus celebratam nouimus.Hanc enim apud nostros M. Cato magister primus,solusq; diu paucis duntaxat attigit,ad armentarios morbos medicaminibus haudquaquam omissis, quæ per alios denicq; diffusius pertractanda sunt: post hũc illustriũ & clarorum virorum vnus tentauit,C. Eualgius literarum eruditione spectatus,volumine ad D.Cæsarem Augustum de ea edito. Verum enimuerò antè condiderat solus apud nostros vt equidem inuenio Pompeii magni libertus Leucus nomine,quo primum tempore hanc scientiam ad nostros animaduersum est peruenisse. Nanque vt ad externos redeam, qui huius disciplinæ multarũ rerum inuentione gloriantur,Mithrydates,maximus sua ætate rex & imperator,quem debellauit Pompeius, omnium ante se genitorum curiosissimus medicinæ remediorum indagator, tam argumentis q̃ fama nuncia habitus est,cui vni cum veneno sępe tentaretur excogitatum,quotidie venenum bibere,præsumptis remediis,vt consuetudine ipsa innoxium redderetur: sicque in hunc vsque diem Antidotum eius nomine celebratissimum extat,quod Mithrydaticum vocatur: alterũ Antidoti genus Zopyrus regi Ptolomæo dicitur composuisse,atque Ambrosiam nominasse. Præter hunc inuenit Iuba rex, Ptolomæi pater,studiorum claritate admirabilior q̃ regni, quàmquam primus vtrique Mauritaniæ imperio præfuerit, euforbiam herbã quam medici sui fratris nomine appellant,edito de ea volumine claro prędonio. Centaurea

taurea à Centauro Chirone dicta inuentore, qua curatus Chiron quum Herculis exceptus hoſpitio pertractanti arma ſagitta excidiſſet in pedem. Achillis quoque, Chironis diſcipuli Achillea perhibetur inuentum, qua vulneribus mederetur, quæ ob id achilleos vocatur: hanc apud nos millefolium vocant. Alii primum æruginem inueniſſe vtiliſſimam in plaſtris, ideoq; depingitur ex cuſpide decutiens eam gladio in vulnus Telephi. Comperiſſe etiam dicitur Teucer eadem ætate Teucrion quam quidam germineam vocant. Gentianã quoq; reperiſſe aiunt Gẽtium Illyricorum regem vbique naſcentem, Illyrico tamen ad plura præſtantiſſimam. Sunt & alia medicamentorum genera quę diuino quaſi quodã numine tactu ipſo fiant atque leuentur, vt Veſpaſiano principi & Epirotarum regi Pyrrho contigit: illum enim publicè ſedentem audiẽtéq; quum è vulgo captus quiſpiam luminibus, alter quoque cruris debilitate pariter adirent, opem implorantes à ſe rapide demonſtratam illis per quietem, redditurũq; alteri lumen profiteretur ſi oculos inſpueret, confirmaturumq; alteri crus ſi dignaretur calce contingere, quum ridicula res primum putaretur, nihili penderetur q; , tandem familiarium interuentu et circunſtantiũ quorundam ſuaſione vtrunque tentatum eſt, nec optatæ ſalutis ambobus defuit euẽtus. Hunc autem lienoſis, hoc eſt, ſplene laborãtibus reſupineq; iacẽtibus, dextri pedis pollice preſſis medẽtem accepimus, galli ſacrificio albi facto, neque quempiam abiectum ab eo fuiſſe cui huiuſmodi genus medicaminis poſcenti abnegaret. Magnã etiam medendo vim verborum ineſſe infirmitatibus hominum, animalibus languentibus, claudicantibuſq; vel etiam moribundis ſunt qui putent: & quanquã literæ id noſtræ reſpuant & ad ſalutis remedium nihil conferre autumẽt, profluuium tamen ſanguinis vulnerato Vlyxẽ inhibuiſſe carmine teſtis eſt Homerus. Theophraſtus etiã ſciaticis prodidit, Cato luxatis membris, Varro podagris carmen auxiliari. Cæſarem quoque dictatorem poſt vehiculi caſum vnũ ferunt ſemper vt primũ conſcendiſſet, id quod plerique ea tẽpeſtate facere norant, carmine ter repetito itinerum ſecuritatem aucupari ſolitum. Infinita huiuſmodi exmplorum copia ſupereſt, quæ libens ponerem niſi ad gymnaſticam & exercitationem reliquam quæ maximum ſuſcepti muneris officium eſt, ac bellicas rationes feſtinaret oratio. De bonarum igitur artium ſtudiis hæc exarata ſint, Gymnaſticam & reliquam huiuſmodi militarem exercitationem nunc ordine ſuo proſequemur.

De Gymnaſtica equeſtríque exercitatione. Cap. III.

AEterũ quum plurima ſint exercitationũ genera, probanda quidem ſolum illa nobis erunt quæ ſecundũ naturæ vim ac ætatis rationem ſuſcipientur, quo & valitudo bona ſeruetur & ad labores militares ferendos robuſtiora deinde membra reddantur. Vtrinque enim primis ab annis non parum referre putandum eſt quali quiſque alimoniæ aſſuefiat, quibúſque exercitiis durioribus vel mitioribus aſſuefaciendo vrgeatur, veluti ea quę in Lacedæmoniorum ciuitate vel ſola vel cum paucis cura à legum latoribus circa educationẽ & exercitationem publicè videtur adhibita: ex cęteris etiam animalibus & gentibus apparet, quibus cura eſt aſſidua bellicæ habitudinis,

nis,nutrimentum lactis fontiúmque aliquorum ad valitudinem robúrque maxime proprium esse corporibus,vt Lucanorum & aliorum plurimorũ: ad vtrunq; etiam confert,& vtile putatur à pueritia frigori assuefacere: Quapropter ad amicum scribens monet Flaccus vt angustam pauperiem pati robustus acri militia puer condiscat,& Parthos feroces vexet eques metuendus hasta vitámq; sub diuo & trepidis agat in rebus:et quum procliuis puerorum etiam natura sit ad omnia opera & ad omnes actus,illi ea ætate maxime suscipiendi sunt qui per ludos fiunt.Ludi vero ipsi neque illiberales neq; illaborioſi esse debent, neque remissi, sed quales Lycurgum in Spartiatarum filiis instituisse ferunt: ipse enim quãprimum septimum ætatis annum exegissent assumens distribuebat in classes, eósque vnà socios atque contubernales consuefaciebat in vicẽ simul legere & simul exercere,quo per dimicationes mutuas & promiscuas contẽtiones disceret quale cuiusque ingenium esset,qui auderet, neque in certaminibus pugnam detrectaret. Mirides quoq; Aegypti rex post ortũ filii Sisoosis,ex omni Aegypto omnibus qui eadem die quo filius nati erant infantibus congregatis,nutriri educaríque ac singulos eadem disciplina exercitióque erudiri fecit,existimans hoc pacto simul educatos atque instructos meliores in bello fore, hos continuo vsu ad malorum patientiam exercebat: non enim licebat alicui cibum priusquã cursu centumoctoginta stadia confeciſſet capere,quo exercitio vt omnes viri euaserãt & robusto corpore & animo præstantes,primum Sesoosis in Arabiam cum eorum qui simul nutriti erant exercitu à patre missus assuetúsque venatui, ac cibi potusq; abstinentiæ,omnemq; eam gẽtem subiecit, liberam antea & seruitio insuetam.Deinde in Libyam profectus maiorem eius partem in deditionem adhuc adolescentior redegit.Simili modo Alexander xxx. milibus barbarorum puerorũ delectis, grẽcis eos literis & Macedonico more armorũ exercitationũq; vsibus versari præcepit, pluribus ad eam rem institutis magistris, sicq; præter literas quas pro necessitate discebãt,reliqua omnis exercitatio et disciplina ad recte obtemperandum armorumq; laborem tolerandum & prælio vincendũ parabatur.Hac in re Lacones quoque quum efferatos laboribus persẽpe redderent adolescentes,quasi hoc esset vtile ad fortitudinem,maxime fallebãtur.Nõ enim id consequebantur quod intendebant, neque in aliis animalibus, neq; in gentibus videmus fortitudinem adesse maxime efferatis, sed potius mãsuetioribus & leoninis moribus, multæq; sunt gentes,quę ad cædes hominum & ad eorum comestionẽ insultant,vt circa Pontum Achei & Agniochi : & ex mediterraneis aliæ gentes,quę quidem clanculum per insidias latrocinantur,ad bellica tamen opera nihil valent.Omnes enim istæ feritate liberæ gentes, luporum ritu vt seruire non possunt,ita nec imperare: non enim humani vim ingenii habent, sed feri & intractabilis.Lacones præterea scimus dum ipsi exercebantur præstitisse cæteris, postea verò fuisse aliis inferiores. Non enim ob id solum præstabant q̃ iuuentutem exercerent,sed quòd ipsi exercitati contra non exercitatos pugnaret. Romanæ similiter legiones nisi fuissent primum assidua exercitatione attritæ (Ab exercendo enim exercitus quòd exercendo fit melior dictus) nullo pacto in pubertate,ante, vel post pubertatis tempora pedibus agmen præire,subire pondera,

dera,arma deferre,nec præclarum ac memoratu dignum aliquid reddere potuissent.Huius rei ætatisq; huius si alia nobis deessent, Scipionis Aphricani superioris,& Aemilii quoq; Lepidi constare potest exemplis: ille enim dum prætextatus esset,vt Floro placet & Senecę, pubescens autem vt Liuio,eo prælio quo in Romanos Hannibal ad Ticinum valido statim fragore detonuit , patrē ciuem cōsulem belliq; ducem affectum graui vulnere & ab hostibus circūuentum periculo mortis exemit,seruatiq; parentis cumulatam suis laudem retulit. Hic verò puēr productus in pugnam,eodem congressu & hostem occidit & ciuem seruauit,in cuius memoriam rei statua illi prætextata ex S.C.in capitolio posita est, vt & cæteri exemplo eiusmodi accenderentur. Sed neq; & tu quoq; hoc in loco nisi tibi tuas laudes inuiderimus,Sigismunde Pandulphe,silentio obruendus es, aut vllo pacto his duobus inferior habendus,quum tertiumdecimum ętatis annū pene agēs sub D.fratre tuo Roberto in illa pestifera atq; funesta tumultuantium parricidarū conspirationis eruptione cōsternatis tuorum iam omniū animis,suborta, de tota Malatestarū familia omniumq; ciuiū statu actum esset , nisi protinus hinc te raptimq; surripiens in legionis vnius numerū,conuocatis vndecunq; subditorū populorum auxiliis tecum vna die confluentibus,ferro,vi,armis cōtra quāplurimos,fortissimos,& ad subuersionem vrbis nostræ inimitissimos viros cum maximo capitis tui periculo dimicasses: nisi tu tibi ac fratribus patriam,rerum fortunarúmq; suarum pariter ac tuarum incolumitatem deperditam,& penè restinctam vindicasses,illa peste,illo monstro ac portento seditionis auctore atq; flabello à ciuitate reiecto: profligatis cæteris deinde factionis & tumultus illius primoribus atq; complicibus,& quæ ad tertium vsq; lapidem in eorum auxiliū prouenerant, Pisaurienſium copiis,plurimis insuper ad custodiam,tutelam firmitatemq; ciuitatis nostrę per te accitis prefectisq; cohortibus. Sícque mirabile dictu,in illa perditorum hominum colluuione, vnde veterano, armorum & equitandi totiúsq; rei militaris peritissimo euasisse satis fuisset,tu id ætatis ob tuam vigilantiam,ingenii viuacitatem,animíque præstantiam,vtriusque fratris seruati & patriæ,publicæ scilicet ac priuatæ pietatis triplicem meruisti coronam,Clarissimum inuictissimi futuri ducis initiū. Quid enim fuit principem in suæ adolescentię limine inspicere,tam magnū facinus committere audere? quid eo ipso magnificētius,quid fortius,quid glorioſius & laudabilius? quid in antiquis maiorū tuorū monumentis præclarius? quid famosius tuis potuisses posteris relinquere quàm vna ferè ac omnium voce dici,hāc vrbē nobilissimam, vniuersum populum,ius,æquitatem,leges,mores,per te vno tempore cōseruatos fuisse? Neque id sane cuiquā incredibile de te videri debet,qui annos semper tuos longe anteceſſeris, & omnes virtutum omnium ab ineunte æuo numeros ita colueris,vt in te antè claruerint quàm perspectæ intellectęq; ab aliis fuerint.Spretis nanque solitis puerilis ætatis illecebris, magna vi astrorum , fortuna tuas res maximas ad imperiū disponente didicisti,non ignauia,non quiete,nō ocio,non desidia,non voluptate torpere,sed membra durare,militares labores perferre,vigilare,esurire,sitire, algere, æstuare, & cum vltimis militum & equitum dura & aspera quæq; aggredi. Doctus etiam præ cęteris tui temporis regi pariter & re-

gere,exercitus ducere,castra metari,acies instruere,prędidia agitare,hostes ferire, machinas erigere,firmare aggeres,pila torquere,hastilia iaculari,clypeis intonare,ensem vibrãdo incredibilia penetrare,in scandẽdis equis nõ persico more iuuari,sed instituto sine scãsilis ferri adminiculo, leuiter facilęq; eos insilire , ac reflexis in tergũ manibus,velocissimis cursibus ad exemplũ ducendi frequẽter concitare: nunc item flexis habenis in medio cursu leui momẽto præuertere: nunc montes conscẽdere,nunc fossas saltu traiicere: & ita demũ ad omnia rei militaris munia percallere,vt non facile quisquã possit elicere milésne an eques, tribunus vel imperator maior et instructior accedas vel habearis:pluribus deinde quũ adoleueris rerũ eiusmodi per vniuersam Italiam inductoribus accitis,qui neque prius à te dimissi q̃ in cæteris quæ modo diximus exercẽdo,eos aut æquaris gloria,aut superaris,diuitiis plurimis & honoribus auctos: Alexandrũ Seuerũ credo imitatus,quẽ post literarũ studia palęstrę operã dedisse ferũt: vel potius P.Rutiliũ qui armorũ agitatione,vitandorũ inferẽdorũq; ictuũ disciplinã primus miles iussit accipere,& in castra penetrare , vt nedũ viribus & audacia quibus antea solis innitebatur,sed etiã arte industriaq; valeret.Iisdẽ studiis innitentẽ Paulũ Aemiliũ legimus, q & filios quorũ institutioni frequẽter intererat eruditi cẽsuit,ac voluit egregiis taliũ rerũ selectis prędceptoribus cõmitti.Marius autẽ iisdẽ nec dum iuuenis studiis,verũ quũ esset annis cõfectus,& multa corporis egritudine grauis quo filiũ militaribus officiis obeũdis per reliquũ ętatis illustrẽ redderet, quotidie cũ adolescẽtibus foras prodibat in mediũ vnà decertans, nõ nescius quãti hoc in pace imaginariæ militiæ genus à teneris annis imbibitę, ad maxima posterorũ discrimna,ac vera belli prędia ineũda conferret. Et licet hoc militiæ genus quod in eiusmodi exercitationibus quæritur longe impar sit ei quod inter bellorũ tumultus per indigẽtiã rerũ omniũ omnesq; terrores discitur,mirũ tamẽ in modũ equitatu facile & armatura leuissimũ corpus reddit.Idẽ expeditionẽ agẽs,copias suas assiduis laboribus,cursu & lõgo itinere exercuit,eosq; sępenumero onera iubebat ferre & vasa & cibaria illis in fasciculos coëuntia furcis imponi,sub q̃bus & habile onus & reqes facilis esset,vnde in ꝓuerbiũ postea venit,vt q difficultate nulla infractus miles laborũ esset patiẽs,eorũq; nõ aspnator,sed studiosus ardẽsq; imperatoris sui iussa tacitè agẽs,Marianus mulus appellaretur.Cato etiã Cẽsorinus filio suo magistrũ se prębuit,quippe qui exercẽdi corporis,nõ modo iaculãdi,tractãdiue arma, verũ equũ defricãdi,equitãdiq; & pugno dimicãdi,calorẽ & frigus tolerãdi, ac rapidos gurgites & asperrimos fluuios vi tranãdi arte instruxit. Vticensis autem ille posterior Cato,in gymnasiis se exercens,laboris ita patiens fuisse dicitur,vt detecto capite,seu sol, seu imber esset, cum amicis qui vnà iter faciebant,equisque veherentur,singulos sæpe adiens , & pariter cum singulis ambulans loqueretur, pedibus ipse proficiscens.Magnum & prędclarum quoque erat ad animorum fidutiam , maximum ducem aspicere Pompeium , duo de sexaginta annos natum , saltu & cursu pedites primum , equites armis deinde exercere , nudare ensem , & currente equo vectum peropportune recondere. In iaculatu præterea,non agitare modo, sed pro tempore robur ostendere, quẽ talibus insidentem , ex iunioribus plerisque haudquaquam facile superabant .

Neque

Neque enim ille potuiſſet par eſſe Sertorio, niſi ſe militeſq; ſuos frequentibus exercitiis præparaſſet ad prælia, quum ad difficultates ille maximas, ad longas itinerationes, per aſpera quæq; & inuia aſſuefactus, ex quibuſcunq; locis inuadendi euadendiq; ac exercitum ducendi peritiam quandã & ſummam haberet. Ma ſiniſſa, Numidarum rex, nonaginta annos natus, præ cæteris hominibus hac in parte admirabilis fuit, adeò quemadmodum Cicero refert, vt nullo vnquam imbre, nullo frigore caput ſuum veſte tegeret. Eundem conſtat aliquot horis in eodem veſtigio perſtare ſolitum, nec antè moto pede q̃ cõſimili labore iuuenes fatigaſſet: ac ſi quid agi vt ſæpe ſolet à ſedẽte oporteret, toto die ſępenumero nullam in partẽ cõuerſo corpore, in ſolio duraſſe: & quũ ingreſſus iter pedibus eſſet, in equũ omnino nõ aſcẽdere: quũ equo, ex equo nõ deſcẽdere: quũmo noctẽ diei ſic plerũq; iungẽdo ducere, vt nihil ex his quæ adoleſcẽtes ſolent, omittere videret. P. Scipio cõtra Numãtiã miſſus, corruptũ ſocordia ducẽs exercitum, exercitatione correxit, cogẽs niues & frigora pati, vada fluminũ pedibus traiicere, timidos ſubinde exprobando, & ignauos, frangendóq; dilicatioris laſciuioríſque vitę vſus, & parum neceſſaria expeditioni vaſa. Curauit præterea Cyrus vt nunquam milites niſi ſudore præuio prandium ſumerent aut cœnam, idq; aut venatione fiebat, aut alio iniuncto opere, quod egens feſtinatione ſudorẽ eliceret. Mithridates rex Ponti per hyemem ocio marcere milites nunquã paſſus eſt, eos nanq; ac ſe ipſum continuò tectis haud quaquã vrbanis, ſed caſtrenſibus tenuit: neque verò ludis niſi acerrimis membra indies exercuit, aſſuetus feras curſu perſequi & viribus nõnunquã congredi, ne Zephyro ad bella vocante vires per blandimẽta langueſcerẽt. C. quoque Cæſare quẽ vltrà quàm credibile cuiquã videatur laboris patientẽ fuiſſe conſtat, tyrones domi per equites perq; etiam ſenatores armorum peritos, inſtructos legimus, ad eóſque ſcripſiſſe perſæpe, quo ſingulorum curam diſciplinámq; ſuſciperent: nec tyronibus ſolum, ſed militibus etiam ſuis, ac vniuerſo exercitui die noctúq; ſubtrahebat, augebátque iter, quo per ſegnitiem & inertiam ſubſequentes defatigaret: quæ omnia ſilentibus bellis animaduertẽs Probus Aurelius, in negocio verſari milites ſuos quàm in ocio ne lãguerent, ſatius fore duxit, fabricis nunc vrgendo nouis, altas nũc extruendo turres, nũc aquoſa deſiccando loca, nunc templa quæ vetuſtate corruiſſent reſtaurando, aut noua & pulcherrima conſtituendo atque colendo. Saltationem quoque domi à Lacedęmoniis, admiſſam inter exercitationes ad bella vtiles fuiſſe, memoriæ prodi tur, quam Socrates apud Gręcos probat: & maiores noſtri, nec inhoneſtam, ſed neceſſariam ſimili modo putant, quum apud eos ſaltationem in armis habitam & ab ipſo tripudio ſaltatorios alios denominatos conſtet. Et quanquam vno eodemq; tempore tribus nobiliſſimis ciuibus, non modo ſtudium ſaltandi, ſed etiam peritiam qua gloriarentur fuiſſe non dubium ſit, Gabinio ſcilicet conſulari, Ciceronis inimico, quod ei etiam Cicero non diſſimulãter obiecit, & M. Cęlio, noto in turbas viro, quem idem Cicero defendit, & Licinio Craſſo, Craſſi eius qui apud Parthos extinctus eſt filio, Criſpus tamen Saluſtius, ſpectata veritate hiſtoricus, Semproniam, nobiliſſimam fœminam reprehendit, non q̃ ſaltu valeret, ſed q̃ eiuſce rei ſingularẽ quandam peritiam & eruditionẽ habuerit:

& Scipio vt Senecæ verbis vtar,eo in libro qui de animi tranquillitate inſcribitur, triumphale illud & militare corpus mouet ad numeros non molliter,ſed infringens,vt nunc mos eſt etiam,inceſſu ipſo vltra muliebrem mollitiem fluente. Sed vt illi antiqui viri ſolebãt inter luſum, ac feſta tempora virilem in modum tripudiare,non facturi detrimetum, etiam ſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur, nec tibi,Sigiſmunde,huius & illorum ſaltationis ſtudium turpitudini fuit,ſimili modo exercere prodireq; in medium,ac modo aperta fronte,modo perſonata nonnunquam populo eſſe ſpectaculo,hac ratione tua quòd nulla pars corporis in ſaltatione,vtì ſæpe & phyſice quidem dicere ſoles,ocioſa ſit,ſed collum vnà & crura & manus exerceãtur exercériq; debeant,per eũ qui ſit corpus agilius & ad omnem militarem motum ac celeritatem promptius habiturus. Præter hoc Nembroth,vel vt alii perhibent, Apollinis Dianæq; inuentũ,venandi ſtudiũ ſummopere probare etiam ſoles, quòd parum tibi quid à iuſto differre bello videatur, qnum opus ſit feras inſequi fugientes,locorum aſperitatibus,abruptis & inuiis moueri,maximos labores capiendi ſtudio ſubire,abſtinere à multis,ęſtus & algores pati,ſitim ac inediam tolerare, commoueri deniq; animo quum ſint manus conſerendæ cum feris,cominuſq; congrediendum,his cauſis honeſtiſſimis, nec ad illecebras tantum & animorum relaxationes,antiquorum plurimos ac quidem grauiſſimos inhæſiſſe percelebre eſt: nam fixerit ceruam licet,aut Erimanti nemora placarit victor Alcides, aprum Calydonis regionis vaſtatorem ſtrauerit Meleager,fuderit auctor romani generis ceruorum corpora,non voluptati ſuę ſed publicæ vtilitati proſpexere. Cyrus ſimili modo publicæ vtilitatis militariſq; diſciplinę gratia eos ipſos qui aptiores bellis videbantur,venationi aſſuefaciebat, propterea quòd id genus exercitii plurimum bellicæ rei conducere ad exploranda itinera,& diuerſorum locorum anfractus non dubium ſit. Prætereo Alexandrum,Sertorium,M. Antonium,Alexãdrum item Seuerũ,Hadrianum, Tacitum,plureſq; alios ſuperioris temporis imperatores ac duces maximos hoc exercitii genus ſummo quodam ſtudio proſecutos: quos verò ſpecies illa venationis oblectat,vt aues auibus inſequatur,ſi tamẽ hoc genus aucupii venationi cenſeas annectendum,mitiori quidem ſtudio exercentur,ſed non impari leuitate ac voluptate. Huius autem exercitationis auctorem ſunt qui Macchabęum,egregium belli ducem,fuiſſe confirment. Ab antiquis autem ſecularium hiſtoriarum ſcriptoribus fidẽ ſumentes, Vlyxem perhibent,qui primus exciſa Troia armatas aues attulit Græciæ, quas ſua vi quadam & grata intuentium admiratione, duce natura in cognati generis exitium animauit. Nam quũ accipitres paſſim auibus inſidientur,eaſq; rapiant,alii ex terra ſolum, alii non niſi circa arbores volitãtes,alii ſedẽtes in ſublimi,aliqui volantes in aperto,in Thraciæ parte ſuper Amphipolim homines & accipitres ſocietate quadã aucupãtur. Hi enim ex ſyluis & arũdinetis excitãt aues,illi ſuperuolãtes deprimunt: rurſus captas aues diuidunt cũ his, traditúmq; eſt miſſas in ſublime ibi accipere eos,et quũ tẽpus ſit capturę,clãgore & volatus genere inuitare ad occiſionẽ. Piſcationis autẽ vſus & modeſtior eſt,quẽ nec aſpernati ſunt plures & qdẽ magni viri, Auguſtus præcipue & M. Antonius,qui ob laxandũ animũ, piſcari ſæpius hamo ſoliti ferũtur:

quanquam

quanquã & honeſtior forte,& probãda magis illorũ vita fuerit,de qua inquit Naſo,Piſcis adhuc illis populis ſine fraude natabat,Oſtreaq; in cõchis tuta fuere ſuis: Nec Latiũ norat quam prębet Ionia diues,Nec quę pygmeo ſanguine gaudet auis. Natandi peritia propter maritima etiam bella his adhibenda videtur,quũ & periculis liberare milites ac duces plerũque ſoleat,& ad quęq; clariſſima facinora audaciores reddere, ideoq; maiores noſtros cãpũ martiũ Tyberi finitimũ delegere quo & milites tabẽ omnẽ ſudorẽq; illũ Martiũ atq; ſqualorem armorũ exercitio cõtractũ diluerẽt ac natãdo laborem deponerẽt. Huius rei peritia Sertorius,Romanis aduerſus Cymbros male pugnãtibus,amiſſo equo & vulnere inſuper accepto,Rhodanũ amnẽ cũ thorace & ſcuto per aduerſos fluctus,& flumi nis vortices,toto corpore atq; omnibus vngulis vt dicitur plurimũ innitẽdo traiecit. Simili modo Iulius Cęſar quum Alexandriæ circa oppugnationem irrumpentiſq; multitudinis impetum preſſus ſcapham coſcendiſſet, mox pondere ſequentium preſſam ac porrò merſam per ducentos paſſus ad nauem , vna manu elata qua literas deferebat,natando peruenit,ſicq; vt ſint qui paludamẽto in fluctibus dimiſſo enataſſe illum dicant : idq; ſeu fortuitò,ſeu conſultò,vt hoſtes in illud ſagittis ac lapidibus intentos faceret : ſintq; qui paludamentum mordicus trahentem,ne hanc quidem gloriandi materiam hoſtibus reliquiſſe confirmẽt: hæc tamen vulgatior & certioribus teſtibus ſuffulta ſententia eſt. Nã de eo nulla eſt cõtrouerſia,eleuata illum ſiniſtra manu natauiſſe,ne libellos quos ea geſtabat,maris aqua perfunderet. Huius diſcriminis forte memor Auguſtus, ea in re nepotes ſuos ita ſtuduit erudiri,vt & ipſe plerunque per ſeſe doceret. Talia porrò exercitia recipienda ſunt quæ ad imitationes eorum quæ poſtea ſeriò erunt facienda,accommodari poſſint, nec faciãt exercentem habentémque,vilis exercitii operatorem: vile autem exercitium putandum eſt quodcunque corpus aut animum,ſiue mentem deterius diſponit ,vt mercenariorum turba plurima, & quæ ſordida nuncupamus: mentem enim non expeditam ,nec ad opera bellica vtilem,ſed vilibus occupatam reddunt. Illud ſimili modo vnũ nec prætereundum, tanquam omnium vtiliſſimum,equos ſcilicet ad equitandum idoneos,ſed inexpertos laboris,celeriter confici necaríque ſolere, proinde equitem oportere frequenter eos agitare,& quoniam frena & phaleræ ex loris confecta maxime vſui ſunt,nunquã ſine illis incedere: ſicq; parua impenſa permagnum ſibi præſidium comparare poterit,& glorioſius in omni bellico certamine victor euadere

De Ocio militari Cap. IIII

VErum quoniam clarorum virorum atq; magnorum nõ minus ociũ quàm negocii rationẽ extare oportet,quum nihil pene ſit in opere naturæ quod non exemplo dierum ac noctium ,aliquas vices feriarum velit, huic ipſi modum finemq; præſcribamus. Primum itaq; quum permultæ ſint animorum huiuſmodi relaxationes quæ aliquo ſtudio feſſos leuare poſſint,vigorẽq; animi ab omni triſticia & pertinaci laboris cõtinuatione feriatũ hilariter diſcutere,in ocio & ceſſatione id potiſſimũ erit,ne quid illiberaliter,ne quid petulãter, ne quid flagitioſe,ne q̃d obſcene,molliter, impudenter ac improbe ſuſcipiatur. Sec quicquid id erit,ſit vrbanum,ſit ingenuum,ſit facetum,

& eiuſmodi denique in quo aliquod probi & generoſi animi lumen eluceat, vt quę apophthegmata & ſcōmata vocant, quibus Auguſtus Cæſ. Adrianus aliiq; permulti ferociſſimi & bellicoſiſſimi viri maxime Lacedęmonii vſi perhibētur. Apud hos enim inter cætera exactę vitę inſtituta hoc iocandi genus à Lycurgo inſtitutum eſt,vt adoleſcentes & ſcommata ſine morſu dicere,& ab aliis in ſe dicta perpeti diſcerēt, vnde ſi quis eorum in indignationem ob tale delictum prolapſus fuiſſet,vlterius ei in alterum dicere non liceret: quæ res quantum ſit vtilitatis allatura,qui Lycurgi vitam legerit facile inueniet. Licebit etiam variū vitæ genus habere,modo ruri eſſe,modo in vrbe,ſæpius in agro quieſcere ac deambulare,vt Scipio ille qui primus Aphricani nomē geſtis rebus & virtute meruit. Quippe qui ſpiritum domitorem gentium,& aures caſtrorum ſtrepitu & tubarum fragoribus oppletas huc referre conſueuerat, non vt virtus ocio langueret, ſed vt ſeſe mens varietate negociorum diſcreta colligeret. Quamobrem nec ſibi vnquam ocioſus,neque ſibi ſolus vnquam videbatur.Huius nepos & ipſe Aphricanus Scipio, ſicut laboris & exercitii ſupra fidem patiens, ſic ocii & ſolitudinis cupidus,ſolus ſæpe cum Lęlio ruſticari peregrinariq; ſolitus,interdumq; littoribus vagabundus, expugnatricem illam Carthaginis Numantiæq; dextram ad marinas conchulas calculóſque legendos inclinaſſe, eóſque, vt Ciceronis verbo vtar, incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos,quum rus ex vrbe tāquam è vinculis euolaſſent. Q. Mutius Sceuola diuini pariter & humani iuris illa ætate conſultiſſimus,à procellis fori fugiens in ocium,& aleæ,& calculorum ludo fertur operam dediſſe, eáque viciſſitudine rerum mole prægrauatum ingenium releuaſſe. Quanquam eo in genere probandi forſan magis ſint idem Q. Mutius Sceuola augur, & Lycon philoſophus,qui optime pila luſiſſe dicuntur, quòd forenſibus cauſis interpretandíque iuris ac rerum naturalium labore fatigati, ad hoc præcipuum ocii genus recreandarum virium cōfirmandorumq; laterum gratia ſeſe conferebant. Dionyſium quoque Syracuſium hoc etiam ludo delectari ſolitum accepimus,& diuum Auguſtum poſt finem ciuiliū bellorum ab exercitiis campeſtribus ad pilam tranſiiſſe,& M. Antonium, Verum, Auguſtum, Marcúmque Aureliū Antonium, qui vt de eo ſcriptum eſt,pila quoq; luſit apprime. Calculorum quoq; luſus quorundam iudicio nec indecens habendus, quum & pugnæ bellique ſpeciem præferat hoſtiliſq; certaminis dicente Ouidio,

Diſcolor vt recto graſſetur limite miles
Quum medius gemino calculus hoſte perit.
Vt mage velle ſequi ſciat & reuocare priorem,
Ne cito fugiens incomitatus eat:

Qui ludus proinde q; pauculis lignis ſit, vagis ac furtim inſidiantibus atq; latrocinantibus,Latruncularius ludus apud veteres dicebatur. Vnde Martialis,

Inſidioſorum ſi ludi bella latronum,
Geminus iſte tibi miles & hoſtis erit.

Et quanquam probent hoc alii, ex eo quòd ingenii multa meditatione excitare acumen videatur,ex eo mihi quidem videtur magis improbandus, quum nihil ſit temporis amiſſione infœlicius, nihil deterius eo in quo minimū proficias,plurimum

rimum cum labores. Posset enim motus animi, & mentis agitatio illa quæ ibi frustra distrahitur,rebus magnis,seriis & melioribus accommodari: vnde non ab re præter Scæuolam & Augustū apud maiores nostros hoc ludo ludere quoque simias solere,auctore Plinio, nemoriæ proditum est. Tabularum verò ludus nec aspernandus nobis videtur,quem Palamedes troiano bello vt Varro tradit, iccirco inuenisse legitur,vt vel hoc negocio milites occupatos teneret,taliq; ludo auerteret à seditionibus exercitum. Iocundum quoque & fructuosum est alearū nosse certamen,cuius similiter studio Claudium Cæsarem libro de ipsis edito teneri quondam nouimus. Legimus & Neronem & Domitianū, Verū,Commodum,& Augustum Cæsarem imprimis,tantum huius rei cupidum fuisse, vt de bello siculo mordax epigramma huiusmodi inuulgatū sit, Postquàm bis classe victa naues perdidit Aliquando vt vincat ludit assidue alea. Huius etiam voluptate certaminis Ptolomæum & Alexandrum pluréisque alios grauiores curas nouimus deliniisse, idq; inter ludendum egisse vt cum laude & gloria maioribus negociis aptiores postea redderentur: quòd si aut cupiditatem sequitur, minime liberale: aut indecentē viro mollientē illam quā Athalus Asiaticus dicitur inuenisse,quanquam Asiæ regno exciso inter manubias non sub vna specie migrasse ad Græcos ferunt,damnosum tanquam ac iurgii plenum fugiendum esse, & leges iubent,& his verbis Naso non reticet,

Sunt aliis scriptæ quibus alea luditur artes,
Hoc est ad nostros non leue crimen auos.
Quid valeant tali quo posses plurima iactu
Figere damnosos effugias ve canes.

Alius verò aleæ ludus, cum ære quodam pueri denarios in sublime iactantes capita,aut nauium lusu testę vetustatis exclamant,quid criminis turpitudiníue in se habeat nec video neque intelligo. Addit etiam Herodotus Talariū ludum & sphæræ, Lydos fame oppressos quasi solatia quædam inuenisse. Altera enim die ludebant,alia epulabantur,atq; ita duo de viginti annis feciisse,quæ si non ad voluptatem comparata sunt,similiter improbanda minime puto. Non igitur ad tam varias huiusmodi ludorum species,atque iocorum, tanta clarorum hominum,ducum, ac principum cupiditas tenderet nisi voluptatem quandam natura insitam,lusus,iocusq; haberent,quum constet vitam in laxationem & studium diuidi oportere,ob hócque non solum lucubrationes & vigilias sed etiā somnos inuentos esse,non turbines & tempestates,sed temperies: nec bellum rursus, sed pacē & inducias: nec laborioſas semper actiones, sed celebritates quasdam à legum cōditoribus institutas quibus ad hilaritatem homines publice cogerentur.

Finis Quarti.

ROBERTI VALTVRII

AD ILLVSTREM HEROA SIGISmundum Pandulphum, de re Militari Liber Quintus.

De quadruplici uirtutum ſpecie & earum diſtributione, quiq; in his bellorum duces clariſsimi habiti ſint. Cap. 1.

Mnes, Sigiſmunde Pandulphe, omnium penè diſciplinarum inſtitutiones, naturam & exercitationem, quæ ſine dubio plurimū iuuāt, in ſuperioribus libris attigiſſe ſatis viſum eſt, nunc vberiore quadam comprehenſione per omnes quidem ſpecies virtutum exemplorúmque ire qui poterunt, magis proficient: maxime ſi ducum atque imperatorum quiſq; conſilia, quę Græci ſtratagemata appellant, multáque multorum grauiter, argutè, facetéque dicta, vt ea quæ à ſene Catone collecta ſunt, quæ vocāt apophthegmata, & ratione, & loco, & tempore vſus diligenter inſpiciet. Nam & omnium quæcūque docemus exempla potentiora & efficaciora ſunt, etiam ipſis quæ traduntur artibus. In his enim mirabilem quandam ac variam, illis excogitandi generādiq; ſimilia opera noſtri duces & imperatores ſument alimoniam, quum nihil(vt ita dixerim) ante prælium, in prælio, poſt prælium, ſtrenuum, memorabile, clarum, vafrum, callidum, continēter, conſtāter, benigne, liberaliter, innocenter, magnifice, ſapienter, cum laude & virtute dictum factúmue, quod non hinc legentium animos facile poſſit irrepere. Non alienum igitur erit, ea primum virtutis exempla pertingere, cuius quidē nota omnibus quadripartita diſtinctio eſt. Nam & callere ducem oportet & quid agendum, non ſolum in prælio aduerſus hoſtem, cæterum vbique, & cum omnibus induſtriū eſſe: neque enim ſemper duces pugnant, immo ſæpenumero per inducias, aut caſu aliquo poſitis armis, cum amicis aut hoſtibus colloquuntur: vbi in eligendis aut reiiciendis rebus falli, agreſte, vel ſubruſticum aliquid, & ineptum loqui, imprudentis & inſulſi eſt. Enimuero ne in id plabamur, naturę comitas, affabilitasq; præſtabit: in qua primus omniū Aphricanus maior, inde Auguſtus, Veſpaſianus, multiq; alii ex noſtris, Pompilius rex Romanus, & Fabius maximus, & Catones duo clari ſunt. Adde his Marcū Antonium, longe prudentiſſimum: eum inquam qui Phyſicum maluit quàm Cæſareum cognomen: Ex alienigenis Cyri ambo, Pœnus Hannibal, & Ponticus Mithrydates. Et hæc quidē prudētiæ virtus in tres partes diſtributa eſt: memoriā enim, intelligentiā, ac prouidentiā affert, quæ tres oculos in totidē quoq; tempora, mira rerum diſtantium connexione defigunt: memoria quæ rerum geſtarum, locorum, temporū ac perſonarum meminit, quis præter cæteros fuerit inſignis haud facile dixerim, permultis gloriam eius adeptis. Diuo Iulio Cæſari, hoc imprimis

imprimis ab hostibus datum scio,vt memoria polleret eximia,de quo inquit Cicero ꝙ nihil soleret præter iniurias obliuiscì,quippe qui huius rei quoꝙ beneficio, & legere simul & scribere, & audire,& epistolas ex tempore tantarum rerum duobus librariis & pluribus vt Oppius,vt alius historicus quidem & orator insignis inquit,quaternas,vel vbi nil aliud ageret,septenas dictare solitus sit.Mirifica profecto res,tam facile singulis adesse,tam fideliter omnium reminiscì. Nec sum nescius huius quoque rei singularem Q.Fabio Max. laudē contigisse: inter multa nimium quæ viri illius gloriam extollunt,hoc non in vltimis posuerim,quòd ingenti quadam fuit notitia vetustatis,de quo est apud Ciceronem,quòd omnia non domestica solum,sed etiam externa bella memoria complectebatur:itaque minime miror , quòd bello punico secundo dicta eius consiliaꝙ tum in populo, tum inter primores patrum pro oraculis habebantur . Vere enim mihi videor dicturus,qui multa superioris temporis memoria tenuerit , fore quodam modo futurorū vatem . Sed quum duplex sit memoria, altera rerum, verborum altera, primam qualem in Fabio modo retuli,talem in L.Lucullo,amplissimo & imperatore & philosopho admirabiliter viguisse comperio . Alterā atque secundam habuisse videtur Scipio. Ex omnibus enim gētibus ac sæculis nullum in hac re facile sibi prætulerim,si modo verum est quod tradunt,ipsum etiam populo ro. nomina reddidisse: quæ res quidem penè incredibilis est,nisi eam permulti clari auctores,inter quos Plinius secundus in naturali historia,id proprio testimonio confirmassent.Fuit et Adrianus ingentis & mirificæ memoriæ,quippe qui & libros statim lectos & ignotos plurimis memoriter redderet,vnóque tempore confabularetur,scriberet,dictaret,audiret.Ab occasu ad orientem verso,Themistocles, Graiæ gentis primus occurrit,qui inter grauissimas occupationes,publicas & priuatas,cunctorum suorum ciuium nomina Athenis natus,memoria tenebat,stupendum profecto negocium,nisi L. Scipionis mentio perfeciisset .Cyneas quoque Pyrrhi regis nuncius , clarissimam excellentiæ huius gloriam consecutus est:legatus enim senatui Ro .postero q̄ ingressus est vrbem die,nouus homo & ab ea patria alienus,vniuersum propriis senatum nominibus salutauit . Sunt qui equestrem ordinem, sunt qui vrbanam omnem circumfusam senatui plebē adiiciant. Præclarum sanè facinus,operosum ac diligens,etiam si ob aliud Romam non veniisset.Cyrus porrò,Persarum rex,etsi maximis exercitibus prꝙesset, omnium tamen militum nomina meminerat . Mithrydates denique,vt auctori Noctium atticarum, A .Gellio,quinque & viginti: vt Plinio,duarum & viginti: vt verò nepoti eius,eo libro qui de viris illustribus inscribitur, quinquaginta gētium quę sub imperio eius,linguarum notitiam habuisse perhibetur,& iura cuilibet patrio sermone reddidisse, & in concionibus singularum nationum interpretem haudquaquam illi fuisse: quę res & illū militibus,& hunc populis suis acceptissimum fecit . Intelligentia in rerum præsentium cognitione sita est, hac qui fuerit prꝙeditus imperator,non aliena sed vera & immortali mihi laude probandus videbitur ,cui consentaneum illud erit quod Accius Vlyxem probās in Philocteta suo,& in eius tragœdiæ principio inquit , Inclyte parua prædite patria,nomine celebri claróque potēs pectore,achiuis classibus auctor,grauis Dardanis

danis gentibus vltor,Laërtiade: nouiſſime patrem memorat,verum omnes laudes eius viri non Laërtes,nec quiſquam alius ſibi vendicat , ſed virtus eius ducis ſocia: nec aliud in eodem Vlyxe monet Homerus , qui ſemper ei comitẽ voluit eſſe prudentiam,quam poëtico more Mineruã appellauit , quòd ea comite Vlyxes horrenda quæque ſubiit,aduerſiſq; omnibus præfuit. Ea nãq; adiutrice,Cyclopis antrum introiit,verum egreſſus eſt , Charybdim & Scyllam præternauigans nec retentus nec ereptus eſt,ad Lotofagos profectus eſt nec remanſit,Sirenũ cantus audiit,& Circes nouit pocula,quę ſi cum ſociis delinitus,ſtultus cupidúsque bibiſſet,Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors, Vixiſſet canis immũdus & amica luto ſus,vt Flaccus inquit . Sic Homeri in cunctis imitator Maro, virum inſignem armis & pietate deſcribens,& quem dignum cenſuit vt patrem faceret Romanorum , in recte gerendis omnibus ei Achatem ſociauit,vt circũſpecto duci ſic negocia procedant,vt nullis inſidiarũ dolis præpediatur,& quaſi inuiſibilis,gerendorum via non vulgata ad finem intentionis accedat . Elegan-ter equidem,quum nec res militaris,nec pietatis opus ſine ſolicitudine & prudẽtia exerceri queant,hanc ſubdiſtinguere viſum eſt nobis: eſt enim quoddam hominum genus percipiendis literis quàm aptum,quos præcellenti ingenio,& vſitatiori nomine ingenioſos appellamus , quãquam in actibus humanis hebetiores ſint nonnunquam mentis acumine: quum alii econtra ad res gerendas acutiſſimi,perceptioni literarum inhabiles habeantur, quos vel ſagaces, vel cautos, vel ſolertes,vel aſtutos non alienum eſt appellare,quibuſq; magna pars conuenit eorum quæ græco vocabulo ſtratagematicon appellant,vbi in re bellica pro negocii qualitate præſens ſubitò capitur conſilium, ad effectũq; perducitur.Quod quia negocio perficitur,dixit quidam romanæ linguæ diſertiſſimus auctor,neq; illi tamen ad cauendum dolus aut aſtutia deerant . Et Criſpus, compertum eſſe in bello plurimum ingenium poſſe.In hac itaq; ingenii & intelligentiæ parte, ſi recte diiudicare voluerimus, nec noſmetipſos amore noſtri decipere, iam videbimus manifeſte tempora noſtra haudquaquam antiquis reſpondere , niſi forte Pyrrho,& Hannibali,aut Fabio Maximo,aut Marcello,aut Iulio Cæſari ſæcula noſtra pares aliquot aut cõparandos queant afferre . Eſt autem quũ in longum tempus conſilii effectus extenditur,vbi locum ſibi vendicat prouidẽtia,quę tertia prudentiæ pars eſt,per quam non tam præſentia quàm ex præſentium & præteritorũ collatione futura noſcuntur.Sequitur fortitudo, viri fortis maxime propria.Sed hæc quoque duplex eſt,altera animi, de qua ſermo nobis pòſt eſt habẽbendus,altera corporis: ſub hac membrorum robur,agilitas & quinque integritas ſenſuum colligitur: neq; enim dux inualidus,quanquam idem doctus,obeũdis muneribus bellicis aptus habebitur: vtilis ille conſilio,non pugnę: domi verbis aptius,ac fœlicius,quàm in caſtris decertabit. Quæ res Aphricani magni filium virtute animi patri æqualem,doctrina verò etiam altiorem,inhabilem bello fecit. Contra neque præualidus,ſi nimia corporis mole grauabitur,repentè poterit variis in locis,vbi res exiget,cohortandis militibus , propulſandiſq; periculis adeſſe,neque rurſum cæcus,vel ſurdus,vel hoſtium,vel ſuorum ſtatum circunſpicere, ex diſſonis vocibus clamorêque militum quid in re,quidue futurum, iudi-

care

care queat. Huius proprium esse aiunt, exercitus ducere, aliena vastare, delere vrbes, oppida excindere, liberos populos aut trucidare aut subiicere seruituti, ex quo plura hominum milia afflixerit, spoliauerit, substulerit, cruore cãpos inundauerit, fluminaq; infecerit, & maiora quæq; fuerit aggressa, eo magis nomen illius illustrari. In hac prępollentis virtutis parte, apud externos clarum nomen habet Pyrrhus, Hannibal, & Masinissa. Ex his verò hominibus qui prodigiosa virium ostentatione gloriantur, Polydamas & Milo omnium certaminum victores, palmam secum auferunt: horum enim alter ante olympicum certamẽ, currus sistere currentes, & manibus, contrà nitentibus iumentis, obnixis retinere solitus est: alter in clypeo vncto perstare, neq; solum depelli ab eo vlla vi posse, verum non secus ac statua quædam plumbo affixa resistere. Tritanum quendam etiam legimus, qui ludo Samnitum gladiatorio, leui tactu aduersarios omnes vicit, eius quoq; filium Cn. Pompeii militem, tam parui feciſſe hostem prouocantẽ, vt inermi eum dextra superaret, & digito vno correptũ in imperatoris sui castra trãsferret. Firmum Saturnium robustum etiam adeò fuisse ferunt, vt Tritanum huius parentem, cuius Elius in prodigiosa fortitudine meminit, viribus superaret: nam & incudem superpositam pectori, constãter pertulit, quum ipse recliuis ac resupinus, & curuatus in manus, & terga, pẽderet potius quàm iaceret. Ex regibus verò nostris & ducibus insignes habentur Tul. Hostilius, romanus rex, nec non vterq; Aphricanus & Marius, Mariúsque tyrannus, Iulius Cæsar, & Papyrius cursor deniq;, ac Maximus, quorum alter nactus ex pedum pernicitate cognomen, alter ex viribus, quum alii Crotoniatem eum Milonem, alii Herculem, Anteum alii vocarent. Nunc supereſt vt de reliqua fortitudinis specie differamus, cuius munera hæc maximè sunt, mortis scilicet doloriscq;, & asperarum terribiliũ que rerum contemptio. Et quanquam hanc multi ducum propriam militaréq; virtutem opinentur, quum sit omnium, in bello tamen clarior inter mortes & vulnera emicat. Huius virtutis ante alios inuictum habitaculũ Roma fuit, proximum Lacedæmon & Carthago. Hic ex nostris primus occurrit romanę sapientiæ princeps Cato, cæteris multorum eruditorum sententia maxime præcellens, Cleãtem, Chrysippum, Zenonem, Empedoclẽ secutus credo, qui omnes, alia licet persuasione, sponte sua lęto caput obuii obtulere: tametsi nullam in Catone fuisse, verùm omnem potius cessisse fortitudinem afferant alii, præclaro ingenio & pręstanti doctrina viri: & quũ propriũ virtutis huius partis sit, à se & à recto rationis tramite non discedere, nec in rebus asperis perturbari, ac deiici, sed persistere, Fortitudinem asserentes non vmbratilem eam esse, quę contra naturã, monstri vice nititur, vltráque modum eius egreditur, aut stupore animi, aut immanitate, aut insania, qualem fuisse accepimus ferum quendam in ludo Cęsaris gladiatorem, qui quum vulnera eius à medicis execabãtur eo fuit habitu oris vt superante lętitia dolores, ridentis etiam speciem præbuerit, sed eam veram & probam quam Socrates & maiores nostri scientiam esse dixerunt tolerandarũ rerum & non tolerandarum: per quod apparet esse quædam intolerabilia, à quibus fortes viri aut obeundis abhorrent aut sustinendis. In hac etiã ex nostris, Iulius Cæsar, à nobis sæpe dictus dicendusq; nobis occurrit, occurrunt Aphricani duo, Pauli totidem,

totidem,Macedonicus & Cannensis,Claudius,Marcellus, Claudius,Nero, Tib. Gracchus,C. Marius , Drusus & Germanicus cæsares, Titus & Traianus principes. Ex vetustissimis autẽ,primus et tertius romani reges,necnon ex equestri ordine Oratius cocles, L. Siccius dentatus,tribunus plebeius,M Sergius,innumerabilesq; alii,si singulos quosque prosequi libeat,quum plures vna gens in quocunque genere eximios tulerit,quàm cæteræ terræ. Externi verò Lacedæmonius Leonidas, Athenienſis Mylciades, suprag; nominati Themistocles atq; Epaminũdas,& ex antiquioribus,Liber,Hercules,Theseus,Achilles,Hector,Tydeus,Diomedes,Aiax & virgilianus Aeneas: Hannibal quoq; genitórque Amilchar , & germanus Hasdrubal,Alexander Macedo,& huius genitor Philippus , & auunculus Alexãder Epirensis, & Pyrrhus etiam ipse Epirotarũ rex de quo suprà diximus. Hebræorum insuper, & imprimis Dauid , Iosue deinde & Iudas porrò. Nec me fallit eam licet virtutẽ Aristoteles ipse pertulerit, quidusdam videri posse ethicum me virtutum perturbasse ordinem,non solum prudentiam his annumerando, verum etiam fortitudinem iustitiæ præferendo militarem, quum sæpenumero iustitia longe præfulgens, perfectáque virtus ad alium maxime censeatur: quod non ab re,sed de industria quoq; factũ esse scito. Est enim viri propria maxime fortitudo, sola inter cæteras mascula,plena spiritus , plena vigoris & animi: honoratissimam verò eam esse omnium virtutum, Aristotelis sentẽtia ex eo patet,non quia optima sit,verum propter ea quæ in ea sunt optima & vtilia: quas ob res imperatorum simulachra defunctorum,militari fere habitu insigniri,obeliscos,columnas & pyramides arcusq; triumphales erigi,& posteritati consecrari videmus,quasi prę cellentissimũ sit, in eo genere laudis ac virtutis potissimum claruisse,Et quanquam fortitudo hominum cętus maxime protegat, non minus & iustitia vna omnium domina & regina virtutum , etiam ducum propria censeri potest,quòd sola hominum cõuentus regit,quòd fœdera societatis humanæ cõtinet,quòd seruare non amicis modo,sed hostibus fidem monet. Quúmque nihil fraude vtilius,nec dolo efficacius in his quæ in bellis ꝓsperè atque ex sententia gesta sunt, quæ plurima ac maxima esse comperies, & quorum gratia aut repudianda imperia sunt , aut vnà cum suis artibus obeunda , sunt qui hac Xenophontis sententia fræti,in eo libro qui equitum præfectus inscribitur,licere sibi existiment hostẽ nedum bello fallere, sed à diis immortalibus ipsis vt posse contingat precandum,omníque studio fraude vel virtute innitendum, iuxta illud Corebi apud Maronem in illa turbulentissima nocte troianæ captiuitatis post Androgei mortem inquientis,

Mutemus clypeos,Danaûmque insignia nobis
Aptemus: dolus an virtus quis in hoste requirat?

Sint licet qui detestãdum id omni tempore putent,mutationẽ illam clypeorum, & reliqua non grauissimi poëtæ,sed adolescentis ore dictum censeri debere asserentes,quod malum & antiquũ et nostri temporis est,seu illa ignauia est ducum, seu militum insolentia,auaritięque rabies , vtraque sentẽtia militantiũ ducumq; animis extirpanda est,vt hostibus seruetur fides,amicis humanitas , vtrisque iustitia: vt & illis nõ nisi seruato decore noceas,& his nullo penitus noceas modo.

Nam

Nam quid turpius,aut quid vſquam ſceleratius, quàm ñocumento his eſſe quorum tutelæ ac præſidio euocatus ſis , quàm ex cuſtode raptorem , ex cane lupum fieri? Huius gloriæ prima in parte clariſſimi habentur Fabricius, & Camillus,& Regulus,quorum primi duo quũ poſſent dolo vincere, noluerunt: tertius, ne aut damnoſus eſſet patriæ,aut infidus hoſtibus,crudeliſſime mori elegit,interq; hoſtibus præſtitæ fidei ſeruatores,haud prætereundus eſt Caſſius : in altera autem hi ſunt quibus modicum fuit à ſuorũ iniuriis abſtinere , niſi vltro pro eis morerentur.Ex his Romæ Curius & duo Decii, Athenis autem Codrus,Carthagini Philenes fratres ſeſe ante alios offerunt,quorum primus vt terrorẽ publicum ſedaret,ſecundi vt victoriam labentemq; aciem firmarent,tertius patriam inſtanti excidio eriperet,quarti vt fines patrios prorogarent, ad mortem voluntariã ſunt profecti,vtq; ciuibus ſuis bene eſſet,ipſi eſſe noluerũt. In vtraq; verò Magnus Põpeius etſi ad hunc vnum Cicero omnes bellicas laudes & quæcunque de his quibus egent duces vt ſummi ſint aut diximus aut dicturi ſumus,cumulatiſſimè cõparat : iure id quidem meritóque,ſed ſi cui maxime ſuum tribuitur,verè Magni Pompeii laus eſt bellica iuſtitia ſimulq; & cognita inter victorias & triumphos continẽtia,quę ad eam de qua hic aggrediar dicere virtutẽ referenda eſt,ſi vnum quod nũc ad iuſtitiã ſpectat adiecero,eſſe beneficentiã ac liberalitatem pulcherrimas ducum & imperatorum veſtes,quibus indecora plurima tegi poſſunt: hac Iul. Cæſar præit cunctos gloria,neq; enim quiſquam,ſi Senecæ verba teneo, liberalius victoria vſus eſt , ex qua nihil niſi diſpenſandi poteſtatem ſibi vindicauit. Apud exteros Alexander primum locum tenet,vt Græci volunt,neq; noſtri obſtant : quanquam Philippus pater in Alexandro qui largitione beniuolentiam Macedonum ſectabatur, profuſionem illam pecuniarũ his verbis inſecutus eſt, Quid te, malum, rationis,inquit,in iſtam ſpem induxit , vt eos tibi fideles putes quos pecunia corrupiſſes? an tu ideo agis vt Macedones non te regem ſuum , ſed miniſtrum & prębitorem putẽt? quod quidem regi ſordidum eſſe non ambigis, & corruptelam quàm largitionem potius dici: fit enim deterior qui accipit, atque ad idem ſemper expectandum paratior. Quid autem eſt ſtultius,quàm quod facias libenter, curare vt id diutius facere non poſſis? largitiones immoderatas rapinæ ſequuntur,quum enim dando egere cœperis, bonis alienis manus cogeris inferre: itaque quum beniuolentiæ comparandæ cauſa ſis prodigus, non tanta ſtudia aſſequeris eorum quibus dederis, quanta eorum odia quibus exemeris: quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris vt eam benignitas aperire non poſſit, nec ita reſeranda vt omnibus pateat , ſed vtrinque modus adhibeatur,iſq; referatur ad facultates. Quarta nunc mihi ſupereſt Modeſtia quam temperantiam vocant, cui adiacet ipſa quam paulo antè dicebam continentia,ſine qua non dicam dux, ſed nec quidem vir bonus vſq; fuit . Quia verò nunc de ducibus ſermo eſt , quid oratio perita literarumq; cognitio , quid magnanimitas,quídue omnes aliæ imperatoriæ artes profuerint,ſi auaritæ,ſi libidinis aut gulæ imperio dux victus,abiecto freno quo exercitum regat, ſe ſuáſque legiones pręcipitet,& in peſtem trahat , quo ſępe multi cum omnibus copiis periere? Hæc igitur ſingularis,& propria virtus eſt Pompeii,in qua ſi imitari eũ

collega eius Craſſus voluiſſet,nunquam ipſe cum filio,& cum tanta ruina imperii cecidiſſet. Probat hanc romani ducis cõtinentiam atq; modeſtiam templum Hieroſolymæ opulentiſſimum, ſed ab hoc intactum duce, ab altero ſpoliatum: probant & alia multa, quorum pars in verbis Ciceronis apparet quæ mox inferam. Accedit his manſuetudo quędã,& ſuauitas,facilitasq; animi,in qua Aphricanus & Iulius Cæſar excellunt,hac ad conciliandos animos hominũ nihil efficacius.Eſt huic confinis æqualitas quædam,familiaritasq; cum exercitu,quę res maxime milites ducũ amãtiſſimos effecit,in qua notus Valerius Coruus & Marius ex noſtris,ex externis Hannibal:& hæ quidem artes beniuolentia & amore,ſicut obiectæ, ſeueritas atque imperioſitas exercitum ac ſubiectos metu frenant. His artibus Mar.Curius, & Q. Cincinatus,& Papyrius curſor,& Fabius Max. notiſſimi, ſed nullus in ea re Iunio Bruto Manlióq; par Torquato, quorum primum publicæ libertatis amor impulit vt proprios filios à ſe depulſæ tyrannidi fauentes, ſeruiliter virgis cæſos, ſecuri percuſſos ad mortem ageret: ſecundum vero caſtrenſis diſciplinę ſtudium coëgit vt prędara indole adoleſcentem filium quòd iniuſſu eius in hoſtem pugnaſſet, quanquam vnicum & victorem necaret. Additur huic ſeueriſſimi facti comes,Poſthumius Tiburtus,cuius ego ne prętermiſiſſe potius,q̃ vt aſſeruiſſe rem tantã videar,mentionem fecerim: apud quoſdam enim ſcriptorum certa res, apud alios facti eius in ambiguo fama eſt. His tam multis & patientia iungitur eáque multiplex, hæc dolores corporis æquanimiter perfert, illa quaſi quoddam vulnus aurium atq; animi,contumelias fert verborum,vtraque ducibus & militaribus curis accommodata: prima quidem fortitudinem,ſecunda verò ciuilitatẽ reſpicit, atq; modeſtiam ipſam de qua ſermo eſt: in prima Mutius,& Marius & Pompeius clari habentur,& Actilius quidam Cæſaris miles Maſſiliæ ſpectatus, & M. Sergius cum eiſdem quibus ſuprà comitibus: ex externis verò Cynegirus Athenienſis græcis hiſtoriis celebratus: In altera verò ro. imperatores Iulius & Auguſtus ex noſtris, ex externis Philippus & Antigonus Macedonum reges,& Pyſiſtratus Athenienſis tyrannus: deniq; noſtros atq; externos Magnus ille Pompeius omnes ſuperat aut æquat,quo admoneor vt ex oratione quę de eius imperio habita eſt, ac de imperatorum ſeu ducum continentia,dęque his quatuor quę in duce requirimus, M. T. Ciceronis verba paulo antè promiſſa ſubiiciam, quæ clementiſſime atq; inuictiſſime princeps,vel vſui vel voluptati maxime tibi fore, confido. Neq; enim ille,inquit,ſolę ſunt virtutes Imperatoriæ quę vulgò exiſtimãtur,labor in negociis,fortitudo in periculis,induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſiliũ in prouidendo. Et poſt hęc, Non enim, inquit,bellandi virtus ſolum in ſummo ac perfecto imperatore quęrenda eſt, ſed multę ſunt artes eximię huius adminiſtrę comitéſq; virtutis, ac primum quanta innocentia eſſe debent imperatores, quanta deinde omnibus in rebus temperantia, quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate: nec longe pòſt, Propter hanc auaritiam, inquit, imperatorum,quantas calamitates, quòcunque ventum ſit noſtri exercitus ferant, quis ignorat? itinera quæ per hoſce annos in Italia,per agros atq; oppida ciuium Romanorum noſtri imperatores fecerũt recordamini, quum facilius ſtatuitis quid

apud

apud exteras nationes fieri existimetis, vtrum plures arbitramini per hosce annos militum nostrorum armis hostium vrbes, an hybernis sociorum ciuitates esse deletas? Neque enim potest exercitū is continere imperator, qui seipsum non continet, neque seuerus in iudicādo qui in se alios seueros esse iudices non vult. Quibus dictis, ad Pompeii laudes versus, Et miramur, inquit, hunc hominē tantum excellere cæteris, cuius legiones sic in Asiam peruenerint vt non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur. Iam verò quemadmodum milites hybernent, quotidie sermo ac literæ perferuntur, non modo vt sumptum faciat in militem, nemini vis affertur, sed ne cupienti cuiquam permittitur: hyemis enim, non auaritiæ profugium maiores nostri in sociorū atque amicorum tectis esse voluerunt. Age verò, cæteris in rebus qualis sit temperantia considerate, vnde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem cursum inuentum putatis? Non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui tam celeriter in vltimas terras pertulerunt, sed eum res quæ cæteros remorari solent, non retardarunt: non auaritia ab instituto cursu ad prędam aliquam deuocauit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem, postremo signa tabulas cæteraq; ornamenta græcorum oppidorum quæ cæteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne videnda quidem existimauit: itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac vrbe missum, sed de cælo lapsum intuentur. Nunc denique incipiunt credere, fuisse homines romanos hac quōdā abstinentia, quod iam nationibus exteris incredibile ac falsò memoriæ proditum videbatur: nunc imperii nostri splendor illis gentibus lucet, nunc intelligunt non sine causa maiores suos tum cum omni hac temperantia magistratus habebamus, seruire populo Ro. quàm imperare aliis maluisse: iā verò ita faciles aditus ad eum priuatorū, ita liberę querimonię de aliorū iniuriis esse dicuntur, vt is qui dignitate principes excellit, facilitate par infimis esse videatur. Iā quātū cōsilio, quātū dicēdi grauitate & copia valeat in quo ipso inest quædam dignitas imperatoria, vos Quirites hoc ipso in loco sæpe cognoscitis: fidem vero eius inter socios quantam existimari putatis, quàm hostes omniū gentium sanctissimam iudicarint? humanitate iam tanta est, vt difficile dictu sit, vtrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinē victi dilexerint, Hæc Cicero, cuius ex officina tanta imperatorum & ducum monumenta posuisse velim, quia nescio an vsquam alibi de bonis & præclaris eorū moribus luculentius & vberius scriptū sit. Superest auctoritas, quæ ex prædictis maxime nascitur, augetur autē fama nominis, ex opinione hominū, ex ducū virtutibus & ꝓsperitate cōcepta: quo in genere Iulius Cę. Aphricanus maior, & Pōpeius Magnus opinatissimi habēt, quorū tāta fuit auctoritas, eaq; sub istis militū fidutia vt nō se ad pręliū, ac discrimē, sed ad victoriā & hostiū prędā duci crederēt, quo nihil vtilius ad votiuos ac ꝓsperos belli euētus & quos in cōtrariū verti solere diffidētia bellatorū, ex leuitate aut inertia ducum orta, sæpe compertū est. Postremo deniq; fœlicitas, non solū in militia, sed in vita est expetēda. Nēpe huc omnia referuntur, háncque nec dare sibi quisquā potest,

nec augere,diuinum ſane munus, ſed ita duci neceſſarium vt quanquã reliquis floreat,ſi hoc vnum deſit,nemo cenſeat eligendum.Nam vt fœlicitatem fidutia, ſic infœlicitatem ducum,ſequitur militum pauor , quo nihil propius exitio eſt. In hac quidem quum multi celebres ſint,longe tamẽ Titus,& Traianus,& Theodoſius, & Sylla, ſiue vt fama fert Metellus ille fœlix dictus,omnes ſupgreditur: etſi iuxta ſententiam vere philoſophantium, nullus hic fœlix ſit: ſed de fœlicitate bellica ſermo eſt, qua fœlicem ducem dicimus vincere ſolitum,inſuetum vinci: in hoc numero ex externis Alexander eſt Macedo , & Cyrus Perſarum rex, niſi in Scythiam perrexiſſet,& Carthaginenſium dux Hannibal, ſi aut Matherbali credidiſſet,aut paulo maturius diem obiiſſet.

Imperatorum conſilia quæ Græci ſtrategemata appellant, & quæ ante bellum, in bello, & poſt bellum ſapienter, lepidè, facetè ac moderatius dicta ſunt. Cap. II.

POſt haſce virtutum ſpecies & imperatoria munera , quorũ illuſtrem eſſe conſtat effectum,vt præclarè factorum, ita dictorum quæ ducem moneant,rationes etiam & exempla promiſſa ſubiiciemus: quibus egregium primò ac ſanè præcellens ſit illud quod ab Heſiodo vſurpauit Ariſtoteles,ab Heſiodo vel Ariſtotele Liuius, dum ſalutem ſuam exercitúſque ſui M. Rufus Minutius,beneficio Q.Fabii Max.cognouiſſet,eum videlicet optimum & primum ſeſe virum qui quæ gerenda ſunt conſpicetur & cõſulat: ſequenti autem gradu eum,qui aliorũ bene monentiũ conſilia ſequatur: extremi autẽ ingenii & penitus inutilis illum eſſe, qui cõſulere neſciat alteri nec parere.

Gymnoſophiſta quiſpiam acri & perſpicaci ingenio ad ſuccincte reſponden dum,ab Alexandro interrogatus,quonã pacto quis late imperitans, magnam ſi bi bẽniuolentiam comparare poſſet,Ne ſit terribilis inquit. Ab eodẽ interrogatus item,quomodo mortalis quiſpiam ſe in deorum numerum reciperet,Si humanis,ſubiunxit,maiora viribus opera geſſerit.

Agis rex, quũ Atticus quidã in Laconicos enſes cauillaretur q̃ parui eſſent, diceretq̃ facile eos abſorberi à circulatoribus in theatris poſſe : Et tamẽ vix nos inq̃t attingimur hoſtiũ gladiis lõgioribus.Ego verò & laconicã orationem intueor,quæ breuis videtur eſſe,maximas res cõplecti, & auditorum mẽtẽ attingere. Cyrus conſpecto Centurione prope ſe diſcumbente,graui turpíq̃ corpore,iocãdi gratia adoleſcentem ne ponè aſſidentem ob pulchritudinem more græco ſecum duceret rogauit,annuente illo dicẽteq̃ ſe aſpectu eius oblectari admodum, coniicere in eum oculos qui vnà cœnabant,viſãq̃ viri inhoneſta nimium facie, riſere omnes,ſubinde quærẽtes,qua ſibi in re vſui talis vir eſſet: is Cẽturio quotiens die noctuq̃ ab ſe appellaret,ait nulla vnq̃ excuſatione vſũ, citò ſemp obtẽperaſſe: quũ quid ei demãdaſſet,nũq̃ abſq̃ ſudore mãdata executũ,reddidiſſe quoq̃ cõmilitones ſuo exẽplo ſolicitos.Idẽ quoq̃ ad impii magnitudinem hoc adiecit inuẽtũ,vt quicquid etiã in remotiſſimis ageretur locis q̃primũ ſciret.Cognito nãq̃ quantũ die noctuq̃ eques itineris cõficere poſſet, diſpoſitis in loco equitibus,vt recẽs literis receptis ſuccederet feſſo, velociter q̃d vbiq̃ accideret noui p̃cipiebat, ꝓuidebâtq̃ ꝓut neceſſariũ eſſe videbat: hęcq̃ cauſa extitit,q̃uis procul abſit à vero,vt velocius q̃ grues iter facere putarẽtur,idq̃ ꝓpter velocitatẽ eũtiũ creditũ eſt.

Aeſchylus

Aeſchylus in Iſthmo certamẽ ſpectans,vbi altero vulnerato theatrum exclamauit,Ionem Chium tangens, Vidésne inquit quid exercitatio ſit? vulneratus enim tacet,ſpectantes verò clamant.

Ageſilaus interrogatus quid facturi Lacedæmonii victores eſſent,Si prudentiſſimus,inquit,imperator rem gereret.Hoc item præſente duce,quũ quiſpiã Lacedæmoniis muros deeſſe queſtus eſſet,Dic,inquit,meliora:ciuitas enim ipſa noſtrę vrbis munitiſſima mœnia ſunt: par ſiquidẽ eſt,nõ lignis aut lateribus,ſed virtute patriã,deos penates,aras,focos,parentes,cõiuges,liberos,tueri atq; defendere.

Braſidas quũ in caricis murem cõprehẽdiſſet,morſus eum dimiſit: deinde adaſtantes conuerſus,inquit,O Hercules,nihil eſt tam paruũ neq; tam imbecillum, quod ſi auſit vlciſci,& inuadentibus repugnare,non ſe incolumem ſeruet.

Chabridas dicere conſueuit,formidabilius eſſe ceruorũ agmen ductu leonis, quàm leonũ ceruo duce. Idem eos dicebat pulcherrime officio imperatoris fungi,qui res hoſtium maxime noſcerent.

Seſoſtris Aegyptiorum rex , quum eos qui iuxta mare rubrũ ſunt homines claſſe ſubdidiſſet,& in Aegyptum rediens per terram,omnes gentes quę ſibi impedimẽo erãt expugnaſſet,harũ quęcunq; ſibi fortis & libertatis cupida viſa eſt, in eorum regione colũnas erigens,in eis & nomen eius, & patriæ hominiſq; verẽda incidit, & vt ſua potẽtia eos vicerat: quos autẽ ſine prælio & facile ſuperaſſet,ibi colũnis poſitis ea ſcripſit nomina,addens ad ea mulieris pudibũda inciſa.

Q.Mutius legatus à romanis ad Pœnos , duabus teſſeris poſitis, altera pacis, altera belli,optione ſibi collata vtrã S.P.Q.R.referri mallet,vtraque ſublata,Pœnorum,inquit,non Romanorum vtram vellent eſſe debere.

Q.Fabius,Romanorum imperator econtra,ſimili modo ad Carthaginenſes miſit epiſtolam,in qua vtriuſque populi ſententia par vigor amplitudoq; quondam fuiſſe deprehendi poteſt: ibi enim ſcriptum quum eſſet,po.ro.miſiſſe ad eos haſtam et caduceũ,ſigna duo belli aut pacis,ex quis vtrum vellent eligerẽt,quódque elegiſſent,vt vnũ id eſſe miſſum exiſtimarent, Carthaginenſes reſponderunt ſeſe neutrum velle eligere,ſed poſſe cogitare qui attuliſſent,vtrum mallent relinquere: quodq; reliquiſſent,id ſibi profectò gratũ futurum: hæc tametſi ab elegãtiſſimis rerum geſtarum ſcriptoribus dicta ſint, M. tamẽ Varro,certiſſimus auctor,non haſtam ipſam,neque ipſum caduceum miſſa dicit,verum duas teſſerulas,in quarum altera caducei,in altera haſtæ ſimulachra fuerint inciſa.

Carthaginenſes quia ſpartum & nerui deficiebant ad ſagittas emittẽdas,tonſarum crinibus mulierum ad funes efficiendos vſi ſunt,quod aliquãdo & apud Maſſilienſes,& Rhodios,& Aquilegienſes,& Romanos in capitolio obſeſſos vrbe à Gallis occupata factũ eſt: vnde & in honorem matronarum,templum Veneri caluæ ſenatus decreuit.

Tarquinius Priſcus , Quiritibus,operis tædiũ periculũq; fugientibus,nouũ & inexcogitatũ antea,poſteaq;,remediũ inuenit.Sex enim hominũ vita defunctorũ figere crucibus corpora ſpectãda ciuibus,ſimul à feris volucribuſq; lacerãda iuſſit,quãobrẽ pudor romani nominis,qui prius res ſępe perditas ſeruauit in pręliis tũc quoq; ſubuenit: iã erubeſcẽs,cũ puderet ſic viros,tãq; puditurũ eſſet extinctos.

Cæcilius Metellus Pius proconſul, Trebiam vrbem Hiſpaniæ primariam quum ſubigere nequiret, ac vagantem fluctuantémque exercitum duceret, hóſque modo adoriretur, modo ad illos ſe transferret, & iunior quidam tribunus militum quid ſibi vellet tam crebra locorum mutatio peteret, Si hanc reſpondit interiorem tunicam exiſtimarem mentis meæ conſciam eſſe, exutus eam, in ignem continuo mitterem: ſicq; fœlicibus cœptis, poſt tam longa itinera, tam varia peragrata municipia, ad Trebiam inopinatam denuò conuerſus eã oppreſſit, & non ſine omnium admiratione, voti ſui compos factus eſt.

Scipio cui primum Aphricano cognomentum extitit, vt Valerio Maximo, vel Fabius, vt Senecæ placet, Turpiſſimam aiebat & ignauiæ plenam imperatori excuſationem eſſe, Non putaui: conſultè enim quæ armis geruntur tractari debere opinabatur, quum præterita præcipitataq; magis reprehendi, quàm reuocari vlla vi humana, vel ratione in integrũ reſtitui corrigíue poſſint. Is etiam Scipio quum à re militari atque vrbana ſtudium ad literas conuerteret, dicebat quum ocioſus eſſet, plura tunc negocia à ſe geri. Inde vbi Carthaginem in deditionem vi accepiſſet, ac milites quidem quam cepiſſent captiuam præſtanti forma virginem adueherent, atque illi darent, Libenter, inquit, acciperem, ſi priuatus, haudquaquam imperator eſſem. De eodem itidem licet inuulgatũ ſit, in aciem nunquam deſcendere imperatorẽ debere niſi aut occaſione ſe præbẽte, aut neceſſitate impellente, ex Sempronii tamen Aſellionis veteris ſcriptoris quarto hiſtoriarũ libro de P. Aphricano, Pauli filio ita proditum eſt, Se patrem ſuum audiſſe dicere, L. Aemilium Paulum nimis bonum imperatorem, ſignis collatis non decertare, niſi ſumma neceſſitudo, aut ſumma ei occaſio data eſſet: & ſapienter quidẽ vtrũque. Nam ad totius exercitus ſalubritatem nihil efficacius quàm quòd viri & ducis eſt, non deeſſe fortunæ præbenti ſe, ſed oblato caſu ad conſiliũ flectere: nihil perniciоſius quàm in anguſtiam rei bellicę compulſum, imbellem fieri: quod nec euentus modo docet qui ſtultorũ magiſter eſt, ſed eadem ratio quæ ſæpenumero fuit futuráque eſt.

Auguſtus quum decimum octauum annum agens hoſtiliter vrbem inuaderet, ex ipſius exercitus legatis qui ſibi eius nomine conſulatum expoſcerent, cunctante ſenatu, Cornelius Centurio legationis princeps reiecto ſagulo, enſis capulum detegens, haudquaquam dubitauit in curia dicere, Hic faciet, ſi vos non feceritis. Idẽ Auguſtus ſaxo in expeditione percuſſum, ac notabili cicatrice in frõte deformem nimiũ, tamen ſua opera iactantẽ, ſic leuiter caſtigauit, At tu cũ fugies, inqt, nunq; poſt te reſpexeris. Ad eum itẽ veteranus quiſpiã, quũ die ſibi dicto piclitaret, acceſſit in publicũ rogauitq; vt ſibi adeſſet, Auguſtus aduocatũ quẽ ex comitatu ſuo elegerat ſine mora dedit, cõmẽdauitq; ei litigatorẽ: exclamauit ingenti voce veteranus, At nõ ego, Cęſar, piclitãte te Actiaco bello vicariũ quęſiui, ſed pro te ipſe pugnaui, detexitq; impreſſas cicatrices, q bus erubuit Cęſar venitq; in aduocationẽ, vt qui vereretur ne ſupbus tantũ, ſed etiã ingratus videri poſſet. Imperatori quoq; bono inſuper neq; quicquã minus quàm temeritatẽ congruere arbitratus eſt, ſatisq; celeriter fieri quicquid commode gereretur, quod à Catone licet prius dictũ ſit, crebro tamen & familiari tanquã ſuũ ſolitus erat vſurpare

pare ſermone.Occurrit illud eiuſdem Auguſt.Cæſ.poſtremo,qui quum Alexandrię eſſet & antrum vbi Aegypti regum cineres precioſis pyxidibus ſeruabantur ingreſſus eſſet,corpus quidem Alexandri Macedonis libenter aſpexit,interrogatus verò num & Ptolomæi reliquias vellet inſpicere,Reges ſe inquit velle videre,non mortuos: atqui rex fuerat Ptolomæus,ſed quantum inter veros reges,eóſque quos regum nomine vulgus appellat interſit, breui diffinire voluit elogio ſapientiſſimus imperator.

Scipio iunior Polybii præceptum obſeruans ſtudebat non prius èforo abire quàm aliquem ex abeuntibus familiarem ſibi atq; amicũ quouis pacto effeciſſet. Idem quum pulchetrime ornatũ quiſpiam ſcutum eſtẽtaret, Heus,inquit,adoleſcens,ſcutum certe pulchrũ eſt , verum decet romanum virum in dextra potius ſpes ſuas quàm in ſiniſtra collocet.

Scilurus quũ relictis maribus filiis octoginta, diẽ eſſet obiturus , haſtarũ faſcẽ cuiq; oſtendẽs,vt illũ confringeret iubebat : id autem ſingulis ſe poſſe negãtibus, ſigillatim haſtas eductas,facile omnes confregit: ita docẽs illos,vbi vna eſſe perſeuerarent,firmos ac potentes fore: imbecillos verò,ſi ſepararentur ac diſſiderent.

Tigranes vrbanum, facetúmque quippiam in Romanorum exercitum afferre cupiens,vulgatiſſimum illud dixiſſe fertur,Eos ſi legati venirent, ſatis multos quidem: ſi verò pugnaturi,perpaucos admodum eſſe.

Amaſis Aegyptiorum rex, quum contemneretur ab Aegyptiis qnòd obſcuro loco natus,& paulo antè regno potitus,vas aureum quod habebat lauãdi gratia ad turpéſque vſus,fregit,deiq; ſimulachrum ex eo confecit, ídque in celeberrimo vrbis loco ſtatuit,quumq; religioſe coleretur ab Aegyptiis , huius rei certior factus eos cõuocauit,rémque docuit,vt ex eo vaſe ſimulachrum erat in quod prius Aegyptii vomebant,meiebántque,& pedes lauabant: nunc verò venerabãtur, eodem ſibi modo eueniſſe,ſiquidem prius plebeius erat,nunc eorum rex,proinde ſibi honores haberi iuſſit,ſic Aegyptios induxit ad ſui venerationem.

Agathocles figuli fuit filius,qui Siciliæ dominationẽ adeptus, réxque appellatus, fictilia pocula conſueuit inter aurea ponere eáque iunioribus oſtendens dicere,Ego quum huiuſmodi pocula conſueſſem,in præſentiarum quoniam diligentiæ ac fortitudini ſtuduerim , hæc facio . Inſuper quum vrbem obſideret & quidam è mœnibus per conuicium dicerent , O figule, quo pacto militibus ſtipẽ ſolues,manſuete is atq; ſubridens ait,Quum hanc cepero : quum autẽ viribus in ſuam redegiſſet ditionem , captiuos venundabat, inquiens, Si conuicio me rurſus affeceritis,querar apud dominos veſtros.

Antigonus quum milites quoſdam eſſet intuitus qui thoracibus & galeis ad pilam luderent gauiſus eſt,eorumq; duces accerſiuit quos laudaret:vt autem audiuit eos bibere, illorum ducatus militibus dedit . Is etiam poſteaquàm longam ægrotationẽ euaſiſſet cõualeſceretq;,nihil ait deterius accidat: hęc enim aduerſa valitudo nos monuit,vehementius nobis efferendum non eſſe , quoniã mortales ſumus.Idem nocte quadam quum nonnullos ex militibus ſuis exaudiſſet omnia mala imprecantes regi qui ipſos in illud iter inextricabileq; lutum deduxiſſet, acceſſit ad eos qui maxime laborabant, & quum ignorantes à quo adiuuarẽtur

expli

explicuiſſet, Nunc, inquit, maledicite Antigono, cuius vitio in has miſerias incidiſtis: ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit. Inſuper tam miti animo hoſtium maledicta quam ciuiũ tulit. Itaque quum in paruulo quodam caſtello Græci obſiderentur & fiducia loci contemnentes hoſtem, multa in deformitatem Antigoni iocarentur, & nunc ſtaturam humilem, nunc naſum colliſum deriderent, cũ gaudio inquit, Bene ſpero, ſi in caſtris meis ſilentiũ habeo: quum hos dicaces fame domuiſſet, captis ſic vſus eſt vt eos qui militię vtiles erãt in cohortes deſcriberet, cæteros præconi ſubiiceret, idq; ſe negauit facturum fuiſſe niſi expediret his dominum habere, qui tam petulantem linguam haberent. Rurſus quum ſęua tempeſtate iactaretur, ac in eadem naui ſecũ ſuos omnes habuiſſet, prȩcepiſſe liberis dicitur, vt & ipſi meminiſſent, & ita poſteris proderent, ne quis cum tota gente ſimul in rebus dubiis periclitari auderet. Cuius præcepti memor Philippus, quum duos ſimul filios ſecum haberet, ambos ſe non commiſſurũ in aleam eius qui prȩponeretur caſus: & quoniã maiorem filium ſecum duceret, minorẽ ad ſubſidia ſpei, & cuſtodiã regni remiſſurũ in Macedoniã eſſe.

Dum Antagoras poëta congrũ elixaret idemq; patellã quateret, Antigonus qui poſt eum ſtaret, Homerũ ne, ait, putas Antagora quum Agamemnonis res geſtas ſcriberet, congrum elixaſſe? & Antagoras, Tu autẽ rex, ait, exiſtimas Agamemnonem quum illas res gereret, curioſum adeò extitiſſe, ſi quis in caſtris congrum elixaret.

Lamachus quum manipularem præfectũ quendã reprehenderet, quoniã deliquiſſet, iſq; diceret nũq; fore vt id amplius faceret, bello enim bis errare nõ licet.

Memnon qui cõtra Alexandrũ pro rege Dario bellũ gereret, quendã qui ſub ſe merens multa de Alexãdro maledicè, petulanterq; loqueretur, vbi lancea percuſſiſſet, Ego te, inquit, alo vt pugnes, non vt Alexandro maledicas.

Dum Medis irruentibus Perſarum acies pulſata in fugam ageretur, ac omnino deficiens, nec victorem aſpicere auderet, matreſſamilias eorum & vxores paſſim obuiam fugientibus occurrerunt, & earum denſata acie orant vt, eiuſce fugę notam haudquaquam ſubeant, ſed fortiter in prælium reuertantur: nolentibus ſublata veſte obſcœna corporis oſtendunt, rogantes ne in vteros matrũ vel vxorum velint refugere: hac repreſſi caſtigatione, in prælium redeunt, & facta impreſſione quos fugiebant fugere compulerunt.

Themiſtocles adhuc iuuenis, quum Marathonis victoriam & Milciadis imperium animo celebratum repeteret atque verſaret, inſomnésque noctes proinde duceret & ſolita reſpueret conuiuia, interrogantibus admirãtibusq; vitę mutationem, eum dicere ſolitum ferunt, quòd Milciadis victoria ſibi ſomnos eriperet. Interrogatus etiam, vtrum Achilles mallet an Homerus eſſe, Tu autem ipſe inquit, vtrum victor in Olympia eſſe malles, an victorum præco? Rurſus quum Adimanthus qui nauale prælium formidaret diceret aduerſus eũ qui ad id Græcos adhortaretur ſuadendóque incitaret, o Themiſtocles, eos qui in certaminibus primi irruperint cędunt ſemper, Ita eſt inquit, Adimanthe, verum eos qui manſerint haud coronant. Quum item ad interfectorum cadauera ad mare viſenda ſe contuliſſet, vt armillas paſſim & torques abiectas aſpexit, prȩteriens ipſe

amico

amico qui eum ſequebatur, Collige tibi,inquit,tu enim nequaquam Themiſtocles es. Eundem etiam dicere ſolitum ferunt,ſe neque honoribus ab Athenienſibus affici,neque apud eos in admiratione eſſe,ſed procella vexatos,imminente periculo, ſe veluti platanum ſubterfugere: reddita autem ſerenitate, euellere atque deiicere.

Cum Antiochus rex,poſteaquàm Romani aduerſus eum traieciſſent in Aſiam,pro ſoluendo bello ad Scipionem miſiſſet,eiuſmodi reſpõſum accepiſſe fertur,Prius enim oportuit,non nunc quum frenum & ſeſſorem ſuſceperis. Idem cum ingenti exercitu Græciam petiturus eſſet, cunctis ob militũ multitudinem & armorum varietatẽ,quæ paulo antè iactabantur perterritis, huiuſcemodi ad Achæos dictione eſt vſus,Quum enim apud Calchidenſem,bonum quidem hoſpitem & ſcitum conuiuatorem ſolſtitiali tempore comiter accepti miraremur vnde illi eo tempore anni tam varia & multa venatio,homo glorioſus ridẽs varietatem,ait illam ſpeciem ferinæ carnis,ex manſueto manſuefactam,ſed condimentis & apparatibus ſolũ differre: Proinde nec vos vlla teneat admiratio circa hæc varia nomina gentium inauditarum,Dacas, & Caduſios,&Elimæos & multa genera armorum,haſtatos,cataphractos & pezæteros,hoc eſt,pedeſtres ſocios,cumq; pedeſtribus ſagittarios auditis: nam homines omnes eſſe,armis inuicem differentes, aut paulo mancipiorum melius propter ſeruilia ingenia quàm militum genus.

Lucullus in Armenia, quum cataphractos Tygranis maxime milites ſui metuerent,bono animo eſſe iuſſit: futurum enim plus laboris in illis ſpoliandis, quàm in vincendis.

Lucius Sylla qui Præneſte obſidebantur occiſorum in prælio ducum capita, haſtis infixa oſtendit,atq; ita obſtinatorum peruicaciam fregit. Sylla item cognomẽto fælix,inter ſuas maximas fœlicitates duas exiſtimabat,Pii Metelli amicitiam,& quòd vrbem Athenarum non æquaſſet ſolo,ſed ſeruaſſet potius.

Eumenes quum in caſtra reuerteretur,& epiſtolæ paſſim in ipſis caſtris abiectæ inuenirentur quibus his qui eius caput ad Antigonum detuliſſent magna præmia diffinirentur,vocatis ad concionem militibus,gratias primò egit,quòd nemo inuentus eſſet qui ſpem cruenti præmii fidei ſacramentis anteponeret, tũ deinde ſubiecit callide confictas has à ſe literas ad experiendos ſuorum animos eſſe,cæterum ſalutem ſuam in omnium poteſtate eſſe,nẽc Antigonum nec quẽquam ducum ſic velle vincere vt ipſe in ſe peſſimum exemplum ſtatuat: hoc facto in præſenti labantiũ animos coẽrcuit, & in futurũ prouidit, vt ſi quid ſimile accidiſſet,non ſe ab hoſte corrũpi,ſed à duce tentari milites arbitrarentur. Inſuper quum intelligeret ſi copiæ ſuæ cognoſcerent aduerſus quos ducerentur, non modo non ituras,ſed ſimul cum nuncio dilapſuras,hoc eius fuiſſe prudentiſſimũ fertur vt deuiis itineribus milites duceret,in quibus vera audire non poſſent, & his perſuaderet ſe contra quoſdam barbaros proficiſci: itaque tenuit hoc propoſitum,& prius in aciem exercitum duxit præliuḿq; commiſit, quàm milites ſui ſcirent cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum præoccupatione, vt equitatu potius dimicaret quo plus valebat,quàm peditatu quo erat deterior.

deterior. Hunc item Eumenem persequens Antigonus, cum omni genere copiarum sæpe abundaret, neque vnquã ad manus accedere liceret nisi his locis quibus pauci multis possent referre, extremo tempore cum consilio capi nõ posset, multitudine circuitus est: hinc tamen multis suis amissis, se expediuit, & in castellum Phrygiæ quod Nora appellatur confugit, vbi cum videret se fortunam obsidionis subiturum, maiorem exercitus partem dimisit, ne aut consensu multitudinis hosti traderetur, aut obsidio ipsa multitudine grauaretur, in hisq; qui remanserant quũ vereretur ne vno loco manens equos militares perderet, quòd spatium non esset agitandi, callidum fuit eius inuentum, quemadmodum stans iumentum concalefieri exercericq; posset, quo libentius & cibo vteretur & à corporis motu remoueretur: substringebat caput loro altius quàm vt prioribus pedibus planè terram posset attingere, deinde posterioribus cogebat exultare, & calces remittere: qui motus non modo minus sudorem excutiebat, quàm si spatio decurreret: quo factũ est, quod omnibus mirabile est visum, vt æquè iumenta nitida ex castello educeret quum complures menses in obsidione fuissent, ac si in campestribus ea locis is habuisset. Demades posteaquã ex hac luce migrasset, Alexander aiebat videre se Macedonum exercitum excæcato Cyclopi persimilem, quoniam tali principe esset orbatus. Artaxerxes quum aliquãdo fugiens, cõmeatu impedimentisq; direptis siccis ficis vesceretur ac pane ordeaceo, Cuius modi, inquit, voluptatis rudis eram?

Aurelianum imperatorem, ne vti statuerat in vrbem Tyanam desæuiret placauit Apollonius, maximæ famæ & auctoritatis homo: quippe si vis o imperator, inquit, vincere, nihil est cur sæuias in ciues istos: si vis imperare, abstineas à cruore innocentum oportet: si vis viuere, clemẽter age. Idem Tyanam quidem rebellem vrbem obsidens iurauit se neque canẽ in ea vllum si caperet relicturum, ac probe id quidẽ: ea nanque res militibus prædæ auidis spem dedit, & animum capiendi, obsessis verò desperationem fecit: at verò vi capta vrbe, quum milites iuxta illud dictum quo canem se relicturum apud Tyanæos negarat, euersionem vrbis exposcerent, respondit his, Canem, inquit, negaui in hac vrbe me relicturum, canes ergo omnes occidite: quod dictũ quo præda negabatur ciuitásque seruabatur, totus exercitus quasi dictaretur accepit. Insuper Manlio Chiloni cuipiam forsan iurganti hominẽ ab eo de medio sublatũ, quo peruadẽdæ vrbis suæ consiliario vsus maxime fuerat, in hunc modum respondisse fertur, Occidi passus sum, cuius quasi beneficio Tyanam recepi: ego verò proditorem amare non potui: & libenter tuli quòd eum milites occiderunt, neque enim mihi fidem seruare potuisset, qui patriæ non pepercit.

Exercitum ducens in Persas Iulianus apostata, quem occuparat pontẽ quum transissent copiæ omnes, igne combussit vt pugnaretur fortius, militésque in hostium terra aut mori aut vincere oportere.

Lacedæmonii magna bellicæ rei gloria cæteris præstantes, natorum suorum verberibus publice admotis experiebantur indolem, exhortabantúrque ut flagellorum ictus fortiter ferrent, & laceros & semianimes rogabant perseueranter vulnera præbere vulneribus. Nec aliter matres pugnam inituros filios admone-

bant

bant quàm vt eam minus detrectantes, aut ſuperſtites armatiq; coram reuerterentur, aut exanimes vnà cũ armis referrentur: vt enim eorũ epigramma oſtendit, & viuendum libenter & moriendum, ſed vtrunque cum virtute, cenſebant. Lacedæmoniorum etiam quiſpiam quum præſens hoſtis inter loquendum gloriabundus aſſereret, ſolem telorum copia ſuorum & ſagittarũ multitudine Spartiatas non viſuros in vmbra, immo inquit melius pugnabimus.

Cymbrorum probanda etiam ac Celtiberorum animi præſtãtia qui inter arma, ſanguinem, & vulnera exultabant tanquam beati vitam relicturi: ęgrè ferebant, vt cæteri mortalium, aliquo morbi genere confici, tanquam turpiſſimum id eſſet & miſeriæ plenum. Hi etiam ignominiæ non paruæ eſſe putabant, præliis ſupereſſe, quum is oppetiſſet, pro cuius ſalute ſe deuouiſſent: proinde, quod mirũ dictu eſt, læti ferebant vulnera, enumerabant cicatrices, & telis traiecti morientes etiam amabant pro quo caderent imperatorem.

Alexander animo ſemper ingenti, quànquam matris legiſſet epiſtolã qua admonebatur vt à veneno Philippi medici præcaueret, acceptã potionẽ tamẽ bibit nõ deterritus: & quia plus ſibi de amico ſuo credidit, dignus fuit q̨ innocẽtẽ haberet, dignus q̨ faceret. Is etiã inſtructo exercitu, quũ militẽ quẽdã intueretur qui iaculũ amẽtaret, ex acie vt inutilem repulit: quippe qui nunc inſtrueretur, quũ iã armis vtendum eſſet. Inſuper quum ad Arbelas aduerſus decies centena hominum milia de ſumma rerum, acie dimicaturus eſſet, & amici eum adirẽt qui milites ſubaccuſarent quòd intra tabernacula inter loquendum paciſcerentur, vt nihil omnino ſpoliorum in regiam relaturi forent, ſed ſibi ipſis comparaturi, at ille ſubridens, Bona, inquit, nunciatis omnia: audio enim his viris vincendi, non fugiendi conſultationes eſſe. Sagittæ quoque ictu in crure vulneratus, vt eorum multi concurriſſent qui eum appellare deum conſueſſent, læta hilariq; facie, Hic quidem ſanguis eſt, ait, vt videtis, & non cruor cælicolæ qualem diui miſere fluentem. Idem, præceptorem ſuum credo ſecutus Ariſtotelem, ænea concha ſuppoſita, brachio extra cubile protento pilam tenebat argenteam, vt quum neruorum vigorem ſopor laxaſſet infuſus, geſtaminis lapſi tinnitus ſomnum abrumperet. Rurſus qui inter Indos optimus arcu videretur, diceturq; per anulum ſagittam emittere, eum quum haberet captiuũ vt id oſtenderet iuſſit: quod quum ille nollet, iratus Alexander hominem imperauit interimi: ille verò quum ageretur, vbi ad eos à quibus agebatur cõuerſus diceret, multos ſe dies ei rei non ſtudu iſſe, propterea q; ne aberraret timuiſſe: id poſtquam Alexander audiſſet, & miratum eſſe, & muneribus donatum hominem liberaſſe. Laboranti item ob ſitim, Macedonum manus aquam vtribus ferẽs, impletã galeæ aquam obtulit, quam accipiens ſitientemq; exercitum circunſpiciẽs, demiſſo capite & fixis in potum oculis inguſtatam hiſce probandis verbis reddidit, Si bibero, inquit, hos meror inſtigabit: quo audito, milites adeſſe eum cernentes, magna cum voce ingẽtiq; ſpe certatim acclamauere. Non enim laborem perferre, non morti ſe obnoxios putare, donec talem eis regem ac ducem adeſſe contingeret. Cuidam etiam ciuitati, partem agrorum ac dimidium omnium rerum pollicenti, Eo, inquit, Alexander, propoſito in Aſiam veni, vt nõ id acciperem quod dediſſetis, ſed vt id haberetis

beretis quod reliquiſſem. Illud etiam eiuſdem regis, dictu ſane ac factu memorabile,qui quum Darii filias captiuas haberet,& mirum in modum forma præſtantes,nec aſpicere quidem voluit, indignũ ac turpe regi ac duci eſſe ratus, eos qui viros vincerent,à mulieribus vinci. Hoc loco denique non videtur prætereundum,Sigiſmunde,conſiliũ tuum, Alexandri conſilio quàmſimilimũ, qui non ſolum vltro oblatas hoſtium epiſtolas Cæſaris more nõ combuſſit, ſed ſuorum callide perquiſiuit: quanquam quid Alexandrum teq; nomino, quum omnium penè hominũ conſilia hac de re paria, & Alexãdrea Sigiſmũdeaq; potius quàm Cæſarea vel Pompeiana eſſe conſpiciantur ?

Caius Pompilius,vt ferè omnes tradunt,vt Plinius,P. Octauius coſ. legatus à Romanis miſſus ad Antiochum regem,qui abſtinere illũ Aegypti,& ab Alexandria diſcederet quam obſidebat , ne Ptolomæi filiorum qui pupilli eſſent regnum occuparet,aut ſi iam cepiſſet excedere iuberet , quum in Aegypto Pompilium per caſtra aduenientem eminus Antiochus quàm humaniſſime ſalutaſſet,oſculumq; ei poſtea rex obtuliſſet, non ſeruata ſalutandi vice (nam coluerat inter cæteros Antiochus multum Pompilium , quum obſes Romę fuiſſet)tum Pompilius faceſſere interim priuatam amicitiam iubet, quum mandata patriæ intercedant,prolatoq; ſenatus decreto,& tradito ac perlecto, quum rex dixiſſet cõſultaturum daturũq; reſponſũ,Pompilius rege in gyrum virga circũſcripto, Hic ergo ſtans,inquit,conſulta & reſponde. Cunctis autem viri grauitatẽ atque animi magnitudinẽ admirantibus ſtupentibúſq; & Antiochus ſe ſenatui pariturũ reſpõdit,& ita Pompilius & ſalutauit eũ , & gratiſſimis vlnis cõplexus eſt.

Hadrianus qui reges omnes muneribns ſuis penè vicit, quum quodam tempore veteranum quempiam notũ ſibi in militia , dorſum & reliquũ corporis in balneis vidiſſet atterere,percunctatus cur ſe marmoribus detergẽdum daret,vbi audiuit hoc idcirco fieri,q; ſeruum non haberet,& ſeruis eum donauit & ſumptibus: verum poſtridie quum plures ſenes ad prouocandam liberalitatem principis parieti ſe ſimili modo attererent, euocari eos iuſſit, & alium ab alio inuicem defricari.Idem familiaribus quibuſdam facilitatem comitatemq; ſuam nimiam in omnes obiurgantibus,eiuſmodi ſubiecit,Imperatorem ſingulis eſſe debere,cuiuſmodi eſſe ſibi ſingulos imperator optaret.

Fauorinus philoſophus quum pro verbo quopiam quod elegantiſſime protulerat ab Hadriano inepte reprehenderetur atque ceſſiſſet,arguentibus ac ęgre ferentibus ob id illum familiaribus ſuis,ſubridens, Non rectè quidem ſuadetis, inquit,qui nõ patimini me illũ doctiorẽ omnibus credere q̣ habet xxx,legiones.

Antonius poſt Mutinẽſem obſidionem fugiens, ſeu q; naturali more ſui corporis laboribus exhauſtis creberrime bibebat,vbi bibẽdi facultas afforet,per ſingulosq; paſſus ſubſiſtebat, ê veſtigio deinde fugã præcipiti conſternatione reaſſumebat, interrogatus ex familiaribus eius quiſpiam quidnã Antonius ageret, ſubiecit,Quod canis in Aegypto,bibit enim & fugit: memorię enim ꝓditũ eſt canes ægyptiacos crocodilorũ contactu anxios atq; lunaticos,bibere & fugere.

Theocritus ille nõ Syracuſius,ſed Chius,ad infenſum ſibi regẽ Antigonum altero captũ oculo quũ traheretur,ſpẽ prębẽtibus ſuis fore vt quũ ad oculos regis

perueniſſet

peruenisset misericordiam inueniret, respõdit, Impossibilis ergo est ista cõditio, actum est, perii. Verumenimuero hæc intempestiua mordacitas, & Theocrito mortis,& Antigono homicidii simul ac periurii causa fuit: iurauerat enim sibi parcere,sed ioci asperitate motus non pepercit.

Mithridates Ponti rex, Ariaracti regi Capadocum sub simulatione colloquii insidias tendens, gladiũ sub fasciis abdiderat,crudelis licet adolescens, & ad interitũ destinatus,regio tamen illorum more temporum,scrutatorẽ permisit: qui dũ Mithridati curiosius manũ in secretiores partes corporis immittit, iocabundus ille,Caue,ait,ne aliud telum quàm quod quæris inuenias: eoq; modo suspicione detracta iocis texit insidias, euocatumq; regem ab amicis velut ad secretum sermonem,vtroque inspectante peremit exercitu.

Cicero quum diutius ad castra Pompeii aduenisset, in primordio ciuilis belli reprehendentibus amicis q; nimis distuliisset,Minime,inquit,serius adueni: nam nihil hic paratum video, Pompeii tarditatem in apparatibus bellorum ludens. Idem Cicero cum post Pharsalicum prælium,fugiente Pompeio Nonius quispiam dixisset, adhuc aquilas septem apud ipsos esse,& ob id vt bono animo esset hortaretur,Recte,inquit,moneres,si cum graculis nobis pugnandum esset.

M.Crassus perquirenti cuipiam quo tempore moturus esset exercitum,respondit,Vereris ne tubam non audias?

P.autem Licinius Crassus coss.& pon.max. aduersus Aristonicũ Athali fratrem cum instructissimo missus exercitu,maximis insuper copiis & regum præsidiis fultus,conserto tamen bello victus est, isq; ne seruiret barbaro victori, virgam qua vsus fuerat ad equum regendum impegit ad oculum Thracis cuiuspiam ,vt ipsum in necem suam iritaret: quo ita sibi adueniente,morte sua dignitatem reipub.& libertatem suam seruauit.

Pelopidas domum egrediens,lachrymante vxore & exhortante ac rogãte seipsum saluum redderet,inquit, O mulier priuatorum semper est admonere, ducum autem ac imperatorum alios saluos facere. Idem cum primum cognitum est per difficilia arctaq; loca iter habituros esse aduersarios,& accelerans quidam o Pelopida,inquit,incidimus in hostes, Quid,ait,in illos nos magis incidmus, q̃ in nos illi? quibus dictis tanquam futuri belli præludium,equam à cauda impelli iussit.Rursus quũ in Pharsalũ veniissent aduersus Alexãdrũ,dicẽti cuidã tyrannum cum ingentibus copiis aduentare,Eo melius, inquit:nam plurium victoria nobis aderit.

M.Porcius Cato coss.quum Celtiberos domuisset compertúmque haberet experientia rerum magistra & illustrium auctorum sententiis, eam gentem locorum natura & hominum ingeniis ad rebellãdum non solum omnibus aliis prouinciis, sed ipsa etiam Italia aptiorem esse, quominus id facere posset, literas ad singulas ciuitates dedit, vt muros diruerent: quod præceptum tam immite, ad rebellionem hortari potuisset potius, quàm ad eam sedandam, si generale id quidẽ esse cognouissent: verũ quum quælibet sibi soli imperari,non aliis putaret, metu omnes imperii paruere. Hęc & Plinii& historicorũ penè omniũ habet assertio,apud historię autem Romanę patrem T.Liuium cõuocasse Catonẽ con-

ſtat omnium vrbium legatos, atque eis oſtendiſſe, eorum rebelliones Romanis quàm laborioſas, Hiſpanis diſcriminū plenas, peſtiferas, atque funeſtas eſſe: hortatum deinde vt rebellionibus abſtinerent, vtq; quonam id modo fieri melius quiret in commune conſulerent: nil reſpondentibus illis, aliquot dierum ſpacium dediſſe, quo exacto, reuocatis iterumq; ſilentibus, ipſum conſilio quod ab illis quæſiuerat in ſe aſſumpto miſiſſe per vniuerſum orbem nuncios edictáque vt vno die Romanis qui in vrbium præſidiis erant muri omnes euerterẽtur: quo facto, ipſus ilico ad eos qui adhuc rebellarẽt cũ exercitu ſe conferens, omnes ferme metu territos in deditionem accepit. Idem quum Eumenes rex Romam profectus eſſet & à ſenatu comiter & honorifice ſuſceptus, & clariſſimorum circa eum ciuium frequentia certatim verſaretur, Cato non obſcure tantum erga regem ſtudium ſuſpectum habens, eum declinabat, verùm quum ipſi diceretur, Eumenem frugi virum, amiciſſimo animo in rempub. Romam veniſſe, Eſto, inquit, cæterũ hæc ipſa Belua, Rex ſcilicet, natura vorax canis eſt. Rurſus quum animaduertiſſet in Hiſpania potiri ſe quodam oppido poſſe, ſi inopinatos inuaderet, quatridui iter biduo per confragoſa & deſerta emenſus nihil tale metuẽtes oppreſſit hoſtes: victoribus deinde ſuis cauſam tã facilis euentus requirentibus, dixit, tum illos victoriam adeptos quũ quatridui iter biduo cõfeciſſet.

Epaminundas vxorem quum nunquam nouiſſet reprehenderetúrq; quòd liberos non relinqueret à Pelopida qui filium haberet infamem, maleq; eum in eo patriæ conſulere diceret, Vide, inquit, ne tu peius conſulas qui talem ex te natum relicturus ſis. Neque verò ſtirps poteſt mihi deeſſe: namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quæ non modo mihi ſuperſtes, ſed etiam immortalis ſit neceſſe eſt.

Pomponius, vir inſignis, cum in Romanorum cõgreſſu acceptis vulneribus ad Mithridatem ductus fuiſſet rogaretúrque ab eo ſi curatus ſibi foret amicus, Si tu, inquit Pomponius, Romanis amicus fueris: ſin autẽ, me quoq; inimicum habebis. Mithridates clariſſimam viri conſtantiam admiratus, ab omni penitus in eum iniuria temperauit.

Lycurgi exemplis huiuſmodi ad ciues reſponſa feruntur, quonam pacto hoſtium impetus repellere poſſent poſtulantes, Si pauperes, inquit, manſeritis & contemptiones mutuas omiſeritis. Et rurſum de muris, nequaquam ea vrbs minus circundata muro fuerit, ſi quis eam viris fortibus non lateribus cinxerit.

Paulus Aemilius coſ. quũ in Lucanis iuxta littus anguſto itinere exercitum duceret, & Tarentini agmen eius ſcorpionibus adorirentur, captiuis euntium latera prætexuit, quorum prætextu hoſtes tela inhibuere. Idem nocturnas excubias iuſſit ſine haſta & ſine enſe aſſeruarent, quò deſperantes qui hoſtibus repugnarent magis ſomno reſiſterent.

Tyberius Gracchus Luſitanis aſſerentibus in decenne tempus alimoniam ſe habere, & obſidionis incõmoda non reformidare, Vndecimo, inquit, anno vos capiam: quo dicto perterriti Luſitani tametſi commeatu muniti ſe dediderunt.

Lyſander poſtquam incumbentibus Corinthiis mœnia prætergrediens, languidiores ad inuadendum Lacedæmonios cernit, & interim lepus foſſam tranſilire

silire visus esset, Non pudet vos, ait, eius generis hostes pertimescere, quorum mœnibus per secordiam lepores indormiunt?

Pompeius Luculli facta detractans, illum dicebat tragicum & vmbratile quoddam bellum cum regibus gessisse: sibi verò certam atque sobriam hostium vim ad expugnationem reseruatam esse, quũ Mithridates ad enses & equos confugisset. Ad quæ Lucullus, simulachra & vmbras belli immo Pompeium accessisse expugnatum aiebat, suetum veluti volucrem alieno cadaueri celerem aduentare, reliquiisque bellorum insurgere. Sic enim Sertorio & Lepido & Spartanis insurrexisse eum dicebat, quum illa Crassus, alia Metellus, alia Lepidus bella strenuè gessisset. Ad hæc Sertorii scripturis in Hiberia potitus, inter quas erant multorum ducum epistolæ quibus ad mutandam perturbandámque rempub. Sertorium Romam accersebant, illas omnes concremauit, facultatem his quidem præbens vt mali ad sanitatem redirent ac meliores fierent. Idem quoq; Pompeius quum omnes factiones suæ vno pene ore, tanquam diuino quodam oraculo moniti, ad furentem Cæsaris inuasionem pronunciarent nulla ratione posse concipere quo se modo tueri posset, cum tãta veniente belli tempestate delectum ad resistendum neque haberet vllum, neque pararet, respondisse fertur, fore quum Italiæ solum pede quateret, vt pedestres copiæ equestrésque scaterent: paulo verò pòst, fama increbrescente & nuntiis, quum percepisset Rubiconem flumen transiuisse Cæsarem Ariminúmque egregiam tunc & amplam vrbem ilico subegisse, ac palam magísque ac magis in dies increbesceret rumor Cæsarem iratum & infensum Pompeio & patribus esse, atque eo animo aduentare vt consulatum aut sponte datum acciperet, aut negatum, vi, armis arriperet, proindéque copias quæ Picenum, quæ Vmbrum, quæ Hetruscum agrum occuparent, omnémque exercitum suum Romam traiicere (quanquam id falsum erat, quum maiorem non haberet manum quàm trecentorũ equitum & quinque milium peditum) metu tumultúque huiusmodi pręuio qualis nunquam antè vrbem inuaserat ita sunt Pompeianæ factionis omnium deterriti animi, vt ciuitas tota trepidaret, nec venire ad vrbem Iul. Cęsar Ro. ciuis ac legiones romanæ, sed Pœnus ille ferúsque hostis Hannibal, ac omnis barbaries videretur: futurus quidem si vinceret Cæsar nec Cinna clementior in principum cæde, nec Sylla moderatior in diripiendis expilandísque locupletum fortunis, coniectura & opinione omnium putabatur.

Aulo Torquato græcam vrbem oppugnanti quum diceretur, iuuentutem ibi iaculis ac sagittis studiosè exerceri, Pluris eam, inquit, vendam.

Iugurtha Numidarum rex corrupta muneribus senatus parte atq; auro victis belli ducibus, sępe votorum iniquissimorum compos, quum tandem pecuniæ & artibus suis fidens Romam sub fide publica venisset, atq; inde præter spem verecundia vincente cupidinem iussus excederet, portas vrbis egressus crebróq; tacitus subsistens & in tergum versus, in fine dixisse traditur, O vrbem vęnalem, & maturè perituram, si emptorem inuenerit: quod verbum ab hoste prolatum, dictu mirum est quàm latè ad infamiam Romanorum inuulgatum est.

Philippus Alexandri pater quum munitissimum castellum quoddam capere

vellet, vbi exploratores retuliſſent quàm difficilimum eſſe & nullo modo ci poſſe,rogauit itáne difficile eſſet,quò ne aſinus qdē auro onuſtus quiret accedere.

Cleomenes Athenienſis trecentos qui præſidium Craterium tenebant aggreſſus, tela quædam in quibus ſcriptum erat veniſſe ſe ad liberandum eorum rem publicam inter muros iecit, & eodem tempore captiuos quoſdam conciliatos ſibi remiſit, quorum conſilio ſeditione inteſtina apud obſeſſos conciliata, admoto exercitu,ciuitate potitus eſt. Idem quum quis ſe Gallos ei daturum polliceretur qui pugnando interirent, Iſtos mihi des, inquit, nolim, ſed illos potius qui pugnando interimant.

Lycenes Sicyonius ductum aquarum in oppidum Chryſeorum labētem rupit, mox factis ſuis reſtituit aquam elleboro corruptā,qua vtentes profluuio ventris correptos cepit.

Pyrrhus quum ex Antigona quidem Ptolomæum, ex Ianoſſa verò Alexandrū,ex Tircenna Helenū filios ſuſcepiſſet, omnes manu prōptos & bello feroces, ſtatim à pueritia adhoc ipſum innutritos,dicit cuidā ex filiis puero patrē rogāti cuinā regnū relinqueret,reſpōdiſſe,ei ex vobis qui gladiū acutiorē habebit.Sed hoc nihil differt ab illa tragica deteſtatione, Acuto ferro diuidant fratres domū.Idē ex Ambrachia vt quendā maledicum pelleret precantibus reſpondit,Potius apud paucos illic manens,quàm currens apud multos de nobis obloquatur.

Darius vt Scythas diſceſſu falleret,aſinos canésq; in caſtris reliquit, quos quū rudentes latrantéſque hoſtes audirent,remanere Darium credidere.Eodem modo Ligures per diuerſa loca buculas laqueis ad arbores alligauere, qui diducti, frequentiore mugitu ſpeciem remanentium præbuerunt hoſtium.

Leonidas rex intempeſtiue quōdam de rebus militaribus verba faciēte,O hoſpes,inquit,non opportune quod oportet vteris. Eius quoq; ducis contra Perſarum exercitum quàm fortiter commilitones ſuos hortantis elogium eſt, vt non aliter pranderent quàm ſi apud inferos cœnaturi eſſent.Mirum dictu,non in ore creuit cibus,non hęſit faucibus, non elapſus eſt manibus, cæterum alacres & ad prandium illi promiſerunt,& ad cœnam.

Periandri conſiliū Thraſybulo datū eſt, ſupereminētes ſpicas decerpere,tāquā opportunū fuerit eminentiores ciuium de medio tollere.Itidem Tarquinius Superbus pater,apud noſtros Sabinorum principes necandos cenſuit.

Theopompi regis dictum probari etiam ſolet, qui dicente quōdam eo ſeruari Spartam quòd reges imperare didicerint,Quin propterea,inquit,potius quòd ciues imperio parent:non enim parere illis patiuntur, qui neſciunt imperare, ſed ſubiectorum obedientia diſciplina eſt principis: nam qui recte ducit,vt recte ſequātur efficit. Atqui ſicut equeſtris artis eſt, manſuetum præſtare & obſequentem equum:ſic & regiæ diſciplinæ munus,obedientes efficere.

Helius Cōmodus Cęſ.curſoribus ſuis exēplo cupidinū alas frequēter appoſuit, eosq; à ventorū nominibus ſępe vocitauit, Boreā,Notū aliū,& itē Aquilonē aut Circiū cęterisq; nominibus appellās,& indefeſſe atq; inclemēter faciēs curſitare.

M.Sertorius acie decertātē barbarū qui ei nūciauerat Hyrculegiū periiſſe pugione traiecit,ne in aliorū notitiā pueniret,& ob hoc animi ſuorū infirmarētur.

Antoninus

Antoninus Pius pacem eouſque dilexit vt Scipionis ſententiam vſurpare ſæpe ſolitus ſit,qua ille profitebatur,malle ſe vnum ſeruare ciuẽ quàm mille hoſtes occidere.

Hannibalem venientem in Italiam cum tria milia Carpentanorum relinquerent,callidiſſimo ille aſtu ne & cæteri mouerentur edixit,à ſe eſſe dimiſſos & inſuper in fidem eius rei paucos leuiſſimæ operæ domũ remiſit.Eiuſdẽ quoq; ducis clementiſſimum ſane ſalubréq; in ſuos conſilium : nam quum milites eius gelu ac frigore torperent,ignibus ante tentoria factis vt epularentur edixit, oleumq; per manipulos impartiendum vt vngerentur molliréntq; artus miſit : & ſcitè id quidem ac ſapienter . Nam vt phyſicis placet , oleo nihil ſi corporibus exterius admoueatur ſalutarius : ſi interius,nihil perniciоſius eſt . Rurſus quũ apud Aufidum, fluuium prope Cannas caſtra haberet & orto die extemplo belli ſignum extuliſſet (Nam erat rubra quædam veſtis ſupra conſulis tentorium protenſa) Carthaginenſes proſpecta impetatoris Romani audacia,& copiarum hoſtilium multitudine,quum ipſi haud medium numerum attingerent, principio,ingenti trepidatione perculſi ſunt : Hannibal iubens exercitum arma capere, eques ipſe cum paucis ex quodam humili tumulo hoſtes qui iam legiones in acies ſtruxerant,ſpeculatur, quúmq; quidam ex his qui circa ipſum erant,vir haud inglorius Giſgo diceret admirabilem ſibi hoſtium multitudinem videri , contrahens faciem Hannibal,inquit,Alterum te vidiſſe puto hoc admirabilius, quod è memoria tua excidit: interrogante Giſgone quidnam illud eſſet, reſpondit Hannibal,quòd inter hos tot homines,nemo prẽter te ſit qui Giſgo appelletur: hæc ſcõmata præter opinionem accidentia, omnes in riſum milites coniecerunt,& qui ex colle digrediebantur,& qui circa eum erant: quare quum Carthaginẽſes proſpicerent imperatorem eorum in periculo iocari, & rem parui facere, in conſerendo bello audentiores facti ſunt.

Claudius Nero victis Pœnis quos Haſdrubale duce in Italiam ex Hiſpania traiicientes exceperat , caput Haſdrubalis in caſtra Hannibalis eiecit : quo factum eſt vt Hannibal (nam frater occiſus erat)exercitus deſperatione aduentãtis præſidii affligeretur.

Camillus diſceptãtibus Romanis obſeſſis cũ Gallis de pecunia pẽdenda interueniens,cũ optimatibus aurũ arripiens,miniſtris dedit,trutinã reddidit hoſtibus, abire iubens,proprium inquiens eſſe Romanis ferro non auro patriam ſeruare.

Domitius Corbulo quum Cretam obſideret & Armeni pertinaciter viderentur tolerare obſidionem in Vaduadum ex megiſtanis quos cœperat animaduertit,caputq; eius in baliſta excuſſum intra munimenta hoſtium miſit: id fortè decidit in medium concilium quod tum maxime habebant barbari,ad cuius conſpectum velut oſtento conſternati ad deditionem feſtinauerunt.

Gallorum equites pectoribus equorum ad terrorem ſuſpenſa Romanorum geſtarunt capita , & lanceis infixa, ouantéſque moris ſui carmine : quanquam ſint qui Vmbros fuiſſe non Gallos tradant.

Appius Claudius,in õni ſermõe negociũ Romanorũ ocio prẽferre ſolitus ferẽt: atq; nemo tã demẽs eſt q; ocii dulcedinẽ, negociorũ curis,ſi ſecuritas cũ ocio con-

tingat nõ præferendã censeat: sed in anteriora prospiciens vir cautissimus, videbat id qđ exitus approbauit, Romanã virtutẽ negotiis ali, segnicieq; marcescere.

Q. Metellus bello punico secundo, pulso tãdem ex Italia Hannibale ac subacta Carthagine, cunctis gaudio exultantibus solus in senatu graui ac circumspecta sententia vsus est, Ignorare se asserens ea victoriáne lætabilior an formidabilior esset reipub. Sicut enim Hannibal Alpes ingenti strepitu transgressus, concussa Italia dormitantem populum Ro. excitasset, securus torpor opprimeret.

Scipio Nasica vir optimus à senatu iudicatus, tertio bello punico dum à sententia Catonis Censorii, qui vir omniũ sapientissimus habebatur acerrime constanterq; dissensit, & illo censente inexorabiliter delẽdam esse Carthaginem aduersatus est, non quòd vrbem infestissimã parcius odisset, sed quòd patriam diligeret cuius mores præuidere se dicebat in luxuriam abituros amoto emulę vrbis stimulo. Atq; vtinam eius tunc consilium valuisset, longioris ęui forsan Romana fœlicitas fuisset, nec vitiis propellentibus corruisset, pace bellorum gloriã inquinãte, atq; orbem domitum vindicante luxuria.

Melanthus Athenienſium dux quum prouocatus à rege hostiũ Xantho Boëtio, descendisset ad pugnã, vt primum cominus stetit, Inique, inquit, Xanthe & contra pactum pacis, aduersus enim vnum cum altero processisti: quumq; admiratus ille, quisnam se concomitaretur respexit, adortus hominẽ vno ictu cõfecit.

Dionysius senior cum sorte concionatores pro literarum ordine traherentur, vbi, D litera forte ipsi obuenisset, ad eum qui dixisset deliras Dionysi, dominabitur immo respondit, atq; vbi concionem habuisset, continuò à Syracusanis prętor designatus est: accusantibus verò quibusdam, hominem à se honorari & ad dignitatem prouehi, qui & improbus foret & molestus ciuibus, At volo, inquit, eum esse quem magis quàm me oderint.

Leon Byzantius, gibboso, sibi oculorum vitium obiicienti, Humanũ, inquit, malum reprehendis, quum ipse tergo supplicium luas.

Hermocrates Syracusanus superatis acie Carthaginensibus, veritus ne captiui quorum ingentem manum in potestatem redegerat, parum diligenter custodirentur, quia veritas euentus dimicationis in epulas, in securitatemq; compellere victores poterat, finxit proxima nocte equitatum hostilem venturum: qua expectatione affecutus est, vt solito attentius accuratiusq; vigiliæ agerentur.

Caius Pontius Samnitum imp. ambos coss. atque omnem exercitum ro. forte præruptis & anguſtis locis incluserat, miserabile spectaculum, tot fortissimos viros, adẽpta pugnæ copia, & armatos simul & captiuos cernere: quum interuentus noctis animos ab operibus in curas traduxisset, nec minus lętitia victoribus, quàm inclusis dolor consilium ademisset, visum est Herenniũ Victoris patrem, virum & ætate & sapientia prouectum consulere, (Neque enim aberat) senex audito rerum statu consilium dedit vt abire permitteret, insuper honorificis verbis & omni obsequiorum genere prosequeretur: quod vbi in consilio castrensi apud feroces animos iuuenum agitari cœpit, nimis molle ac prorsus senile consilium de tam infestis hostibus, & indignum omnibus videri: proinde iussus nuncius reuerti, ac virilius responsum petere. At ille omnes ad vnum occidendos censuit

Romanos

Romanos: enimuero tum cuncti,præcipue imperator delirare iam ſenem arbitrati ſunt,quippe qui de eadem re tam pugnantia ſuaderet:quia tamen fama hominis præclara erat, placuit rurſum exquirere, ſi quod forte medium conſilium haberet : tum verò ſenior ſtratis ſeſe iuſſit attolli, & vehiculo impoſitum ſe ad caſtra filii perferri, cuius aduentum circũfuſis omnibus, Nihil, inquit, noui conſilii daturus venio,ſed eorum quæ dedi dicturus rationem: Primũ quidem eſt,Romanos bello clariſſimos & optimos mortaliũ viros, grandi & inſperato beneficio aſtrictos ex inimicitiis ad amicitiam attrahere, & vobis ac poſteris veſtris tam validæ gentis præſidium promereri: quonam enim modo vnquam odiſſe poterunt,aut eos aut eorum ſobolẽ qui ab eis naſcentur per quos ſe meminerint vita ac libertate donatos? Secundum, ſi hoc vobis diſplicet, reor vti preſenti fortuna, & gentem inimicam extirpare funditus placeat : ſic enim in longum non tantum vobis conſulitis,ſed natorum natis,& qui naſcentur ab illis. Tertium ſane quod ex me petiſtis conſilium nullum eſt: nam quos, inquit, in manibus habetis dimittere contumeliis affectos, ea demum ſumma demen-
tia eſt,quæ nec hoſtem tollit nec amicum parat: verumtamen cæcus & inſolens victoris animus vtroq; cõſilio deſpecto,tertiũ quod ille dãnauerat amplexus,exercitum & conſules exarmatos & ſub iugum actos relaxauit,armis etiam veſtimẽtisq; ſublatis,tantum ſingulis vilioribus operimentis ob pudibunda corporis tegenda conceſſit,quod quum nunciatum eſſet Herennio,vt audiuit eos mœſtiſſimos abire,nec amicum, nec hoſtem poſſe à quoquam romano verbũ extorquere,Ei,inquit,miſero quàm graues minæ ſub hoc ſilentio premuntur : id quoque quàm vere prodiderit ſubſecuta Samnitũ ſtrage duce Papyrio Curſore repoſitumq; iugum Pontio & legionibus teſtatur. Eiuſdem etiam Caii Pontii Samnitum imperatoris dictum illud memorabile fuiſſe aiunt, Vtinam,inquit,ad id tẽpus me fata reſeruaſſent quo Romani dona accipere cœpiſſent : non eſſem paſſus eos diutius regnare. Sapienter id quidem hoſtis optabat: videbat enim imperium donis corruptibile,diuturnum eſſe non poſſe.

Xerxi quum exercitus ſui magnitudine multa vndique iactarentur quæ hominem nimia exiſtimatione ſui furentem concitarent, aliusq; diceret Græcos quibus bellum illaturus eſſet,non laturos nuncium belli,& ad primam aduentus famam terga verſuros, alius nihil eſſe dubii quin illa multitudine non vinci ſolum Græciam, ſed obrui poſſe,alius vix illi rerum naturam ſufficere, anguſta eſſe claſſibus maria, militi caſtra, explicandis equeſtribus copiis campeſtria vix patere,cęlumq; haud ſatis ad emittenda omniũ manu tela multaq; in hunc modum,Demaratus Lacedæmonius ſolus dixit, Ipſam illam quæ ſibi placeret multitudinem indigeſtam & grauem metuendam eſſe ducenti: non enim vires habere,ſed pondus: verumq; eſſe quod diceretur,maiorem belli apparatũ eſſe q̃ qui recipi ab his regionibus poſſit,quas oppugnare conſtituiſſet : quæ res contra te eſt,ob hoc ipſum te Græcia vincet,quia non capiet,& vti toto te nõ poterit. Preterea quæ vna rebus ſalus eſt, occurrere ad primos rerum impetus & inclinatis opem ferre non poteris, nec fulcire aut firmare labentia, multò antè vinceris q̃ victum eſſe te ſentias : ſic denique vt Demaratus prædixerat, ſtratus per totam

paſſim

paſſim Græciam Xerxes intellexit quantum ab exercitu turba diſtaret.

Hanno Carthaginenſis,vir apud ſuos ſpectatæ prouidentię,perferuidū Hannibalis ingeniū ab infantia contemplatus,ſemper ſuaſit continendum domi ſub legibus,docendū ex æquo cū ciuibus ſuis viuere , abſtrahēdum ab exercitibus ne intempeſtiuo aſſuefactus imperio,poſtquā ceruicem dediſſet,tyrannum ageret: id ſalubriter ne præmoneret declarauit exitus.Quanta enim cum Aphricę,Hiſpaniæq; & Italiæ ruina,quantoq; populorum cum gemitu ac ſanguine imperitandi dulcedinem ſemel deguſtatam perpetuam reddere puer ille nixus ſit, tam notum eſt vt commemoratione non egeat.

Periclem Athenienſium ducem , quem virum cautiſſimum fuiſſe conſtabat, Ariſtophanes comicus ab inferis reuertētem finxit , conciues ſuos monentem, non oportere in ciuitate leonem educari: verum ſi educatus fuerit,obſequi oportere: perſuadere volens hoc figmento, adoleſcentibus generoſis ac præferocibus habenas ſubſtringi debere : poſtquam laxatæ ſint, ſerò contrahi,immodica frenum recuſante licentia.Poſſe igitur inimicū libertati nimium fauorem petentibus negare, conſecutis verò eripi non poſſe .Idem Pericles cum à Themiſtocle vehementer diſſideret,multęq; inter ipſos & graues eſſent,& diſſonæ contentiones,dicere in concione ſolitus fertur,nunquā ſalutem Athenienſium rebus fore, niſi ſe ac Themiſtoclem in barathrum coniicerent.

Cimon Athenienſis,Peloponeſiaci belli tēporibus qui fuiſſe dicitur,inhumanus admodum & hominum congreſſus fugiens,& colloquia omnia præter vnius Alcybiadis qui ea tempeſtate adoleſcens erat, & præſtanti forma, & lingua maxime promptus,quum eum libentiſſime amplecteretur oſculareturq; ,interrogatus ab Epemanto quid ita faceret, ideo ſe adoleſcentem amare reſpōdit quòd intelligeret illum multorum malorum cauſam Athenienſibus fore.

Iulius Cęſar ciuili victoria clementiſſime vſus,quū ſcrinia deprehendiſſet epiſtolarum ad Pompeium miſſarum ab his qui videbantur aut in diuerſis,aut in neutris fuiſſe partibus,igni tradidit,& quàmuis moderatè ſoleret iraſci, maluit tamen non poſſe: maximum putauit genus veniæ, neſcire quid quiſque peccaſſet: ſatiuſq; eſſe ratus,in quibuſdam rebus decipi,quàm fallaciſſimis ſuſpicionis & coniecturæ iritamentis poſſe decipere.Idem Pomponio oſtendēti vulnus ore exceptum in ſeditione Sulpitiana,quod ipſe paſſum pro eo pugnante gloriabatur,Nunquam fugiens reſpexeris, inquit.Huius paterni verbi etiam poſtea forte memor Auguſtus,in quempiam ſimili modo iactitantem , & cicatrices oſtentantem inuectus eſt.

Antigonus ſecundus,Demetrii filius,quum bello nauali aduerſus Ptolomæi prætores pugnaturus eſſet,gubernatorq; dixiſſet hoſtiū naues multo plures eſſe, At me,inquit,præſentem aduerſus quot naues opponis ?Inuadentibus verò hoſtibus,quum aliquando ceſſiſſet,ait nequaquam ſe fugere, ſed ipſum vtile quod retro poſitum eſſet inſequi.

Alcybiades canem quum haberet optimum quem nummûm ſeptēm milibus emerat,ei caudam abſcidit,dicentibúſque id vile inclyti ducis miniſterium fuiſſe , Hoc ideo feci, inquit ,quò Athenienſes hac de re loquentes, de me aliud nihil

nihil curiosius quæritēnt.

Thymoleon quū Demenatus in concione populi de rebus gestis eius detrahe re cœpisset, ac nōnulla inueheretur in eum,dixit nūc demum se voti factū compotem, nanque hoc à diis immortalibus semper precatum vt talem libertatē restitueret Syracusanis in qua cuiuis liceret de quo vellet,impune dicere.

M. Bruto quum se penè tota Lusitania dedidisset ac sola gentis huius Citania ciuitas pertinaciter instaret, tentata redemptione propemodum vno ore legatus eius respondit,ferrum videlicet sibi à maioribus quo vrbem tuerētur,non aurum quo libertatem ab imperatore auaro emerent relictum.

Timotheus fortunatus imperator quum putaretur, atque qui ei inuiderent pingerent vrbes quæ illo dormiente ad rete vltro se implicarent, Itaque dicebat Timotheus,si huiusmodi vrbes capio dormiens,quid me facturum arbitramini quum vigilauero? Ad hæc quum ex audacibus prætoribus quidam Atheniensibus vulnus ostenderet, At me,inquit, puduit quòd me prætore vestro in Samo catapulta propè concidit.

Lysimachus in Thracia superatus à Dromachea,quum & sese,et exercitum suum præsidi dedidisset,vbi bibisset in captiuitate positus,O dii,inquit, vt paruæ voluptatis gratia memet seruum ex rege feci.

P. Syllanus quum maxima apud hostes dignitate ac potentia præstans,Mario in bello ciuili fossa circundato & obsesso occasionem & tempus operiens dixisset,O Mari,si magnus imperator es,descende in aciem & pugna, respondisse Marium ferunt, At tu si clarus imperator es, certare me nolentem coge. Iterum quum aliquando hostes sibi congrediendi præbuissent causam Romanúsque certamen detrectauisset, vt abiere,vtrinq; militibus in concione habitis, Ambigo,inquit,an hostes,an vos magis eneruatos appellem: non enim vestra illi,nec vos eorum terga intueri potestis.

Laberius quum vitam omnem honesta militia exegisset, sexagesimum vitæ annum agens,ad extremum Iul. Cæsaris blanditiis ac precibus quæ de ore principum armatæ prodeunt productus in scenam,de Romano equite factus est mimus: quam iniuriam ipse quidem non tacitus tulit,immo multis & inter cætera his questus est verbis, Ego bis tricenis annis actis sine nota,eques Romanus lare egressus meo domum reuertar,minimúsque: nimirum hoc die vno plus vixi quàm mihi viuendum fuit. Idem diu antè clarissimus & inuictus,tandem à Publio victus extitit, quippe à quo ea tempestate nemo non victus extitit, quod & Iulius Cęsar diffiniuit his verbis,Fauente tibi me victus es Laberi: & Laberius ipse tam æquo tulit animo vt victum se sine altercatione fateretur,his sapiētiæ plenis & memoratu dignis versibus, Non possunt primi esse omnes omni in tempore,Summum ad gradum quum claritatis veneris Consistes ęgre & citius quàm descendas Decides,cecidi ego,cadet qui sequitur,Laus est publica.

Athenodorus singularis & vita & doctrina philosophus, quum aliquandiu in instruendo Augusto dedisset operam & vrgente senectute facultatem in patriam redeundi ab imperatore oraret, ac tandem impetraret,discessurus vt aliquod quasi pignus & perpetuum sui recessus monumentum relinqueret, in extremo

tremo abeundi gratificandique officio quum iraſci, inquit, Cæſar, tibi contigerit, nihil prius dixeris feceríſue quàm quatuor & viginti literas mente percurras: quod à philoſopho ſummo inuentum proinde puto, quò concitatio illa vehemens animi aliò traducta, parui temporis momento langueſceret: ſapiens profectò præceptoris dictum. Non minus beni-
gnum illud Octauiani Cæſaris factum: apprehenſa enim
Ahenodori dextra, Tua mihi & adhuc opus
eſt præſentia dixit, hominemq; apud ſe
annum poſtea tenuit, præfatus ta-
citurnitatis, quia ſine periculo
ſit, tutum, nec mediocre
præmium fore.

ROBERTI VALTVRII

AD ILLVSTREM HEROA SIGIS-mundum Pandulphum, de re Militari

Liber Sextus.

Belli gerendi indicendiq;, aut feriendi fœderis antiquorum rationes. Cap. I

Vnt aliæ bellorum rationes atq; conſilia permulta, Sigiſmunde Pandulphe, quæ tradere, ardua res quidem erit & operoſa nimis, quoniam quod vtile quiſq; probat dux & imperator id & ſequitur: & quanquã nouis ingeniorum inuentis occurrere difficillimum etiam ſit, quum non præmeditata ſepenumero caſus afferat, dabimus tamen operam ex his quę prioribus ad gloriam ſucceſſerit viã aperire poſteris, vt ex ſimilibus elicere ſimilia queant conſilia: inſtituti nanque veteris ac probati quàmdiu fuiſſe legimus nullum bellum geri, neque indici debere, neque ſolere, niſi quicquam prius hoſtibus à ſacerdotibus fœcialibus denuntiatum eſſet, apud quos belli æquitas paciſque ſanctiſſimo Ro. populi iure perſcripta erat. Formula autem indicendi belli aut feriendi fœderis per fœcialem huiuſmodi erat: & qua nulla, vt Liuio placet, vetuſtior eſſe memoratur, Fœcialis inquit, regem Tullium ita rogauit, Iubésne me, rex cũ patre patrato populi Albani fœdus ferire? iubente rege, Sagmiã, inquit à te rex poſco. Rex ait, puram tollito: Fœcialis ex arce graminis herbam puram attulit, poſtea regem ita rogauit, Rex facis ne me tu regium nuncium populi Romani, vos comiteſq; meos, Rex reſpõdit, quod ſine fraude mea populíque Romani Quiritum fiat facio, multiſq; id verbis quę longo effata carmine non operæ precium eſt referre, peragit: legibus deinde recitatis, Audi inquit, Iupiter, audi Paterpatrate

trate populi Albani,audi tu popule Albane,vt illa palam prima postremáue ex illis tabulis ceráue recitata sunt sine dolo malo,vtiq; ea hic hodie rectissime intellecta sunt,illis legibus populus Romanus prior non deficiet . Si prior defecerit,consilio publico , dolo malo, tu illo die Iupiter populum Romanum sic ferito,vt ego hunc porcum hodie feriam, tantóque magis ferito quanto magis potes pollésque: id vbi dixit ,porcum saxo silice percussit . Sua item carmina Albani suúmque iusiurandum per suum dictatorem suósq; sacerdotes peregerunt. Ancus autẽ Martius Numæ Pompilii ex filia nepos , æquitate ac religione aui persimilis,qui Latinos bello domuit, ius fœciale quo legati ad res repetẽdas vterentur ab Equiculis transtulit,quod prius Hesus fertur excogitasse.Patrispatrati vsus eodem tempore quo Fœcialis apud Ro.prodiit.Nam & in feriendis à fœcialibus fœderibus , Patrispatrati opera auctoritásque exigebatur. Legatus igitur idemq; Paterpatratus vbi ad fines eorum venit vnde res repetũtur,capite velato filo,lanę velamẽ est,Audi Iupiter,inquit, audite fines cuiuscũq; gentis sunt, numina audiãt fas,Ego sum publicus nũcius populi Romani,iuste pieq; legatus venio verbisq; meis fides sit. Peragit deinde postulata, inde Iouem testem facit, Si ego iniuste impieq; illos homines illásque res dederit , populo Romano mihiq; exposco vt patriæ compotem nunquàm me sinas esse : hæc quum finiit suprà scandit. Hæc quicunque primus vir ei obuius fuerit , hæc portam ingrediens, hæc forum ingressus, paucis verbis carminis concipiendiq; iurisiurãdi mutatis peragit. Si non deduntur quæ exposcit,diebus tribus & triginta (tot enim solennes sunt) peractis bellum ita indicit,Audi Iupiter,& tu Iuno,Quirine,diiq; omnes cęlestes,vósq; terrestres vosq; inferni audite,Ego vos testor,populũ illũ,quicunque est nominat,iniustum esse neque ius persoluere. Sed de istis rebus in patria maiores natu consulemus , quo pacto ius nostrum adipiscamur . Quum is nuncius Romam ad consulem rediit , confestim rex ex his ferme verbis Patres consulebat,quarum rerum,litium,causarum,cõdixit Paterpatratus po.ro.Quiritium Patripatrato prisc orum latinorum,hominibusq; priscis latinis, quas res dari,fieri,solui oportuit,quas res non dederunt,nec soluerunt,nec fecerunt, Dic inquit ei qui primum sentẽtiam rogabat,Quid censes? Tum ille,Puro pioq; duello quærendas censeo, itaque cõsentio , consistóque,indeq; ordine alii rogabantur. Quandóque pars maior eorum qui aderant in eandem sententiam ibat,bellum erat consensu fieri solitum, vt Fœcialis hastam ferratam aut sudem præustam ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus præsentibus diceret, quòd populi priscorũ Latinorum, hominésue prisci Latini aduersus populum Romanum Quiritium fecerunt,deliqueruntq;,Po.Ro. Quiritium bellum cum priscis Latinis iussit esse senatúsue po.ro.Quiritium,fecerunt , deliquerũtq;,Po. Ro. Quiritium censuit , consensit , consciuit vt bellum cum priscis Latinis fieret ob eam rem: Ego populusq; Romanus , populis priscorum Latinorum hominibúsque priscis Latinis bellum indico, facióque: id vbi clara voce denunciasset,clarigationem quasi claram actionem veteres dixere, hastã in fines eorum emittebat,quę sic denique missa,belli principium erat: quod nec dissimulasse visus est Maro,quum inquit,Et iaculum torquẽs emittit in auras principium pugnæ

gnę erat.Erat & ante Bellonæ templũ,Bellica(colũnę id nomen eſt)ſupra quam haſtam etiam iaciebant bellũ indicturi.Ouidius in faſtis,Proſpicit à tergo ſummum breuis area circum Eſt vbi non paruæ parua columna notæ . Huc ſolet haſta manu belli prænuncia mitti,In regem & gentes quum placet arma capi. Hoc itaque tum modo repetitę primum res à Romanis ac bellum indictum,morémque eum poſteri & ſi abſoleuerit acceperunt.

De euocationis & deuotionis formula Cap. II.

CElebres deinde auctores habemus, quæ vel vi vel arte excogitari ac machinari poſſunt ad capiendũ opprimẽdúmque hoſtem,nutu deorum & auſpicio fieri ſolere,vt his propitiis & auctoribus ars efficacior eſſet . Simili modo in oppugnationibus vrbium ante omnia ſolitum à Romanis ſacerdotibus euocari deum conſtat,in cuius tutela id oppidum ſit,promittiq; illi eundem aut ampliorem honorem apud Romanos cultúmue, quòd haud aliter vrbẽ capi poſſe non crederent:aut etiã ſi poſſe,nefas exiſtimarent deos habere captiuos. Propterea durauit in pontificum diſciplina quãdiu id ſacrum,cõſtátque ideo occultum & multis ſæculis ignotũ vrbis latinũ nomen tutelarí ſue dei. Sed Dei quidẽ nomen nonnullis antiquorũ inter ſe diſſidentium libris inſitum eſt. Alii enim Iouem crediderunt,alii lunam,alii opem conſciniam:& horum quidem fides firmior videtur quibuſdam. Sũt qui Angeronam: inter antiquiſſimas ſane religiones,huius deæ ſacellum colitur , cui ſacrificatur ante diem xii,Kal.ianuarii,quę Diua præſul ſilentii ipſius,prẹnexo ore,digitóq; ad id admoto ſimulacrum habet,quod ſilentium denũciat.Ipſius deinde verum vrbis nomem & vnde deductum ſit,inter doctiſſimos non ſatis cõſtat. Vt enim Varroni placet & Liuio,potito imperio Romulo ſiue Remo condita vrbs eſt , & conditoris ſui appellatione nominata. Alii ſunt qui videri velint Romæ vocabulum ab Euãdro primum datum quum oppidum vbi ſita nunc vrbs eſt,ibi offendiſſet,quod extructum antea latino nomine Valentia dicebatur, cuius vocabulum Arcades vertentes in græcum , iuxta prioris verbi ſignificationem ῥώμλη pro Valentia vocauere . Heraclidi placet , Troia capta quoſdã ex Achiuis in ea loca per Tyberim deueniſſe,deinde ſuadẽte Roma,nobiliſſima captiuarum quę his comes erat,incenſis nauibus poſuiſſe ſedes,ſtruxiſſe mœnia,& oppidum ab eius nomine vocauiſſe . Agathocles ſcribit Romam non captiuam fuiſſe,ſed Aſcanio natam Aeneæ neptem eiuſce denominationis cauſam extitiſſe tradit,& Romæ nomen verum,vetitũ tamẽ publicari quò minus annũciarẽtur cerimoniatum arcana,neque quod ſæpe aduerſus vrbes hoſtium feciſſe ſe nouerant,idem ipſi quoq; hoſtili euocatione paterentur. Sed videndum ne quod nonnulli exiſtimauerunt , nos quoq; confundat opinãtes vno carmine & euocari ex vrbe aliqua deos,& ipſam deuotã fieri ciuitatem . Eſt autẽ carmẽ huiuſmodi quo dii euocantur quum oppugnatione aliqua ciuitas cingitur , Si deus, ſi dea eſt,cui populus ciuitáſq; Carthaginenſis eſt in tutela , teq; maxime qui vrbis huius populiq; tutelam recepiſti precor,venerorq;,veniamq; à vobis peto, vt vos populũ ciuitatemq; Carthaginenſium deſeratis,loca,templa, ſacra, vrbẽ eorum relinquatis,abſque his abeatis, eiq; populo, ciuitati,metum , formidinem,

obliuionem

obliuionem iniiciatis,proditiq; Romam ad me meosq; veniatis, nostráq; vobis loca,tẽpla,sacra,vrbs acceptiora probatioráq; sint: mihi quoq; populoq; Romano militibúsq; meis præpositi sitis,vt sciamus, intelligamúsq; : si ita feceritis,voueo vobis templa ludosq; facturũ. In eadẽ verba hostias fieri oportet, auctoritatémq; videri extorum,vt ea promittãt futura: vrbes verò exercitúsq; numinibus iam euocatis,his verbis sic deuouẽtur,Dis pater veiouis,manes,siue quo alio nomine fas est nominare,oro vt omnes illã vrbẽ Carthaginem exercitũq; quẽ ego me sentio dicere,fuga,formidine,terrore cõpleatis: quiq; aduersus legiones exercitũq; nostrum arma,telaq; ferent,vtì vos eũ exercitũ,eos hostes, eósq; homines, vrbes,agrósq; eorum & qui in his locis regionibusq;, agris , vrbibúsq; habitant abducatis,lumine supero priuetis,exercitũq; hostium,vrbes agrósq; eorum quos me sentio dicere,vtì vos eas vrbes agrósq;,capita,ætatésq; eorũ deuotas cõsecratásq; habeatis, illis legibus quibus quandoq; sunt maxime hostes deuoti,eósque ego vicarios pro mea fide magistratúq; meo po. ro. exercitibus legionibúsque Do deuoueo, vt me meáq; fidẽ imperiumq;, legiones exercitũq; nostrum qui in his rebus gerendis sunt,bene saluos nos iri sinetis esse . Si hæc ita faxitis, vt ego sciam,sentiam, intelligãq;,tum quisquis votũ hoc faxit,vt vbi faxit,recte factum esto,ouibus atris,Tellus mater,teq; Iupiter obtestor,quum Tellurem dicit,manibus terram tangit: quũ Iouem dicit,manus ad cælum tollit: quum votum recipere dicit,manibus pectus tangit. Hęc est euocationis deuotionisq; forma ex libro rerũ reconditarum v. Sãmonici Serrani vtrũq; carmẽ hoc cõtinentis , quod etiã ille in cuiusdã Furii vetustissimo libro se reperisse ,pfessus est. Liuius autem libro octauo ab vrbe cõdita trepidationem Decii consulis se deuouentis,alia deuotionis forma his verbis expressit , Agedum pontifex publicus populi ro. prei verba quibus me pro legionibus deuoueam: Pontifex eũ togam prætextam sumere iussit,et velato capite manu subter togam ad mẽtum exerta,super telũ subiectum pedibus stãtem sic dicere, Ianе,Iupiter,Mars,pater Quirine,Bellona,lares diui,numen similes dii indigetes,Diui quorum est potestas nostrorũ hostiumq; diiq; manes , vos precor,veneror, veniam peto feroq; vt Po.Ro. Quiritium vim victoriãq; prosperetis,hostesq; Po.Ro.Quiritiũ terrore,formidine,morteq; afficiatis,sicut verbis nũcupaui,ita pro Ro.Po.Quiritiũ exercitu,legionibus, auxiliis Po.Romani Quiritiũ,legiones,auxiliáq; hostium mecũ diis manibus telluríque deuoueo.Hęc ita precatus,lictores ire ad T.Mãliũ iubet,maturéq; collegæ se deuotum pro exercitu nunciare,ipse incinctus cinctúq; gabino armatus in equum insiliit,ac se in medios hostes immisit, cõspectus ab vtraq; acie aliquãto augustior humano visu,sicut à cęlo missus piaculũ omnis deorum iræ qui pestem à suis aduersam in hostes ferret: ita omnis terror pauórq; cũ illo latus,signa prima Latinorũ turbauit, deinde in totã penitus aciem puasit,euidẽtissimũ id fuit q; quòcunq; equo inuectus est , ibi haud secus q̃ pestifero sidere icti pauebant, vbi verò corruit obrutus telis,inde iam haud dubie cõsternatæ cohortes Latinorum fugam ac vastitatem late fecerunt. Illud etiam adiiciendum videtur,licere Consuli Dictatoríq; & prætori quum legiones hostium deuouerit , non vtique se , sed quem velit ex legione Romana scripta ciuem deuouere.

De religione antiquorum ducum Cap. III.

NEque etiam sermo ille quem de Zaleuci, Minois, Lycurgi, Numæ aliorumq; similium virorum religione deorum narrant historiæ, ineptum quicq̃ habet, qui vt infrenes difficilésq; multitudines gubernarent, componerẽt, caperent, magnasq; rebus publicis nouitates afferrent, deorum opinionem commẽti sunt, quæ ipsis illis quorum gratia fingebantur saluti essent: in qua re præter hos quos modo diximus, nec externorum, nec nostrorum similium virorũ desunt exempla. Nanque Epaminundas ille Thebanus, non aliter aduersus Lacedæmonios quàm religione fidutiam suorum adiuuandam censuit, è vestigio enim arma quæ in templi ornamentis affixa erant nocte subtraxit, persuasitq; militibus deos iter suum sequi, et præliantibus ipsis adiumento fore. Pericles Athenienſium quoq; dux initurus prælium, quum animaduertisset locum ex quo vtraq; acies conspici poterat densissimæ opacitatis, vastum alioquin & Diti patri sacrum, ingentis illic staturę hominem altissimis cothurnis & veste purpurea venerabilem in curru constituit, qui dato pugnæ signo proueheretur, & voce Periclem nomine appellans cohortaretur eum, diceretq; deos Athenienses adesse: quare subitò demissis ac consternatis animis, hostes in fugam versi sunt. Thymoleon Corinthius, magnus etiam omnium iudicio vir & dux, humanarum rerum nihil quod faustum, fœlix, fortunatúmq; esset sine deorum numine geri posse putabat: proinde suę domi sacellum constituerat idq; sanctissimè colebat. Ad hanc quoq; hominis excellentẽ probitatem & religionem, mirabiles accesserant casus: nam prælia maxima natali suo die fecit omnia, quo factum est vt eius diem natalem festum haberet vniuersa Sicilia. Syrus nomine quispiã Eunus, fanatico furore simulato, dũ Syrię deę comas iactaret, ad libertatẽ et arma seruos quasi numinũ imperio cõcitauit, idq; vt diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce quam sulphure & igne stipauerat leuiter inspirãs, flãmam inter verba fundebat, hoc miraculũ primo, II. M. ex obulis, mox iure belli refractis ergastulis, lx. amplius miliũ fecit exercitum: regiis, ne quid malis deesset, decoratus insignibus, castella, vicos, oppidáq; miserabili direptione vastauit. Vtque ad nostros, vnde paululũ discessit, redeat oratio, Scipio maior clarissimum hac in re prę cęteris sibi locum vẽdicat, quippe qui ab adolescentia suprà quàm credi posset mira quadam arte in ostẽtationẽ virtutis ac sanctimonię instructus erat: percrebuerat enim fama, seu cõsultò, seu temere, incertũ, nõ humana sed diuina eũ stirpe progenitum, cui quidẽ in tali re vsu euenit, & fabularum ambages aderãt, visum serpẽtẽ insuetæ magnitudinis in lecto matris, sibi infanti draconẽ circũfusum nihil nocuisse, multa id genus, in vulgus indoctũ matura: Hanc de se opinionẽ hominũ tali ingenio nutriuit vt de origine quidẽ suа nihil spõte loqueretur, & interrogatus an vera essent quæ passim ferebãtur, nec affirmaret ne quã exinde vanitatis notam incurreret, nec negaret quod credi ab omnibus gratulabatur: hac taciturnitate plus assecutus, q̃ si palàm Iouis se filiũ prędicasset. Addidit etiã aliud religionis genus, per singulos dies antequã quicquã publici priuatiq; muneris ageret, in capitoliũ ascẽdens, cellã Iouis solus intrabat, ibiq; aliquãdiu perstans, veluti diuino colloquio frueretur, quod vulgo persuaserat,

ſuaſerat,inde ſpei plenus ad gerendas res digrediebatur, ídq; in multis bellis,repletis ſuperſtitione ac ſpe militum animis,quaſi è cælo promiſſis proſperis euẽtibus ad victoriam eis contuliſſe certũ eſt. L. Sylla quò paratiorem militem ad pugnãdum haberet, prædici ſibi à diis futura ſimulauit. Poſtremò etiã in conſpectu exercitus priuſquã in aciem deſcẽderet, ſignum amplitudinis quod Delphis ſuſtulerat orabat,petebátq; promiſſam victoriã maturaret. C. Marius mulierem quandam Syram,nomine Martam habuit,vaticinii (vt dicebatur)gnaram,quã lecticæ incubãtem compoſitè ornatéq; circunducebat,à qua ſe dimicationum euentum prædiſcere inſimulabat. Q. Sertorius cum barbaro & rationis & cõſilii experti exercitu, in religionẽ tamẽ prono vteretur,ceruã cãdidi coloris per Luſitaniam ducebat,tanquã donum id eſſet Dianæ ſibi tranſmiſſum, & ab ea quæ agenda qúæve vitãda erant pernoſcere ſe aſſeuerabat: nam quotiens hoſtium copias fines ingreſſos,aut oppidum aliquod cepiſſe occultè perſenſerat,in ſomnis ſibi dictum à cerua inſimulabat,vt ſuos in armis haberet. Rurſum verò, ſi victoria aliqua ducũ ſuorũ deferebatur, occultato nũcio ceruam coronabat,ſi bíq; ab ea quoq; fauſtè nũciatum,& ob id diis ſupplicãdũ eſſe dicebat,quaſi aliquid fœliciter geſtũ audituros: hac ratiõe illos ſibi magis ac magis parere cõpellebat,veluti nõ hominis alienigenę,ſed dei cõſiliis ac religiõe ſumma ducerẽtur. Poſt hos deniq; intueri ſi libet, M. Furium Camillum, virum religione pace ac bello verè vnicũ, cæteróſq; Romanorũ et exterarũ gẽtiũ illuſtres,ab ætatis noſtrę memoria remotos, maximarũ ꝓfectò victoriarum et optatę glorię cõpotes fuiſſe eos ſemꝑ inuenies,q̃ res præ cæteris exactiſſimo deorũ cultu auſpicióq; geſſiſſent.

Quòd religioſa uſque adeò res Militia erat, ut non niſi ſacramento miles fieret. Cap. IIII.

VSque etiam adeò religioſa res Militia fuit,vt non niſi ſacramẽto fieret miles,& qui miles non eſſet, ei militare munus obire non liceret: cuius rei fidẽ ſi quęris,in primo Offic. libro M. T. C. opulẽtiſſimus teſtis eſt,Pompilius inquit imperator tenebat prouintiã, in cuius exercitu Catonis filius tyro militauit: quum autẽ Pompilio videretur vnam dimittere legionem,Catonis quoq; filium qui in eadem legione militabat dimiſit: ſed quum amore pugnãdi in exercitu remanſiſſet, Cato ad Pompilium ſcripſit, vt ſi eum pateretur in exercitu remanere,ſecũdò obligaret militiæ ſacramento, quia priore amiſſo iure,cũ hoſtibus pugnare nõ poterat. M. quoq; Catonis ſenis ad M. filium extat epiſtola,in qua ſcribit ſe audiſſe,eũ dimiſſum eſſe à cõſule quum in Macedonia bello Perſico miles eſſet,monet igitur vt caueat ne prẽlium ineat: negat enim ius eſſe cum hoſte pugnare, quaſi miles non ſit: ecce ꝓ vir ſapiẽtiſſimus militem non credebat, niſi eum qui ſacramento ad militiam eſſet adactus.

Quando ex uoluntario inter ipſos milites fœdere militare ſacramentum ad tribunos ac legitimam iuriſiurandi adactionem tranſlatum ſit, quidq; iurarent ſe facturos. Cap. V.

IVcio etiam Flac. & C. Varrone coſſ. milites primo iureiurãdo facti ſunt: antea enim ſacramẽto tantũmodo à tribunis rogabãtur, ipſíq; inter ſe cõiurabãt ducis aut tribuni parere edicto,militiã nõ deſerere, ſtrenue pugnare,defendere ſigna,nõ vitare mortẽ,tenere pugnãdo locũ,eũdẽq; inter eũdũ ſeruare,ſuccurrere feſſis,ꝓtegere ſaucios,die inſcripto adeſſe,

& citanti imperatori reſpondere: quod & Liuium,xxii. ab vrbe cõdita minime præterit,Delectum,inquit,profectò coſ. paucos morati dies,dum ſocii ab nomine latino venirent, nunquã quod antè factum erat,iureiurando à tribunis militum adacti milites,iuſſu coſ. conuenturos neque iniuſſu abituros.Nam ad eam diem nihil præter iuramentũ fuerat, & vbi ad decuriatum & centuriatũ conueniſſent,ſua voluntate ipſi ſe equites,decuriati, cẽturiati,pedites,coniurabãt ſeſe fugæ atque formidinis cauſa non abituros,neque ex ordine non receſſuros,niſi teli ſumendi aut petendi,aut hoſtes feriendi, aut ciuis ſeruandi cauſa,id ex voluntario inter ipſos fœdere ad tribunos ac legitimã iuriſiurãdi adactionẽ trãſlatũ.

Tribuni Militaris uerba cum delectus antiquus fieret. Cap. VI.

Mincius verò de re Militari quũ delectus antiquus fieret & milites ſcriberentur,iuſiurandum eos tribunus militum adigebat in verba hęc, in magiſtratu verba hæc,C.Lelii,C.F.coſ. L. Cornelii, P. F.coſ.in exercitu decẽmque milia paſſuum propè,furtum nõ facies dolo malo,ſolus,neque cum pluribus pluris nummi argẽtei in dies ſingulos, extrãque haſtam,haſtile,pompabulum,vtrem,follem,faculam , ſi quid ibi inueneris ſuſtuleríſue quod tuũ non erit,quod pluris argentei nummi erit,vti tu ad C .Lelium, C.F.coſ, L.ue Cornelium,P.F.coſ.ſiue ad quem virum eorum iuſſerit proferes, aut profiteberis in triduo proximo quicquid inueneris ſuſtuleríſue in dolo malo,aut domino ſuo cuium id cẽſebis,reddes,vti quod recte factum eſſe voles.Militibus autẽ ſcriptis tempus præfiniebatur quo die adeſſent,& vt citanti conſuli reſponderent:deinde ita concipiebatur iuſiurãdum vt adeſſet ,his additis exceptionibus,niſi harunce aliqua cauſa erit,funus familiare,feriæ vindemiales,quæ non eius rei cauſa in eum diẽ collatæ ſunt , quo is eo die minus ibi eſſet,morbus ſonticus,auſpiciúmve, quod ſine piaculo præterire non licet,ſacrificiúmve anniuerſarium,quod recte fieri non poſſet niſi ipſo die. Si harunce aliqua cauſa erit, tum poſtridie licebit: quum autem miles die quæ prędicta erat aberat, neque excuſatus erat,cæterum infrequens dabatur: iurabãt autem milites teſte Plinio per Iouem Martemq;.

Quòd imperium belli habentibus ,ſceptri eleuatio iuſiurandum erat. Cap. VII.

Imperium autem belli habentes apud veteres,de controuerſiis iudicabant,atque hoc alii iureiurando,alii ſine.Erat autem illis iuſiurandũ per ſceptri eleuationem, vt Ariſtoteles auctor eſt. Et hæc de militaris ac imperatorii forma iuramenti dicta ſunt.

Gentium diuerſarum ratio in deligendis militibus. Cap. VIII

Vum autem duo ſint quæ militem efficiunt , delectus ſcilicet & ſacramẽtum,de ſacramẽtoq; dictũ ſatis ſuperq; ſit,de altero nobis diſſerẽdum ſupereſt:in hoc itaq; militum delectu , primo cuius gẽtis ſint, ipſius deinde regionis ſpectãda natura, quũ & vario & diuerſo terrarum ſitu cęliq; aſpectu,& facies hominum,& voces,& colores,& corporũ lineamẽta,& qualitates,animorũq; diuerſitates prodeãt: nec dubiũ ſit effœminari animos,locorum amœnitate nimia,aliquidq; ad dandũ animis vigorẽ corrũpẽdũq; poſſe regionẽ.Hinc enim Aegyptios eſſe ſuapte natura leues,ventoſos,pẽdulos, furibundos,

furibundos,iactantes, iniurioſos,nouarũ rerum cupidos, & ad omnia famę momenta volitãtes, Romanos graues,Græcos ſuperbos,auaros, & leues,expeditiore ingenio Athenięſes,callidos Pœnos et verſipelles,inſenſatos Galatas,& ſi Diodoro credimus molles,minaces,detractores,opinioneq́ inflatos,acutos ingenio, & à doctrina minime alienos,mobiles & infidos Numidas,Seres,Perſas & Allobroges,horridos Hiſpanos,furentes Cymbros,animoſos Germanos & feroces procero corpore,animoq́ magno magis q̃ firmo Gallos,quorum Iulio Cel. belli gallici libro tertio auctore,vt ad bella ſuſcipienda alacer nõ ſolum ſed prõptus eſt animus,ſic mollis ac minime reſiſtẽs ad calamitates perferẽdas mens eorum eſt,vtq́ inquit romanæ pater hiſtoriæ,Horum etiã quidẽ corpora intolerantiſſima laboris atq́ æſtu fluere: primáq́ eorũ eſſe prędia plus q̃ virorũ,poſtrema minus q̃ fœminarũ,iamq́ cognitum eſt ſi primũ impetũ quem feruido ingenio & cęca ira effundunt ſuſtinueris, fluũt ſudore & laſſitudine membra, labãt arma, mollia corpora,molles vbi ira conſedit animos,Sol,puluis,ſitis,vt ferrũ non admoueas,proſternũt. Quid de nõnullis Aſiæ partibus,Phrygia Cariáq́ dixerim? nónne ſi Ciceroni credimus,& veteri prouerbio,Phryges plagis fieri ſolere meliores? quid de tota Caria? nõne prouerbio etiã increbuit,ſi quid cum periculo experire velis,in Care potiſſimũ id eſſe faciẽdũ? quid porrò de Cretenſibus dicam quos Epimenidis poętę ſententia quã poſtea Callimachus vſurpauit,& mendaces,et malas beſtias,et vẽtres pigros ſemper fuiſſe cõſtat? deniq́ qui proximi ſunt ad axem meridianũ ſubiectiq́ ſolis curſui,vel ad oriẽtis plagas vergunt,breuioribus corporibus ſunt,ob cęliq́ tenuitatẽ ex acuto feruore ad cõſiliorũ bellicorũ cogitationes incredibili ſolertia expeditius celeriuſq́ q̃ cęteri mouẽtur,atq́ vt ingenii & artis plurimũ,ita & animi parũ hąbẽt. Propter ſãguinis enim exiguitatẽ,ſolis calore exhauſtã,ferro reſiſtere formidoloſiores ſint cõſequẽs eſt. Lucanus,

Quicquid ad eoos tractus mundiq́ teporem
Labitur,emollit gentes clementia cæli.
Illic & laxas veſtes & fluxa virorum
Velamenta vides.

Sub ſeptẽtrionibus autẽ quę nutriũtur gẽtes ac nationes,immanibus corporibus & ſanguine plurimo ab humoris plenitudine & craſſitudine cęli perfuſi hębetes ac tardas vt habẽt mẽtes,ita & animo quidẽ magno ſunt & elato,proinde ad armorũ vehementiam procliuiores ſunt: ſanguinis enim copia,ſine timore in ferrum ruunt,& vulnera. Quod ſi in dubium cuipiã forte veniat, ardẽtiſſimus duobus in locis teſtis Lucanus accedit,in altero quidem his verbis,

Certe populi quos deſpicit arctos
Fœlices errore ſuo quos ille timorum
Maximus haud vrget læti metus: inde rũendi
In ferrum mens prona viris animæq́ capaces
Mortis & ignauum eſt redituræ parcere vitæ:

in altero,

Omnis in arctois populis quicunque pruinis
Naſcitur indomitus bellis & Martis amator.

Alpina etiam corpora humecto cælo educata,ſimile quidpiam niuibus ſuis habent,

bẽt, ſuoq; ſimilima cęlo vtũtur vt ait poëta .Quũ enim mox pugna incaluerint, ſtatim in ſudorẽ eunt,et leui motu quaſi ſudore laxãtur.Quũ igiť acutiores et ad motũ ꝓniores efficiat calidus aër hominũ mentes, refrigeratus autẽ cõtrà tardiores,q; pigrũ cõtractũq; eſt frigus,vt in ſerpẽtibus eſt videre,quę ſolis incendio explosa humoris refrigeratione,curſu et corporũ dimicatione mouẽtur acerrime: hyberno autẽ tẽpore ab humectatione cęli refrigeratę,immobiles ꝓpemodũ fiũt atq; ſtupentes,ex his itaq; qui mediã quandã locorũ regionumq; qualitatẽ ab origine nacti erũt, eligẽtur,q; vtriuſque naturæ participes ſint,ad cędem mortiſque contemptum,ad intelligentiã vigoremq; animi, dimicationibus impartiendum idonei. Adde quòd ſalubris hęc vtrinq; mixtura,ad omnes actus,ritus,mores,ſenſus fœcunda efficit ingenia,imperii omnis totiusq; naturæ capacia, vt Italorum omnium qui contra barbarorum virtutes,forti manu: conſiliis verò contra meridianorum cogitationes , orbis terrarum imperio potiti inuictas & immortales laudes conſecuti ſunt: quas etiam inter hos vt facile conſequamur,adhibendi erunt præſtanti ingenio viri,militaris diſciplinæ gnari,quos ſumma cura & diligentia niti decet ne quis militũ ętate minor,aut quàm virtus poſcat, aut maior q̃ patiatur humanitas,contra morem veterem deligatur: ætatis autem huiuſmodi initium ad finem Tubero in hiſtoriarum primo ſcripſit,Seruium Tullum prudentiſſimum Ro. Po. regem à XVII. ad annum vſque quadrageſimum ſextum milites ſcripſiſſe,quòd idoneos tunc eſſe populos Ro. arbitraretur.Similiter ſenatum triumuiros binos creare in hoc militum delectu ſolitum accepimus : alteros qui citra , alteros qui vltra quinquageſimum lapidem in plateis , foris & conciliabulis omnem copiam ingenuorum inſpicerent: & ſi qui roboris ſatis ad ferenda arma habere viderentur,etiam ſi nondum militari ætate eſſent,milites facerent: tribuni plebis,ſi his videretur ad populum ferrent,vt qui minores ſeptem & decẽ annis ſacramento addixiſſent, his perinde ſtipendia procederent,ac ſi ſeptem & decem annorum aut maiores milites facti eſſent. Nec aliter Dictator ex auctoritate patrum dictus, Iunius & T. Sempronius magiſter equitum , delectu edicto,iuniores ab annis decem & ſeptem & quoſdam prætextatos ſcripſere,quatuor ex his legiones & mille equites efficientes. Macedonũ regum Philippus primo,ac mox Alexander non prætextatos & impuberes, nec ſpectati roboris iuuenes tantum ſed veteranos etiam qui ſuperiori tempore ſæpe ac diu in caſtris verſati eſſent ad exercitum deligẽdos cenſuit,quóſque non tam milites quàm in militum præfectos & tribunos virtutis veneratione & ſapientiæ magnitudine delectos iure diceres.Proceritatẽ ſunt deinde qui in hoc delectu ſpectari debere maxime putent , fortitudinem nanq; & virium magnitudinem conſiſtere quemadmodum formæ pulchritudinem in magno corpore aiunt.Non ab re igitur delectori ſuo Pyrrho dixiſſe ferunt, Tu grandes elige,ego eos fortes reddã.Nec multũ tamen id refert,ſi cætera probitatis inſignia coëant,procerine ſint an ſtatura breuiore. Præſtat enim virium quàm ſaturę rationẽ habere,vnde equites ro. binũm fuiſſe cubitorum,clari nec deſunt auctores, vt C. Marium quum facultatem haberet deligẽdi exercitus ex duobus q ſub Rutilio quiq; ſub Metello,ac poſtea ſub ſe ipſo meruerant, Rutilianum quempiam minorem, quoniam certioris diſcipli

næ

næ arbitrabatur,militem præoptasse. Idem Marius declaratus cos.militū agens delectum,capite censos militiæ asscripsit,quod genus hominū ab imperatoribus cæteris antea nūquàm receptum fuerat: arma enim veteres illi,non nisi cum ingenuis hominibus,cuiusdamq; census & benemeritis partiri soliti sunt,iudicantes censum ad res bene gerēdas vt pignus esse: id autē ab C.Mario præter legem morémque maiorum,alii per ambitionem consulis, alii bonorū inopia factum memorant: veritus autem postea, hanc militum electionem in sui nominis sugillationem verti posse,& veluti capite censum imperatorem compellari,eiuscemodi militiæ genus obliterandum duxit:& quanquam ad hunc vsque diem capite censum militem etiam nobilem romana res publica deligendun egre tulisset,cælis tamen seruilibus è pastorum casulis, mancipiorum,vt ita dixerim, colluuionem quandam deligere & tanquam validissimū robur legionibus suis adiicere coacta est.Bello etiam punico secundo quum deessent qui scriberentur,seruii pro dominis pugnaturos se polliciti in ciuitatē recepti sunt: & Volones,quia sponte hęc voluerunt,appellati.Eiusdem etiam belli punici tempore,infœlicibus quibusdam præliorum successibus confectis,imminutísque Romanorum legionibus,senatus censuit, vt publice serui emerentur : proinde quatuor & viginti milia seruorum empta fuisse cōstat,hósque iureiurando adactos, fortiter strenuéque quoad Pœni vexarent Italiam laturos arma in castra transmisit.Ad Cānas quoque victis Romanis,similem formam noui delectus inopia liberorum capitum ac necessitas dedit: octo milia nanq; iuuenum validorum ex seruitiis, prius scisscitantes singulos vellèntne militare empta publicè armauerunt, quumq; sex milia Romanorum quæ in castris Hannibalis captiua erant, minoris redimi possent, maluit se res publica seruis in tanta tempestate cōmittere,in qua & prętextatorum plurimos arma tulisse & abdicatorum,& vltimo supplicio plectendorum sex milia etiam cōscripa fuisse memorant.Sed post calamitatē apud Trasimenū nocte cladis acceptam,libertini quoq; in sacramētū vocati sunt: bello sociali cohortum XII.milia ex libertinis conscriptarum opera memorabilis virtutis apparuit aduersus Gallos.L.Furio duce quū Latini qui à Romanis subiugati erant milites præstare nollent,ex Romanis tātum tyrones delecti sunt factæq; legiones decem, qui modus LX. vel eo amplius armatorum milia paruis adhuc rebus Romanis efficiebat. Cæsarem quum milites in amissorum locum substituęret,seruos quoq; ab amicis accepisse & eorum forti opera vsum esse comperimus.Cæsar Augustus in Germaniis & Illyrico cohortes libertinorum complures legit,quas voluntarias appellauit . Ac ne putes hæc tantū contigisse reipub. nostræ,Boristenidæ oppugnante Zopyrione seruis liberatis datáque ciuitate peregrinis & factis tabulis nouis hostem sustinere potuerunt . Cleomenes Lacedæmonius quum mille quingenti soli Lacedæmonii qui arma ferre possent superfuissent,ex seruis manumissis bellatorum nouem milia conscripsit. Athenienses consumptis publicis opibus,seruis libertatem dederunt. Cato Censorius eo item milite quisquis ille esset sibi opus non esse aiebat,qui vt inter eundum manus,ita inter pugnandum pedes agitaret,quiq; in stertendo hostibus quàm in clamando longius sentiretur.Rursus hic se iuuenibus dicebat magis oblectari qui rubescerent

rent quàm qui pallore perfunderentur. Idem in pinguem quendam acerbe maledictis inuectus, quibus enim in rebus huiuſmodi corpus ciuitati fructuoſum fore putas interrogauit, cuius inter guttur & inguem cuncta ſub ventris ditione poſita eſſent. Neque aliter magnis atq; præpinguibus dux ille Thebanus Epaminundas infeſtum ſe præbebat, quippe qui & talem quempiam amouit exercitu, inquiens, vix tribus quatuórve clypeis tegi eius ventrẽ, cuius magnitudine ſuam ipſius mentulam ne videre quidem poſſet. Nimis ſimiliter pingui homini & corpulento militi cenſores quondã equos adimere ſolitos legimus, minus idoneum ſcilicet ratos eſſe eum tanti corporis pondere ad equitis munus obeundum. Cæſar militem neq; à morum vrbanitate neq; à formæ dignitate, neque ab externorum bonorum copia, ſed à viribus corporis tantum deligẽdum probat, maiores ſuos credo ſecutus : vera enim illa Romuli proles agris villiſq; exercitata vt firmiſſimis perualida corporibus, ſic ad militiam quum opus eſſet ſemper fortiſſimos viros & milites ſtrenuiſſimos ex ruſtica plebe deligens præpoſuit vrbanæ, vtq; omnem villam ortũ veteres appellant quòd ibi qui arma capere poſſent orirentur, ſic finitis quoq; bellorum operibus, augendæ reipub. cauſa vrbes inſtituerunt, quas victoribus militibus pro eorum meritis aſſignarent, & ab incolendo Colonos appellauere. Hinc etiã ciuitates à maioribus ciuitatibus veluti populorum examinibus conditæ, Coloniæ nuncupantur . Sic Iulius Cæſar militem à colendo rure deductum intra ſtipendiaria merita detinuit, veteranosq; in coloni as dimiſit. Diuus æque Augu. exercitus qui ſub Antonio aut Lepido militauerant, pariter & ſuorum legionũ milites, colonos fecit, alios in Italia, alios in prouinciis quibuſdam, deletis hoſtium ciuitatibus nouas vrbes conſtituit, quoſdam à veteribus oppidis deduxit & colonos nominauit . Illas quoq; vrbes quæ deletæ à regibus aut dictatoribus fuerant, quaſiq; ciuilium bellorum interuentus exhauſerat, dato iterum coloniæ nomine numero ciuium ampliauit. Romana quoque reſpub . quum neceſſaria admodum eſſet militia in vrbe ad vim vi hoſtiũ propellendam vixq; fieri poſſet quo idem ſemper militiæ munus obirent, rem vt omnibus conducibilẽ in vrbe retinuit : munus autẽ huiuſmodi pro cuiuſq; hominis cõditione, intercapedine, ac viciſſitudine quadã curauit. Quapropter & agricola quum viciſſitudo & reipub neceſſitas aderat, relictis agris ad arma proficiſcebatur, omiſſõque agricolationis artificio quaſi alius factus militabat, rurſusq; ad artificiũ redibat, non vt miles vel belli dux, ſed vt artifex: Nec erat illis pudor, depoſitis armis anguſtia rei familiaris coactis, agreſtem vitam repetere: ea nanq; ætate ciuitatis proceres in agris verſabantur , & quum conſilium publicum fieri ſolitum erat, à villis accerſebantur in ſenatum, quod vſque adeò verũ eſſe conſtat vt Attilium Serranum imperium populi Ro. ſuſcepturum, dati honores ſerentem inuenerint , vnde & cognomentum poſtea . Aranti etiam illa quatuor ſua iugera in Vaticano quæ prius prata Quintia dicebãtur P. Quintio Cincinnato viator attulit dictaturam, ex qua obſeſſi conſulis & exercitus liberator, depoſitis faſcibus rurſus ad eoſdem boues rediit bubſequúſq; denuo factus eſt. C. item Fabritius & Curius Dentatus, alter Pyrrho finibus Italiæ pulſo, domitis alter Sabinis, nõ minori induſtria agros coluit quàm ſtrenue ac fortiter armis hoſtes quę

ſiuit.

fuit. Nec aliud de M. Furio Camillo multísque aliis Romani generis memorabilibus ducibus ad hoc semper duplex studium vel defendẽdi vel colendi patrios quæsitósve fines incumbẽtibus coniectari licet, teste Lucano quum inquit,

Paupertas fugitur totóq; arcessitur orbe,
Quo gens quæque petit nunc longos iungere fines
Agrorum, & quondam duris sulcata Camilli
Vomere, et antiquos Curionum passa ligones
Longa sed ignotis extendere rura colonis?

Quum distinctio honósque ciuitatis ipsius non aliũde esset, nec prima maiorum cognomina: non aliunde enim Fabios quàm ab agrorum fossione Fodios quidam non incelebres primum dictos putãt, mutatísque geminis literis Fabios deinde cognominatos, vel à fabarum exactissimo cultu. Fabiorum enim, Lentulorum, Ciceronúmq; cognominationem admittebant, vt quisque aliquid optime genus sereret. Sic Iuniorum familiam bubulcum nominarunt, qui bobus vtebatur, nec solum semina ac boues, sed scrofam etiam & asinam viris non mediocribus Tremelio & principi Corneliæ gentis cęterísque Corneliis & Scipionibus cognomenta præbuisse non est obscurum. Syluius deniq; à quo omnes Albanorum reges Syluii sunt vocati, non aliunde quàm quòd syluis & rure fuerat educatus, hoc sibi apud latinam gentem nomen asciuit: & quoniam rusticæ tribus laudatissimæ eorum qui rura haberent, vrbanæ verò in quas transferri ignominia esset desidiæ probro, ea porrò ratione vt ex agricolis milites deligerentur factum esse reor: quoniam minime male cogitantes duratis ad omnem malorum tolerantiam membris, & ęstum, & puluerem, & frigora, & niues pati, vada flumi num traiicere, celeribúsque plantis montes superare aptissimi sunt. Adde q; delitiarum omnium ac voluptatum contẽptores iure videtur non multifacere oportere in bello, cũ tot laboribus tantísque malis affecti liberentur. Nescio enim quo pacto fit vt is mortem minus reformidet, qui laute minus vixerit. Neq; tamẽ inficiandum reor, fortissimos ac optimos Grecorum Romanorúmq; milites cum laude & dignitate ex vrbibus ad militiam fuisse delectos, verũ quia hi tunc non otio, nõ lãguore, non desidia, non luxu, nõ vmbris, nõ delitiis, ceterisq; voluptatibus infringebantur pericula subire soliti, ex infamiæ pudore & gloriæ cupiditate, quales Homerus aliquot ex ciuibus etiam facit, vt Hectorẽ, & Diomedem Ro. reipub. regníq; illius amplissimi salus ac fundamentum erãt. Nostræ autem ętatis milites vrbani & vernæ, splendido apparatu, vncti & nitidi ac vrbium illecebris deliniti, cum loci disciplina seuerior firmet ingenium, aptumq; magnis conatibus reddat, si manus conferere debeant, quum in leui armatura parum habeant fidutiæ, in graui minimum alacritatis, crebrò non tam ducibus suis conferre ad victoriam quàm hostes iritare ad prædã solent: vnde & Hãnibal quum apud regẽ Antiochũ profugii causa diuertisset, facetissime cauillatus est, eáque cauillatio huiusmodi fuit, Ostendebat ei Antiochus exercitum ingentem quem bellum Po. Ro. facturus comparauerat, purpura, insignibus auri & argenti, fortunæ apparatibus florentem: inducebat etiã falcatos currus, & elephãtos cum turribus, equitatúmque cum frenis, monilibus, falerísque præfulgentem, atque

vbi

vbi rex contẽplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem aſpicit,Putásne,inquit,conferri poſſe, ac ſatis eſſe credis Romanis hæc omnia? tum Pœnus illudens ignauiam imbelliámque militũ eius precioſè armatorum, Plane ſatis eſſe credo,ait,Romanis hæc omnia,etiã ſi auariſſimi ſunt: nihil prorſus,nec tam lepide,nec tam acerbe dici poterat. Rex enim de numero exercitus ſui, ac de exiſtimanda æquiparatione quæſiuerat,reſpondit Hannibal de prẹda, tanquam ad eam huiuſmodi homines expoſiti ſoleant eſſe. Doctus enim erat Pœnus horridum militem ferro & armis fretum eſſe debere, non cælatum purpura, auro,atq; argento, illúmque inſignium armorum apparatum prædam verius quàm arma eſſe, vtq; nitentia ante rem,ſic deformia inter ſanguinem & vulnera virtutémque eſſe militis decus,& omnia illa victoriam ſequi,& ditẽ hoſtem quàmuis pauperis victoris præmium eſſe: eos ſi denique milites Naſo à militari re ſua,nedum arcet,ſed eſſe procul tanquam peſtem & labem quãdam iubet,quis eos credet ad robuſtã militiam admittendos,niſi forte cum Dario vel Thraſone potius ad imitationem expugnandæ Thaidis,lenonum,mulierũ ac ſpadonum agmine cæterorumq; qui miniſtri ſunt voluptatum,& ſordidi quẹſtus,ac viliſſimarum artium,Veneri militiam ſuam deuouerit, Marte contempto non ſolum contra Hannibalis,ſed Catonis quoq; ac veteris militiæ inſtitutum? quod Lucanus breui quodam præconio his verbis expreſſit,

Hirtam membra cuius Romani more quiritis
Incluſiſſe togam:

Hoc profecto tantus auctor haudquaquam extuliſſet, niſi durioris etiam togæ vſus de quiritum conſuetudine proceſſiſſet. Tales denique ex omni genere hominum deligi debent, qui non vti Sãnites vibrent haſtas ante pugnã quibus in pugnando nihil vtantur,ſed qui ipſis qbus prẹluſerint pugnare poſſint & valeant.

De *delectu Equorum*. Cap. IX.

NVnc quoniam de militum delectu abũde ſatis dictum eſt, equorum ad pugnam deligendorum rationem & ſigna ineamus, per quæ militiæ incumbentes excellentis equi notas intelligant, ne fallãtur empturi & operam ſimul & impenſam perdant in ignauo. Hic probatur natura,moribus,colore,forma,& educationis loco. Natura probatur ſi hilaris,ſi laſciuus,& alacer,ſi intrepidus, ſi nouæ rei haudquaquam terretur aſpectu. Ex moribus, qui ex placido & concitato mitiſſimus ſit, quiq; ex ſumma quiete facile commoueatur,vel excitatus feſtinatione non difficili teneatur, hoc eſt honoris appetens cum temperantia ac pudore, promptus, cohortatione ſolum & ratione regatur. Alter econtra improbandus qui intortus & multiplex,inglorius,& contumax vix flagello ſtimuliſq; obtemperãs,nec habenis nec verberibus coẽrceri poteſt, ſed inter equitandnm calcitrat, ac domitis frenis ne regi poſſit, violentia equitem aurigámque ſuum mordet & in præceps quo per ſe timuiſſet deſcendere,proturbat & rapit: quo fit vtſi quando hoſtibus obuiam ſit eũdum, neceſſe ſit equites aut poſtremos in agmine conſequi,aut eorum malignitate inutiles reddi. Colores inter multiplices eorum mixtas facies hi duo tantum reuera potiſſimum ſpectandi,Candidus quadam nitẽti luce perfuſus, ex omni quoq;

parte

parte niger intermixtus: albus deinde nigris punctis interuenientibus,& ſpadix glaucúſque,hoc eſt,exuperantia & ſplendore ruboris, quales ſunt fructus palmæ arboris non admodū ſole incocti: vnde ſpadici phœnicei nomen eſt. Forma deligetur , vt ſit arguto & breui capite & ſicco , pelle propemodum oſſibus adhærente,ceruice ardua & erecta,auribus breuibus & acutis,oculis magnis & prominentibus nigríſque,ſiue fellineis,id eſt,quaſi quodam ſplendore perfuſis,naribus patulis,duobus vtrinque foraminibus quibus auras captare vberius faciliúſque reciprocare animam poſſint,coma denſa & in dextrum latus protendēte,pectore lato , ventre ſubſtricto,paribus & exiguis teſtibus: rotundis clunibus,promiſſa cauda,mollibus altis erectíſque cruribus,pedibuſq; ſiccis,altis,concauis,atque rotundis,vniuerſo corpore compoſito , articulatim diſtincto , grandi, ſublimi, erecto,& in aſpero loco(vt Xenophonti placet)educato,vt autem Satyra inquit,

Nempe volucrem
Sic laudamus equum,facili cui plurima palma
Feruet, & exultat rauco victoria circo.
Nobilis hic quocunque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios & primus in equore puluis.

Rationes gentium in deligendis ducibus Cap. X.

DElectis militibus & equis ad pugnam idoneis , quis potiſſimum illis præficiendus ſit dux quærimus , voluntates & gentium ſtudia in his declarantes. Iudæis alienigenam lex præfici vetat, ne auctoritas imperio religionis ſuæ cultū inuertat , in aliis duces & imperatores externi,patria & natione nobiliſſimi reperti ſunt,vnde & ex oraculo Aegyptiis dictum eſt vt auxiliatore Hebręo contra Aethiopas vterentur. Carthaginenſes infracti bellis & cladibus multis exinaniti , Xantippum Lacedæmoniorū regem cum auxiliis ducem bello præfecerunt,qui fortiter ac ſtrenue pugnantes Romanos euerterunt. Tarentini Gilippo duce & ipſo Lacedæmonio Athenienſes vicere. Galli Brēno duce Britanno Italiam cepere,Roma inſuper incenſa. Romanos tamen quos labore & induſtria armis quoq; ac bellicis inſtitutis cæteris nationibus,Græcorum pace dixerim,præfloruiſſe conſtat,multi opinione ducendi regendíq; exercitus in cælum extulerunt: vnde vir præcipuus Cyneas Pyrrhi legatus, quum Romam iugrederetur, regum patriā ſe vidiſſe teſtatus eſt: quam ſententiam video poëtico illi nimium conuenire,

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo equidem viuos ducent de marmore vultus,
Orabunt cauſas melius cælíq; meatus
Deſcribent radio & ſurgentia ſidera dicent,
Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes,pacíſq; imponere mores :
Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Cæterū in hac ipſa ſentētia præ ſe ne ipſi Romani fauiſſe vlli reperti ſunt,quando externos quorum virtute romanam creuiſſe conſtat , in ſupremos dignitatum gradus admiſere. Sunt qui aſtruūt ſolas diuitias eſſe quæ ducum & imperatorum

torum gloriam concomitentur & illustrent,quibus deficientibus volunt ac prædicant nihil arduum,nihil magnificũ & excellens geri posse,sic Persas, sic Græcos,sic Romanos non sine diuitiarum copia orbis terrarum potitos esse. Alii putant ad laureas & triumphos habendos, fœlices duntaxat, fortunatósque duces semper præfici debere. Aiunt enim,quæ diuitiæ vel copiæ gentium Romanos fere subactos aduersus Hannibalem erexissent,nisi Cornelium Scipionem, fortunatissimum imperatorem, qui illum apud Carthaginẽ relicta Italia solus fudit, habuissent? Quid profuissent,inquiunt alii, Carthaginẽsibus thesauri exuberantissimi aut exercitus amplissimi ad oppugnandam diruẽdámque tot annos Italiam, nisi ipsum Hannibalem callidissimum audentissimumq; belli ducem gentibus suis præfecissent? Sic Epaminundam Thebani, Leonidam Lacedæmonii, Themistoclem Athenienses,fortissimos duces sortiti sunt. Alii & qui tecum rectius sentiunt,Sigismunde,non diuitiis affluentibus, non fortunatis, non callidis & audentibus ducibus tantum, cæterum ingenio atq; animi virtute præditis decernenda imperia,summos credẽdos magistratus esse putant. Parum enim, ait Cicero,sunt fortia arma, nisi consilium sit domi: neque fortuna, aut viribus, aut velocitatibus,aut celeritate corporũ,aut excursione, aut saltu,aut eminus hastis, aut cominus gladiis tantũ res magnę gerũtur,sed cõsilio magis,sed ratione, sentẽtia,auctoritate atq; scientia. Quę omnia siue deorũ seu naturę munere quum in te esse omnes intelligant,prædicent,admirẽtur,quid mirũ, si te ducẽ ad omnes bellorum euentus & magnifica quæque conficienda,vniuersa hinc inde delegit Italia? Quod de te autem reformident singuli,refellerẽque palam audeant,vnum hoc est, Aiũt enim qd' tamen Epaminũdę,quod Sertorii,quod Cęsaris,quod Augusti, aliorúmq; plurium & maximorum ducum proprium fuisse legimus, strenui militis officio fungi, fortitudinis opera manu propria edere, ac sine vlla te exceptione periculis nimis ingerere: quod quàm glorioſum sit quámque pernicioſum ad maxima & plurima bellorum munera obeunda, quum cõsilio polleas,viribus præstes,& cunctis tam ducibus quàm militibus in vtriuslibet officiis antecellas,tuo prudẽtissimo iudicio existimandum relinquo. Rarissimum quidem decus,& quod inquit Crispus de Iugurtha,de te imperatorũ nostri æui gloria,omnium consensu dici potest. At sane,inquit ille,quod difficillimum imprimis est,& in prælio strenuus erat & bonus consilio: & quoniam alterum ex prouidentia timorem,alterum ex audacia temeritatem afferre plerunque solet, glorioſum nomen tuum non tam fortuna & opinio, quàm virtus, & consilium circunferat periculíſque obiiciat. Caue itaque oro, ac ducis & militis officia distinguas obsecro. Tu enim longe melius nosti quæ sint ducis partes, & quæ militum fortitudo atq; professio debet, quæ seorsum à duce exigenda,præstandaq; non sunt nisi forte cum summa necessitas incumbit. Legimus fortissimum ducum Marium prouocãti ipsum ad singulare certamen respondisse,se si mori voluisset multoties suspendio potuisse, & sapientem non quærere pugnam, sed potius cogitare victoriam. Ecce virum gloriæ cupidissimum & romanum discernentem quid inter ducis & militis officium interesset,& reputantem sæpius ducem sine exercitu saluum euasisse quàm exercitum sine duce. Vides,inclyte dux,

Marium

Marium declinauiſſe ſingularem cõgreſſum quem nullum ferme militum legimus recuſaſſe,vt eius exemplo diſcas quę ſunt militis ſpernere,& quæ imperatoriæ maieſtati conducant adimplere: ꝙ ſi te parum mouet ob ſanguinis ignobilitatem Marius,audi de gente Cornelia Scipionem, non quẽlibet, ſed illum qui virtutibus ſuis Aphricani cognomẽ adeptus. Hic enim quum à quodam ꝙ parum pugnax foret argueretur ignauiæ,crimẽ lepida reſponſione ſubmouit: inquit etenim,Recolo matrem me imperatorem peperiſſe non militem.Metellum quoque quum multi clamarent vt ipſe ſingulari certamine cum Sertorio prouocante dimicaret,dux cum duce,& romanus cum romano,detrectantem verò pugnam vt ignauum aſpernabatur: ſed ipſe Metellus hæc dicentes meritò cõtemnebat.Ducem etenim vt inquit Theophraſtus,non militis,ſed ducis obire mortem decet.Nec te moueat,dux præcellentiſſime Sigiſmunde,ꝙ Alexandrũ Magnum legamus & imperatoris & militis impleuiſſe munus,ſed memẽto quòd à principe rei militaris peritiſſimo atꝙ probatiſſimo laudatus ſit ſolum, ꝙ paruâ manu aduerſus maximos exercitus ſteterit viceritꝙ,& in extremas mundi partes peruenerit pugnãs vltra ſpem,exiſtimationêmꝙ mentium humanarũ. Nam quòd manu promptus & pugnaciſſimus fuerit,quum & gregarii militis laus ſit, gloriæ illi principi non aſſcripſit:tantus iudex ac teſtis, quantus Hannibal cum Scipione conferens fuit.Neꝙ Catilinam peſſimæ factionis tibi imitandum proponas velim,de quo Saluſtius ſcriptum reliquit,Interea Catilina cum expeditis in prima acie verſari,laborantibus ſuccurrere,integros pro ſauciis accerſere,omnia prouidere: & prẽter hæc imperatoris officia quod militis eſt ſubdit,multum ipſe pugnare,ſæpe hoſtem ferire, ſtrennui militis & boni imperatoris officia ſimul exequebatur. Alia quidem ratio eſt eius quod fieri debet,alia eius quod ille faciebat: pugnabat enim deſperatione plenus, poſtquam,vt ille ait ,videt montibus atque copiis hoſtium ſeſe clauſum, in vrbe res aduerſas , neque fugæ neque præſidii eſſe ſibi vllam ſpem, optimum factu ratus in tali re fortunam belli tentare ſtatuit . Promittebat enim cuncta ſibi ,ſi vinceret : & deſperabat omnia,ſi vis hoſtium præualeret. Nam nec ego velim te penitus non pugnare , ſed tunc te manum conſerere probo,quum de ſumma rerũ agetur, quum cuncta ſicut optimũ ducẽ decet prouideris,quũ neceſſitas tulerit,quũ cuipiam ingenti periculo vt ſępe ſoles,videris occurrendũ. Audi Craterũ Alexandrũ ſuum admonentem, Quãtalibet,inquit ille, vis omnium gentiũ cõſpiret in nos,impleat armis virisꝙ totum orbẽ,claſſibus mare cõſternat,inuſitatas beluas inducat, tũ nos præſtabis inuictos: & ſubdit,ſed quis deorũ hoc Macedoniæ columen accitus diuturnum fore polliceri poteſt,quũ tam auidè corpus periculis offeras, oblitus tunc tot ciuium animas trahere te incaſſum? ac poſt plura,quòcũque iuſſeris ibimus,obſcura pericula,& ignobiles pugnas nobis depoſcimus,temetipſum ad ea ſerua quę magnitudinẽ tuam capiunt,citò gloria abſoleſcit in ſordidis hoſtibus. Vidésne qua regula ducis pugna limitetur, et vbi cõueniat imperatorem manus iniicere? Et qd,putásne ſi quotidie te periculis obiicies,nõ aliquãdo fortunã inuenire tuã? Tragicum eſt,iniqua rarò maximis virtutibus fortuna parcit. Nemo ſe tutò diu periculis offerre tam crebris poteſt, quem ſæpe tranſit caſus aliquando inuenit.

Noli itaq; in paruis ac minimis experiri fortunam,ſatis enim periculo tuo,immo noſtro quantum ad gloriam attinet,Sigiſmunde,te pluribus oſtendiſti,ſatis Picentibus,ſatis Etruſcis,ſatis Inſubribus,ſatis Latinis ac Barbaris ducibus, ſatis amicis,ſatis deniq; hoſtibus te mortis omniſq; periculi contemptorem , manu ac corpore ſtrenuum & ad horrenda omnia quiſquis caſus immineat expeditum.Fauit deus,nunc exhibendum prudentię temperamentum,& cautionis modus,vt quæ geſſiſti conſilio & animi magnitudine , non impetu,non temere geſſiſſe videare.Deniq; corporis habitudo & integritas, formæq; dignitas, non munditiis culta,ſed virilis & pene militaris,vt Liuius inquit,non nihil etiam ducibus ſolet conferre,quæ ſi deſit,non vſquequaque tamen expetenda eſt, vel quo minus militent aliisve præficiãtur omnino repudianda,modo animo præſtent & harum rerum quas modo diximus cognitione ornentur.Iure etiam diui Traiani ſententia militabãt qui aliqua corporis parte debilitati vel minuti ſunt,idq; in multis ſane vrbis Romæ exterarumq; gentium ducibus eſt intelligere . Nanque præter Marium,præclarum ducem,varicibus laborantẽ, legimus & Camillum quum Prænestinos & Tyrrhenos prælio vicit, ſenem pariter & ægrotum, & Iulium cæſarem dictatorem ſemel atque iterum inter res gerendas comitiali morbo correptum.Q.quoq; Ciceronem,magni Ciceronis fratrẽ,tenuiſſimę valitudinis,multa,& grauia bella ſub hoc duce in Gallia prudenter ac perſtrenue adminiſtrantem. Apud Lacedæmonios nec minus Lyſandrum, ſæpenumero vi morbi ac magnitudine,mentis viribus & corporis deſtitutũ. Ageſilaum quoque eorum quõdam regem claudum,proinde ſummę an eum rei præficerẽt,diu multumq; deliberaſſe, deniq; ſtatuerũt ſatius eſſe ingreſſu regem quàm imperio regnum claudicare. Vtq; Scyllam & Cottam,nõ obſcuros ſane duces,eo habitu fuiſſe naturæ perhibent ,quòd vno tantum teſticulo nati memorentur,ſic Sertorium;Oratium Coclitem,Philippum, Antigonum, & Pœnorum ducem Hannibalem,qui omnes maxime bellaciſſimi fuere, altero non teſticulo caruiſſe, ſed oculo alię fideles tradũt hiſtoriæ. Quod autẽ ad formę dignitatem ſpectat, Scipio Aphricanus & Iul .Cæ.etſi procero corpore fuerint,breui tamẽ Antigonus, Alexander Macedo ,& Auguſtus,nec tamen eorum magnitudini breuitas, nec breuitati magnitudo obfuit , nec detraxit famæ . Et ad tumulum Archemori dũ ludos ſolẽnes Gręcia celebraret, Tydeũ Capaneo pręſtitiſſe poëtico pręconio percelebre eſt,à quo humili admodũ ſtatura & exigua Thebanos omnes certaminibus lõge ſuperatos fuiſſe traditur.Gerẽdæ igitur huius rei dignitas & ſumma meritò illis tradetur, quibus explorata ſint omnia ,quiq; cõſilii, auctoritatis, ſciẽtiæ,multarũq; rerum geſtarũ titulis illuſtrati præſentes non modo prouocent ad victoriam,ſed eorum commemoratione poſteros imitatione ſuccendant.

Agminis ſiue incedentis exercitus ordo ſecundum græcam romanamq; diſciplinam Cap. XI.

Vpereſt nunc agminis, hoc eſt,incedẽtis exercitus ordo, circa quem ſumma imperatorum ac ducum verſanda conſideratio eſt, quum ſit pariũ impariũq; rerũ ſua tribuẽs cuiq; loca diſpoſitio: qua ſpreta,neque miles,neq; imperator quicq; valet explicare,quũ pedes equitẽ,peditemq; eques,ſi ſint promiſcui,ſæpenumero ſe præpediant, ac veluti ex theatro confuſe

confuſe abeuntes, ſe inuicē afflictent atq; opprimant. Econtrario verò, vbi ſit rite diſpoſitū agmen, ſuóq; quidq; ordine locatū, ſine trepidatione Imperator victoriam ab omnibus optatā promittet. De hoc itaq; ipſo breuiter à nobis ſecūdum grę cam rationem primò diſſerēdum eſt, ab Romana traditione deinde ſumentibus. Quum igitur ciuitas in Tribus diſtributa ſit, ex his Decuriones primùm, de cuius tribuni ſententia ex ipſo iuuētutis flore deligēdi ſunt: ex his qui ætate & prudentia, qui pulchrū aliquid & gerendi & audiēdi ſtudio flagrēt, hos anteire oportet. Poſt hæc totidem deligēdi ſunt ex his qui ætate & prudētia maxime antecedant, qui poſtremi in ipſis cēturiis collocabūtur. Decurionum verò ordo ob has præcipue cauſas probatur, q; qui priori loco collocati ſunt, omnes principes fiūt: quúmq; in dignitate ſunt magis q̄ quū priuati, impoſitū ſibi eſſe exiſtimant præclari alicuius facinoris gloriam quærere. Deinde quū quidpiam agendū inſtet, efficacius eſt magiſtratuū imperiū q̄ priuatorū, primorum etiam manus promptiori alacrioríq; ſe animo offert, ſiquidē à fronte periculū ingruat, quū eam minime lateat, eū locū ſuæ virtuti creditum eſſe. Et poſtrema, ſi qua à tergo maior vis premat, quū eam haudquaquā etiā fugiat, deſerere ordinē turpiſſimum eſſe: qui etiā poſtremum agmen ducit, hunc omni laude cumulatū virum eſſe cōuenit. Si enim pręſtāti virtute erit, quū tempus inſtabit, iubens in hoſtem inuadere prioribus vires adiiciet: ſin rurſus pedē referre opus erit, prudēter abducens ſuos profecto magis ſeruabit incolumes: & hic ſecundū Græcorum rationē agminis ordo. Secūdum Romanā autem eiuſmodi erat, Nanq; auxiliares leues, & ſagittarii pręibāt primò ad feſtinas hoſtiū incurſiones coercēdas, vtq; ſuſpecta inſidiis loca ſcrutarētur: poſt hos viarū ſcrutatores, qui aggerum maligna corrigerēt, ſyluásq; præciderent, ne pplexo itinere fatigaretur exercitus, deinde ſua ſuperiorūq; ſibi rectorū impedimenta ferētes, & defenſionis ergo plurimi cū his equitum, poſt quos princeps ipſe equitatus peditatusq; hos poſtea ſequebātur, qui remouēdis vrbibus machinarū ac reliquorum tormētorum genera deferebāt. Chiliarchi deinde atq; præfecti, & poſt hos circa Aquilā cætera ſigna militaria, póſtq; ſerui ſingulorū ordinū cū peditatu erant, agminis poſtrema multitudo mercenaria quā armorū factores ſequebātur, & armati equites peditésq; non pauci. Cæterum pro tēpore & cauſis occurrētibus, Iul. Cęſar octo legiones hac ratione et ordine inter eundū diſponebat, quū hoſtē cominus ſentiret, ſex legiones expeditas pręponebat, poſt has totius exercitus impedimēta, inde duas legiones quę minus firmæ ad dimicādū putabātur, vt agmē clauderēt præſidióq; impedimētis eſſent: minoribus autē expeditionibus tres legiones expeditas pręmittebat, deinde impedimēta, nouiſſime legionē vnā quę agmē clauderet. Ita quadrato ferè agmine incedere, vbi hoſtis ab omni parte ſuſpectus eſſet. Et hæc de agminis diſpoſitione ſecundum vtranque diſciplinam dicta ſunt.

Acierum inſtruendarum uaria ratio. Cap. XII.

CAeterum ſi conflicturæ coēant vtrinque hoſtium copiæ, primum optimi & ſapientiſſimi ducis munus eſſe videtur, conſtituere atq; diſponere qui prudenter, fideliter, ſtrenue ac viriliter hoſtē inuadāt. Quòd ſi omnem ciuium equitatum celeriter ad mille equitum numerū com

pleri neceſſe ſit,ad ducentos,præterea peregrini conſtituendi ſunt equites,& inter ciues collocãdi: hi enim adiuncti videtur mihi,& firmiorẽ vniuerſum equitatum præſtare:& magis emulatione quadam ad laudis & gloriæ cupiditatem incendere,vt certatim ſe inuicem virtute ſuperare nitantur. Nec vero me præterit Lacedæmonios, rei militaris peritiſſimos bellicoſiſſimoſq;,tum primũ equeſtri gloria maxime clarere cœpiſſe,quũ peregrinos equites aſciuerint. Et in aliis quoq; bellorum euentibus diuerſiſq; nationibus conſtat, peregrinas copias magnum ſibi & præclarum nomen peperiſſe,vſus enim ad promptitudinem plurimum confert. Videtur præterea peditatus equitibus adiunctus ad rem gerẽdam efficaciſſimus eſſe,maxime ſi his hominibus conſtituatur qui hoſtibus infenſiſſimi ſint. Sunt qui putent pro ratione acierũ illud Neſtoris apud Homerum eſſe,qui iubebat per tribus atq; partes eorum, cohortes acieſq; Græcorum coordinari, vt & tribus tribubus & pars parti auxiliaretur. Satius & ſalubrius alii cenſent,amatorem iuxta amatum collocari debere: nam ordo ſecundum tribus non multũ rationis in periculis habet,verum ſi cuneus ex amicis inter ſe amantibus exiſtit,indiſſolubilis & inſeparabilis ad perferendos inferendóſq; ictus efficitur,quum hi amatorum mirabili amore,ferrea et adamantina,vt ita dixerim, cathena teneantur,& ſacram,vt aiunt,cohortem efficiant;quẽadmodum Seſoo-ſis in Arabiam,vt antè diximus,cum eorũ qui eadem die geniti qua ipſe ſimúlque nutriti erant exercitu à patre miſſus. Atq; in hoc quoq; ad primos ictus ſuſtinendos ſunt qui ſuos cohortentur,& eo ipſo ſuperiores ſe putẽt quòd non inferiores in occurſu primo reperiũtur. Hac arte ſiue ratione vſus Pompeius Pharſalicis in campis: acies enim ab equo animaduertens,vt hoſtes nouit cum ſilentio congerdiendi tempus ex ordine expectare, ſuúmq; exercitũ ſine ſtrepitu non eſſe: immo turbulentum & imperitia tumultuantẽ,extimuit, ne in ipſo pugnæ initio penitus diſſolueretur:vnde quum vtrinq; concurrendi ſigna danda eſſent, acierum primos monuit vt in locis ſuis ſtarent, & denſa confertáq; manentes ſerie hoſtilem incurſum donec intra pili iactum eſſent ſolidiſſime exciperent. Qua quidẽ in re ſi Lucano creditur, ſteterit licet ordine certo infœlix acies, Cæſar tamen erraſſe Pompeium aſſerit. Plagarum enim ictus impetu curſuq; illatos ſubſiſtendo reſtingui inquit,feriẽdo enim & initio confligẽdo,magnas vires impetu & curſibus adiici,& animos perinde ac flatibus excitatos omni ex parte ſuccendi. Cæſar itaq; quum ſiniſtrũ Pompeii cornu conſpexiſſet, tot munitũ equitibus,timens armaturæ ſplendorem,quinq; ſiue ſex,vt alii ferunt,obliquas poſt ſigna cohortes, quibus cum orbem terrarum congreſſus eſt è legionibus eductas legioni decimæ à tergo locauit,iuſſitq; eas quietem agere, hoſtibúſq; ignotas eſſe. Sed quum irrueret,equites admonuit,quòd neq; vt ſolitum eſſet iacerent pila, feſtinaréntque quemadmodum robuſtiſſimi ad perſtringendos enſes, ſed ferire eos altius iuſſit,oculóſque,frontéſque hoſtium ad vulnera impetere. Non enim permanſuros eos fulgentes floridóſque inſultatores,inquit,neque contra ferrum inſpecturos in oculos illatum,illos iuuenes parum bellis ac vulneribus aſſuetos. Hoc itaq; impetu,hac acierum ſerie, ratione & ordine inſtruitur vtrinq; acies. Pompeius octoginta & octo cohortes triplici ordine locauit, fuerunt autẽ peditum,

tum,xl.milia,equites in ſiniſtro cornu, DC. in dextro D.præterea reges multi, ſenatores,equiteſq; ro.plurimi abſque leuis armaturæ magna copia.Cæſar ſimi liter octoginta cohortes triplici ordine diſpoſuit,cui fuerunt minus xl.M.pedi tum,equites mille. His explicitis obſecrãtibúſq; militibus Cæſar pugnæ ſignum dedit.Erat forte in exercitu eius,C. Craſtinus,qui priori tempore honeſto gradu ſub Cæſare militaſſet,tunc verò non militiæ ſacramento quo ſolitus erat, ſed iure quodã amicitiæ euocatus aderat,vir bellica fortitudine memorabilis.Cæſaris nanq; concione intellecta,& vt ab his vtriſq; ſigna dari vidit, alacri vultu è Cæſaris phalãge procurrens,Sequimini me inquit manipulares olim mei,& imperatori noſtro quã debetis operã exhibete,vltimũ hoc prælium eſt,quo peracto ille ſuam dignitatẽ,nos noſtram recuperabimus libertatẽ. Dehinc verſus in Cęſarem, Faciam, inquit, hodie imperator,vnde vel viuo mihi vel mortuo gratias agas: hęc dicẽs in hoſtes irrupit,eumq; delecti milites circiter cẽtumuiginti ſua ſponte proſecuti ſunt.Erat nempe vt aliqui tradidere,nec diſſimile veri eſt,quidam vtrinq; in ipſo pugnæ principio pius torpor,qui ſtrictos iam gladios contineret,quum germani ſuos fratres ab aduerſa acie, patres filios,& parentes filii viderent,donec Craſtinus hic præcipitanti rabie vocem tolleret,pilúmq; torqueret itáq; prælium cœptum eſt,quòd niſi huius furor hominis acies miſcuiſſet,poterat fortaſſe ducibus ipſis patientibus,circa Romani imperii humaniq; generis excidiũ mutua pietate cõponi . Sed proh dolor,inuentus eſt qui Cęſare ipſo differente properaret,imperiumq; ſupremũ irreparabili clade protereret. Steterunt enim acies antè magno ordine vtrinq;,& bello cœpto,quum aliquãdiu ęquis viribus hinc inde dimicaretur,& Pompeius multitudine fiſus ad circũueniendum Cæſarem equitatũ effunderet,ab vtroq; cornu Cæſar ſuis equitibus quos intentos in hanc rem fecerat ſubitò ſignũ dedit:qui dicto citius in effuſos facto impetu,vere illos effuderunt ac dare terga coëgerunt,& ſecuta eſt equitatum ardẽtiſſima legionum,adeò cõglobata vt quaſi vna manus omnium videretur. Acceſſit & magni inſtar exercitus Cæſar ipſe vbique præſens,vtrunq; ſimul exhibens,& fortiſſimi militis & ſummi ducis officium,& feriens,& exhortans. Duæ ex omnibus illius per omnia diſcurrẽtis voces annotatæ literiſque mandatæ: ferox altera,ſed ad vincendum vtilis, Miles faciem feri : altera autem pia, & hanc licet ad iactationem Cæſaris compoſitam in hunc modum Florus dicat, Miles parce iam ciuibus, Pompeio tamen inter hortandũ tribuit Eutropius.Illa enim vt Floro aſſentiar,Cæſaris vincere ſatagentis,hæc eiuſdem vincentis,ſeu iam victoris miſerẽtis, vox fuit : illa in medio prælii ardore, ac iam victis & in fugam verſis hoſtibus vſus eſt . Ille etiam piæ non conſentaneus actus fuit quòd cuilibet ſuorum vni, hoſtium quem optaſſet vitam dare permiſit . Nec minus ille,quòd in tanto conflictu nullus inuentus eſt niſi armatus in acie cecidiſſe . Pompeius turbatis ac territis ſuorum ordinibus tantæ ruinæ molem nec ſufferre valens nec attollere, tanquàm inſano attonitóq; tantum ſimilis abiecit pondus imperii,ſeque in caſtra recepit,nimis illi quod de alio eſt carmini cõueniẽs,Iupiter ipſe pater currus exterruit altos Aiacis,ſtetit ille amẽs clypeũq; rumentẽ Tergore ſepteno poſt terga immania iecit,Hincq; oculos voluẽs mœſtus

ſe auertit ab armis. Hæc vbi ingreſſus eſt caſtra, tamdiu ſecum tacitus perſtitit quamdiu confligendo plurimi cum fugientibus ſimul in cædem corruiſſent, ruptóque ſilentio tandem vocem hanc vnicam emiſit, Ergo ad congreſſum, aliúdque nihil locutus, ſurgit, veſteq; ſumpta, præſenti cladi accommodata caſtra exceſſit, ſéque fugæ credidit, non tam viuere cupiens quàm metuẽs mori, ne ſecum reliquæ legiones incaſſum traherentur: quo ſubmoto, nemo amplius in acie ſtetit, ſicq; vniuerſus Pompeii fugit exercitus, cladéſque in caſtris permagna facta miniſtrorum, eorúmque qui contubernia defenderent: & quanquam facta cæſorum ratione, milites tantũ ad ſex milia cecidiſſe clariſſimus teſtis ſit Aſinius Pollio qui tunc cum Cæſare militauit, compertum eſt tamen per alios nobiliſſimos auctores de legionibus & equitatu Pompeii XV.M. cecidiſſe: nam exterarum gentium & auxiliorum quæ ex magna orbis parte confluxerant, innumerabilis ſtrages fuit, & eorum qui vagi, & inermes nullo ordine ad ſatietatem cędentium ſunt oppreſſi. Eorum verò qui deditione in poteſtatẽ Cæſaris venerãt numerum XXIIII.M. & eo amplius fuiſſe literis traditum eſt, ſigna militaria centum octoginta & LXXX. aquilæ. Inter cęſos fuit Craſtinus vt dictum eſt ardentiſſime dimicans, quẽ Cæſar eo prælio mira virtute rem geſſiſſe & de ſe optime meritum prædicauit, atq; ita vt prædixerat vel mortuo gratias egit. Pompeianorũ enim multos quum ſtrauiſſet, in confertiſſimam aciem inuectus, vnius gladio per ora illi ad oppoſitum latus adacto perfoſſus occubuit, notatúmque oris vulnere, oris impetum punitum, vltione iuſtiſſima. Periit Domitius is qui ad confiniũ captus fuerat ac dimiſſus: ex his qui Cæſaris partes ſecuti non niſi ducenti milites ſunt deſiderati. Cẽturiones XXX. viri excellẽtes. Mirũ dictu, Romanis ab vtraq; parte pugnantibus, eã fuiſſe cladis imparitatem: ſed puto diis placuiſſe vt Põpeium ſua illa vetus fortuna relinqueret. Pyrrhus in inſtruenda acie apud Aſculum, Homerici verſus ſententiam inſecutus fertur, quo equidẽ minus bellicoſi in medio collocantur, elephantos & equitatũ omnẽ in ſubſidiis eſſe iubens. Xantippus Lacedæmoniorũ rex in auxiliũ aliquando euocatus à Carthaginẽſibus quos Romani ſępenumero protriuerant, inſpectis Pœnorum copiis atq; in campum deductis, quum in percunctando quemadmodum Romani ſecum pugnando ſemper ſuperiores euaſiſſent percepiſſet, ac errata ſubinde quibus res eorum ſubuerſæ forent quaſi diſciplinam quandam aperiens edocuiſſet, in inſtruenda acie, ſic equitum, ſic peditum, ſic elephantorum ordinem diſciplinãq; digeſſit, vt qui modo ne conſpectum quidem Romani exercitus ſuſtinere poſſent, vltro iam poſtularent vt ad hoſtes ducerentur. Cognito igitur militum ardore Carthaginẽſium fortunam prælii ratus Xantippus, aduerſus Romanos Carthaginẽſium acies ſic inſtruxit. Prima enim fronte elephantos conſtituit, paulo pòſt vrbanã multitudinem dextro ac læuo cornu, deinde mercenarium militem veteranorumq; robur diſtribuens, expeditos quoſq; ac celeres vtrinque inter equitum alas certare iuſſit. Econtra vt ſolidam Romanorum aciem perſpexiſſet, qui aduerſus elephãtos ex omni exercitu expeditos & delectos oppoſuerant, multiplicíq; ſubſidio firmauerunt, equitatu in vtroq; cornu diuiſo ne ab elephantis perrũpi agmẽ poſſet, Xantippus quo Romanorum aciem labefactaret, circumire equitatum ac extremos à

tergo

tergo lacessere iussit: hoc quũ pluribus in locis faceret, ac legiones Romanæ necessario extra equites conuersæ illis resisterent ac propellerent, interim rarefacta acies ac disiuncta, ab elephantis perrumpitur confligiturq; : quo in conflictu XXX. Romanorum milia cecidere. Regulus dux eorum cum quingentis interceptus, & duo milia in Clypeam vrbem fugata sunt. Hannibal imperator maximus, directa acie ad Cannas milites fortiores bellicosiorésque in extremitatibus disponens, ipse cum debilioribus medium, vbi multi ex fortibus & strenuis viris præerant, tenuit: sexcentos deinde equites Numidas transfugere iussit, qui ad fidem faciendam gladios & scuta Romanis tradiderunt, & in vltimum agmen recepti, vbi primum cõcurri cœpit, strictis minoribus quos occultauerãt gladiis, scutis iacentium assumptis Romanorum aciem cecidere. Ad hoc etiam miscendarum acierum discrimen, Scipio aduersus Hannibalẽ in terra Aphrica quum ordinaret exercitum, hastatos prima fronte locauit : principum deinde cohortem, quam quidem triariis denicq; clausit, nec dẽsas suorũ acies instruxit, sed quodam interuallo distantes, quò elephanti recepti absque vlla suorum permixtione ac ordinis perturbatione transmitti quirent. Velitum etiam plurimi præstò erant, iussi in ipso beluarum impetu eorum terga dextrum læuúmque latus telis confodere: equites deinde distinxit in cornua, & cũ italis equitibus Lælium ab læuo, Masinissam verò Numidis instructum dextro cornu opposuit, quæ ordinatio magnam sibi peperit victoriæ laudem. Hannibal verò econtra cum decernendum sibi necessario esset, & ad illud supremum gloriæ certamen quo nullum vnquam perniciosius, nullum magis terribile vel memorandum quoque, quum vel omnium gentium imperium, vel perpetuum seruitutis iugum suis fore videret, ex Scipionis hostis sui sententia omniúmque qui armorum vel militarium rerũ gnari erant, id laudis assecutus, vt suorum cohortes mirabili astu & diuina potius quàm humana ratione disponeret : elephantos enim octoginta trementes in terga turres, militibúsque refertos, habentes, in prospectu Romanorum exercitus præsepsit, vt inde suo terrore, impetu atq; vi, hostium ad suos tãquam clypeus & murus aheneus accessum prohiberent, auxiliaribus, Gallis, Lyguribus, Mauris atq; Balearibus ante Pœnorum suorumq; ciuium cohortem deinde subsequentibus, ne mercenariis diuersarum nationum militibus, quos non fides, non patriæ pietas vlla fortes ac strenuos redderet, fugiendi facultas daretur : vtq; primo post elephantos loco positi pugnæ impetum admittentes extinguerẽt tum suorũ ac Macedonum multitudinem, vt integri cumfessis hostibus pugnando victores euaderent. Italicos verò & Brutios, tãquam infidos, q; mœsti coactiq; magna ex parte terra Itala excedere, imperium ducis & castra sequerentur, in postremam summouit aciem: ad suos postea quum ambo se duces vtrinque recepissent, hortarentúrque varie & ignauiæ notas & prẽmia militibus præponerent, interim ad initium pugnæ classica Romanorum cecinere, tanto quidem omnium clamore, vt elephanti quos primo agmine anxia tanti ducis cura in præsidium locauerat, fortuna consilium peruertente, in suas acies redirent, impetuq; suo loco adeò turbarent vt equitibus in fugam versis primam tãtæ ruinæ tantæq; stragis causam præbuissent. Equitibus enim imminuta Pœnorum

acies

acies, pedes in hoſtes concurrit, primóque nixu loco moueri contigit: hos vt motos Romani ſenſere, partim ſeſe ad ſuos recipientes ac terga dantes, Carthaginenſium aciem adorti ſunt. Re autem bene ac fœliciter geſta, tot iam fugatis equitibus, tot elephãtibus fuſis, primíſque ordinibus in ſecundos iam pulſis, inter pugnandum Lælius ac Maſiniſſa qui pauloante pedem referentes aliquantiſper profugos inſecuti fuerant opportune redeuntes, & quidem equites hoſtilis exercitus quotquot ſupererant à tergo incurſant, iſq; quaſi inopinatus impetus hoſtilem aciem tanta compleuit formidine vt ancipiti vndique pugna circumuenti funderentur cæderenturq;, nullo pudore, nulla reuerentia tanti ducis valẽte fugam ſiſtere. Et quanquàm ſane ab vtroque ipſorum ducum, & ab aliis ſæpenumero maiores alibi ſtrages æditę ſint, grande tamen prælium in primis meritoq; ſeu ducum claritate, ſeu gentium potentia, ſeu militũ virtute, ſeu ancipiti cæſorum diſcrimine, ſeu denique victoriæ effectu inter illuſtria referendum, quum auctore etiam Floro nõ fuerit maior ſub imperio Ro. dies quàm ille quo hęc geſta ſunt. Ex Carthaginẽſibus & ſociis xx. M. & eo amplius hac in pugna cecidere, totidem fere capti, ſignáq; militaria c. xxxii. cum elephantis xi. intercepta. Romanis vero qui ſuperiores euaſere, nec incruenta victoria fuit: decẽ nanque milia periere. Dux autem ipſe Hannibal mœſtus, & equitibus paucis admodum comitatus, Haſdrumetum, id oppidi nomen eſt, fuga ſe contulit, ſingulatam ante prelium quàm in prelio quæ quemlibet magnanimum principem decent priuſquam inde abiret expertus. Carthaginem patriam deinde ſuam profectus vel reuocatus, coram primoribus & ſummatibus vrbis ſe non prælii modo, ſed belli vniuerſi gloria inferiorẽ euaſiſſe, & à Scipione victum & ſuperatum eſſe non iuit inficias. Cornelius Scipio cognomento Aphricanus, aduerſus Haſdrubalem Pœnorum ducem in Hiſpania bellum gerens, quum per aliquot dies non quo dimicaturus eſſet ordine duxiſſet exercitum, ac hoſtes pari ordine ſeruato proficiſcerentur, eodem die quo manus conſerere inſtituerat inſtructionis mutauit ordinem, & quibus ipſe prẽualebat infirmiſſimas hoſtium partes vna acie aggreſſus facile fudit. Theogenes Athenienſis, quum exercitum Megaram duceret petentibus acierum ordinem reſpondit, ibi ſe daturum: deinde clam equites præmiſit, eóſq; hoſtium ſpecie impetum in ſocios retorquere iuſſit: quo facto tanquam ad hoſtium occurſum præparare̅tur, permiſit ita acies ordinari vt quo quiſq; loco voluiſſet conſiſteret, vt inertiſſimus quoq; quiſq; retro ſe dediſſet, ſtrenui autem in fronte proſiliiſſent, vt quemque inuenerat ſtantem ita ad ordinem milites prouexit. Adderem his ego Arcturi regis placita, cuius apud nos neſcio q̃ verax, ſed noua vtiq;, & ob id ipſum ſuſpecta mihi eſt fama; et quãquã hiſtoriis miſcere fabulas nihil ſit aliud q̃ mẽdacio veri fidẽ imminuere, eius tamen hac in re geſta, vel quæ geri potuerũt, cõducibilia plurimũ, nõ ſiluiſſe equidẽ q̃ affirmaſſe maluerim. Hic enim in acie, vt aiunt, inſtituẽda peditatũ quidem omnem per ſe ponebat, equitatum quoq; : quumq; pedites pugnam iniiſſent, equites ſuperuenientes aduerſam aciem diſſipabant. Præter hos autem ſeorſum quoſdam manipulos militares collocabat, qui prelio ferueſcẽte ſuperueniẽtes, hoſtes impeterent. Ita cum feſſi integris à tergo vrgerentur, ſuo commento nunquam nõ victor

ctor in omni prælio fuit Alexander,peditatum in mediam aciem equites à dextro læuoq; cornu disponens . Idem aduersus Archelaum quum hostium copias multitudinemq; vereretur,virtute autem suorum fideret, aciem in omnem partem spectantem ordinauit,vt circumuentis vndiq; pugnandi facultas esset. Hic idem aliquando omnibus ad pugnam structis,quum prætores militum interrogassent,ad hæc aliúdne quicquã iuberet,Nihil,respõdit,nisi vt barbæ Macedonũ abraderentur. Parmenone verò admirante, an ignoras, inquit,ansam in prælio nullam esse quàm barbę meliorem? M. Antonius aduersus Parthos qui infinita multitudine sagittarum exercitum eius obruebant subsidere suos & testudinem facere iussit,supra quam transmissis sagittis sine militum noxa exhaustus est hostis . Quòd si hostilis acies insolubilis sit,vt pleriq; mos est, scutorũ testudine cuneos insolubiles efficere inuenti sunt aliquando iuuenes militię Romanę qui supra insilirent & scuta manibus euellentes desuper vulnerarent. Scipio Aemilianus ad Numantiam non cohortibus tantum,sed centuriis sagittarios & funditores interposuit . Fuit & mirabilis Romanorum aduersus Latinos Latinorũq; aduersus Romanos in omnibus penè par in instruẽda acie ratio,cum ęquis ante omnia vtrinq; viribus, eodem animorum ardore, iisdem militaribus institutis, eodem armorum genere congruentes,milites militibus,centuriones centurionibus,tribunos tribunis cõpares collegissent: quũq; in vnum manipuli plures coissent, plures hastati,& scutati,& principes,antepilarii,vexillarii,triarii, rorarii & accẽsi,hisq; omnibus quũ munitus esset exercitus, hastati omniũ primi prælium inceptarunt: qui si hostibus pugnando inferiores reddebantur, ipsi sese ad suos recipientes à principibus excipiebantur,tunc; principes qui dicti sunt decernebant, & subsequebantur hastati: q; si à principibus quoq; infœliciter dimicatum esset,ad Triarios qui postremos claudebant pedetentim referebantur: qui quũ in acie tertio ordine extremis subsidio locarentur cõsurgentes, hostes incessebant: hi quanquam spei nihil suis pòst relinquerent,hostibus tamen formidinis plurimum afferebant,quum velut fusos profligatosq; hostes insecuti,& victorię compotes,inopinatam extemplo aciem scutis & hastis horridam munitámque & militum numero auctam intuerentur . Instructis itaque,sicut antè dictum est,ordinibus, aduersus Latinos Romani in aciẽ processere , & Manlius & Decius eorũ dextro ac læuo cornu præfuere. Adiectũ est aliquid Romana disciplina per Q. Neuium centurionem in exercitu Fuluii Flacci procos.contra Campanorũ multitudinem ad instruendam aciem præter eam quæ est ex equitibus peditibúsque pugnã: lecti nanq; agilitate corporis iuuenes,leuibus armis tecti,galeiculis gladiísque ac septenis hastis quaternorũ circiter pedum armati,post terga equitum insidebant,& cum ad hostem ventum erat equis desilientes hostem ex improuiso confodiebant, Velites ipsi huiusmodi pugnatores appellant. Samnites præter cęteros belli apparatus,vt acies sua fulgeret nouis armorum insignibus fecerũt: duo nanque illis exercitus erant,& scuta alterius auro, alterius argẽto cęlata,spõgia pectori tegmentum,et siniſtrum crus ocrea tectum,galeæque cristatæ quę speciem magnitudinis corporum adderent,tunicæ auratis militibus versicolores,argentatis linteæ quibus apparatibus formidinis plurimũ & terroris aduersę parti

redde

redderetur. Fidenates, & Faliſci, Veientes item et Tarquinienſes quia pares armis non erant ad terrorem in acies hoſtiles mouendum, cum plurimis ſuorum noua acie irrumpente, & inaudita & ante id tempus inuſitata, in habitu ſacro ſacerdotibus faces & angues fanatico velut inſtructa curſu prę ferẽtibus, Romanorum pari modo aciem exterruere. Scythicæ gentis Amazones exercitum ad pugnam ingreſſuræ tegmenta corporum pro armis habuere, ſerpentũ magnorum coria, quorum & quidem præter fidem ingentium copia in Libya ſupereſt: vtebantur longis enſibus, haſta & arcu, quo non ſolum exaduerſum pugantes vulnerabantur, ſed fugiendo feriebant inſequentes. Aduerſus Carolum quoq; in Hiſpaniis Arabes mirabili arte in inſtruẽda acie vſi perhibẽtur: equitatu nãque in acie directo, Arabes contrà laruarũm inſuetam faciem obiicientes, ſimul & tympanorum ſtrepitus concitantes, equis pauefactis equitatum omnem pepulerunt: nec fuit reſiſtendi facultas, donec equorum facie velata auribusq; obturatis milites rigidis perſonarũ ſimulachris repugnarent. Baleares tribus fundis quiq; in præliis armantur, vna caput cingunt, altera ventrem, tertia in manibus geſtatur: in prælio multo maiores lapides quàm reliqui ita iactãt robuſte, vt ab aliquo tormento lapis videatur emiſſus, in vrbium expugnatione lapidum iactu eos qui deſuper ex propugnaculis tuentur mœnia vulnerant, in pugna vero ſcuta, galeas, omneq; armorum genus confringunt, tantáque vis ac peritia his eſt vt creberrime grandinis modo in aduerſam partem & propinquantẽ iam terrę claſſem effuſa intrare portum ſinant neminem: quodcũque enim volunt lapide miſſili facile contingunt. Nec eſt quod gentis huius quiſpiam certiſſimos miretur ictus, quum hæc ſola gentis arma ſint idq; vnum ab infantia ſtudium: nam cibum puer à matre non accipit, niſi quem ipſa monſtrante, funda percuſſit. Troglodyte Aethiopum gens tantę velocitatis quum ſint vt feras curſu pedum aſſequantur, in aciem arma hęc ferunt hi, ſcutum ex corio crudo bouis rotundum, & ferratam clauam: arcus alii lanceáſque, nec vt Græci ob irã aut ambitionem, ſed pabuli gratia belligerantur inuicem. In eorum concertationibus primũ iactis lapidibus quoad aliqui vulnerentur concertant, cum arcu quo admodum exercitati ſunt pugnantes, mutuis vulneribus cadunt, eorúmq; certamina dirimũt quæ ætate præcedant fœminæ, quibus nullo periculo in medium prodeuntibus (nefas eſt enim has vllo pacto lędere) extẽplo à certamine ceſſant. Macæ qui circa Syrtes habitant inter cæteros Libyos quum ſint corporibus etiam agiles, patria verò vt plurimum plana, neq; enſe, neq; galeis, neq; aliis armis inter pugnandum vtuntur, tantum ferunt haſtas, lapidesq; in vaſis ex corio factis delatos, cum his certantes, tum in congreſſu, tum etiam abeundo primo hoſtem ferire conantur, ad curſum & lapides recte iaciendos longo vſu edocti, ergaq; externos nullũ ius, nullam omnino fidem ſeruant. Germani acies ſuas rhedis circundare ſoliti ſunt ne cui ſpes in fuga relinquatur, hisq; impedimẽta imponũt. Iidem equeſtrẽ aciem ſic ſtruunt, equitum quot milia lectiſſima ſunt, totidem numero pedites velociſſimi & fortiſſimi, quos ex omnibus copiis ſinguli in ſingulos ſalutis ſuæ cauſa delegerint: cũ his in prędiis verſantur et ad eos ſe equites recipiũt, hi ſi quid ſit durius, concurrunt: ſi quis grauiori vulnere admiſſo equo deciderit, circunſiſtunt:

ſtunt: ſi quò ſit longius aut celerius recipiendum, prodeundi tanta eſt celeritas, horum exercitatione vt iubis equorum ſubleuati eorum curſum adęquent. Celtiberorum quidem ſcutis leuibus certant, alii rotundis vmbonibus magnitudine clypei cruribus ocreas ex pilis factas inuoluunt, galeas ferunt æneas criſtatas plumis, gladios inſuper ex ferro puro ad palmæ menſuram: qui in conferta pugna ferrum ſuo more ad conficienda arma præparantes (nam ferreas laminas in terra abſcondentes ibi tam diu eſſe ſinũt quoad debiliore parte ferrugine abſumpta validior ſuperſit) ex eo tum enſes fortiſſimos, tũ cætera ad belli vſum arma neceſſaria componunt: hoc pacto fabricata adeò cædunt omnia vt neque ſcutum, neque galea, neque aliud quid eis obſiſtat: duobus gladiis fulti cum equeſtri certamine ſuperiores euaſerunt, ex equis deſiliunt pedeſtremq; adiuuant pugnam. Sueuorum gens quæ longe maxima & bellicoſiſſima Germanorum omnium eſt, equeſtribus pręliis ſępe & equis deſiliunt ac pedibus pręliantur, equosq; eodem remanere veſtigio aſſuefaciunt, ad quos ſe celeriter quum vſus fert recipiunt. Galli equitũ aciem inſtructuri, inter equites raros ſagittarios expeditosq; leuis armaturę interponunt, qui ſuis auxilio ſint, atq; impetum equitum ſuſtineant: pedites autem pugnaturi nudabantur, vel nudi ſuper vmbilicum vaſtis ſcutis & prælongis gladiis accincti in pugna perſiſtebant. Adhæc cantus inchoantium prælium & vlulatus, & tripudia, & quatientium ſcuta in patrium quendam modum, horrendos armorum crepitus, omnia de induſtria cõpoſita ad terrorem: verùm hęc quibus inſolita atq; inſueta erant aduerſus Gręcos, & Phryges & Cares multi ad victoriã momenti erant: aduerſus autẽ Romanos quibus gallici tumultus vanitates notæ erãt, nullius vel quàm parui. Nam tametſi ſemel atq; iterum ad Cremeram et ad Alliam olim fuderint maiores noſtros, in deterius tamen eorum quotidie data res eſt, quũ ex eo tempore per ducentos iam annos pecorum in modum conſternati, cæſi, fugatiq; ſint: ac plures quoq; de Gallis victoriæ quàm de toto orbe terrarum per Romanos habitę, ac literarum cuſtodiæ traditæ memorentur. Galatæ in pugna iugis vtuntur quæ rhedarius & aſſeſſor ducunt, in bellis obuium hoſtem iaculo ex curru primum appetunt, tum relicto curru pedites enſibus certant. Quidam adeò mortem contemnunt, vt pugnent nudi: cuſtodes corporis ex liberis hominibus pauperes eligunt, qui & pro aurigis in pugna ſeruiant, & ferant ſcutum: inſtructa acie præire conſueuerunt, & ad ſingulare certamen hoſtium fortiſſimos prouocare, arma vt hoſtem terreant quatientes, capita hoſtium in acie cadentium abſciſſa equorum alligant collo, hoſtium ſpolia ſanguine perfuſa famulis tradunt, in foribus domorum cum cantu atq; hymnis affigenda, quemadmodũ feras ſolent venatu captas: hoſtiũ nobiliorũ capita aromatibus vncta in terris condunt, ſumma diligentia oſtendentes ea hoſpitibus, nullóque precio ea vel parentibus vel aliis reddunt. Britannis vel Belgis Galliæ populis ſua cura hæc inuenta etiam ſunt, eſſedis & carris apud ipſos primũ repertis ſtruunt genus pugnæ, quod eiuſmodi eſt, Equis enim huiuſmodi curribus iunctis & bellatoribus impoſitis, omnes primò partes perequitant, inter media equitum agmina tela iaciẽtes, atq; ipſo terrore equorum & ſtrepitu rotarum ſuperſtans hoſtis, inſolitusq; eius tumultus, nõnũquam Romanorum

norum conterruit equos aliorumq; ordines plerunque perturbauit. Cæterum hi quum se inter turmas immiserint, essedis desiliunt & pedites præliantur. Interea aurigæ paululum è prælio excedentes, ita se locãt vt si ab hostibus suis premantur, tutum receptum ad eos habeant: ita mobilitatem equitum, peditum stabilitatem in præliis præstant, vsu quotidiano & exercitatione instructi, vt & decliui & præcipiti loco equos sistere, moderari, ac flectere per temonem, percurrere & iugo insistere, & in currus quàm ociſſime se recipere consueuerint. Quod genus pugnæ ab orientalibus sumptum puto, qui curribus falcatis vtuntur in prę-liis, ex quibus est pugna haud dissimilis. Multa in his spes orientalibus fuit. Filii Ioseph multo tempore ab hæreditate prohibiti sunt curruum falcatorum metu. Sisara noningentos in expeditione contra Israhelitas produxerat. Darius eam speciem obiecit Alexandro, quos ille laxis ordinibus suos iussit excipere, & non impune vagari. Hos in bellis & rex Mithridates, & rex Antiochus, aliiq; plurimi nobiliſſimi duces habuerunt. Ex equo acies vbi armis ad pugnam instruere Thessali prius docuere, hos postea omnes pene secutæ nationes, equis ad certamina vsæ sunt, ac in dies magis magisque vtũtur: verum Scythæ non equos pro bello, sed equas malunt: quoniam vrinant cursu non impedito. Colophonii & Castabolẽses canibus in bella ductis primas acies instruebãt, tutiſſima ac fidiſſima hominum auxilia, non eris alienæq; stipis indiga, nec dominorum fidem detrectantia. Dominos enim constat canum auxilio à crassatoribus sæpe defensos, & pugnasse eos aduersus hostes pro dominis Garamãtum regis exemplo quem ducentorum canũ acies obiicientes sese contra resistẽtes propter bella, ab eo quo detinebantur exilio reduxere. Seianus perfidus miles, acerrimos canes vt sibi vni mãsuetos & mites, hostibus verò in acie feros & immanes habere posset, sanguine pascebat humano: Bactros, credo, secutus, qui canibus humana carne nutritis obiiciunt senes: quod quum Alexandri præfectus Siasanor emendare voluisset, pene amisit prouintiam. Aduersus Amilcarem Hispani, non canes, sed boues vehiculis adiunctos in prima fronte locarunt, vehiculáque rhesinæ, sulphuris, ac sæpi plena, vbi æneatores pugnæ signum dedere incẽderunt: actis deinde & exagitatis sic bobus, consternatam ac dissipatam hostiũ aciem reliquere: neq; enim ludibriis præcipitiq; furore, sed alta consilii meditatione his inuentis maiores bella tractabant, deserta quoq; requirentes, vt elephantos ac terrificas feras etiam ad pugnam cogerent. Equidem de natura elephantorum non operose tractandum, quoniam in remotis orbis partibus reperiuntur: quę autem ad bellorum vsum attinent, his instandum. Capti quàm ociſſime mitificantur ordei succo, truncos gratiſſimo in cibatu habent: palmas quoq; celsiores frõte prosternunt, atque ita latentium fructum assumunt manduntque: & si pabulum in præsepio positũ attingi cõtingat à mure quẽ maxime animaliũ odere, fastidiũt: in potu quoq; hausta hirudine, quam Sanguisugam vulgo appellãt, cruciatum maximum sentiunt: & quod ad docilitatẽ attinet, minimi Aethiopis iussu discunt subsidere in genua, ambulare per funem, militare, turres armatorũ in dorsis ferre, magna ex parte Persarum & orientalium regum bella conficientes. Ad acuendos verò eos in præliũ, linteũ vuæ vel mori sanguine tinctum eis ostẽdũt:

&

& prosternant licet acies,proterant armatos,suis tamen & muris animantis exigui stridore ac visu(tanta est rerum natura)terrentur,territi vulneratique retro semper cedunt,haud minore quandoque suarum partium pernitie . Semiramis bellum Indis motura,inferior illis elephantorum apparatu,rem excogitauit qua terreret Indos cogitantes nequaquam extra Indiam elephantos esse. Occisis igitur ccc. boum milibus, carnes operariis distribuens, coria insui fecit elephantorum instar,quæ postmodum fœno referta veri elephanti speciẽ præ se ferebant: intus hominem,camelúmque super quo sedens formam beluæ duceret , inclusit, hæc in loco semoto occultóque acta, ne quà exterius emanare possent , vtq; inde improuisa re perculsi,veras bestias existimarent: his biennio confectis, tertio in Bactris coëgit . Fuerunt præter aliam infinitam multitudinem currus ad milia centum,erant totidem numero homines supra camelos cum gladiis cubitorum quatuor: assuefecit autẽ equos ne eis simulachris terrerentur,quod & Perseus Macedonum rex multis pòst annis in eo bello imitatus . Verum neque illi in bello, neque Semiramidi profuerunt : audita enim rex Indorum tum exercitus magnitudine, tum ingenti apparatu belli, conatus est excedere Semiramidis vires, accitis maioribus quàm quæ erant Semiramidis copiis,elephantorúmque sylue strium venatione facta,plurimos ad bellum instruxit, vt verum terrorem quem intulerunt aspicientibus iniicerent . Pyrrhi bellis hi primum in Italia visi fuerunt,quippe qui vsque ad id temporis inuisos Romanis,numero xx. in Italiam primus inuexit. L. Metellus pontifex victoria de Pœnis captos cxlii. vt quidã clx. transtulit ratibus,quas doliorum confertis ordinibus imposuerat. Antiocho regi, Antipatro auctore,duo fuere celebres in bellicis rebus,cognominibus suis appellati atque distincti: etenim nouere ea. Certe Cato quum imperatorum nomina annalibus describeret,eum qui in acie punica fortissime prœliatus est,Sutrum tradidit appellatum, altero dente mutilato . Antiocho vadum fluminis eis aliquando renuit experienti : Aiax,aliquando dux agminis semper. Tum pronuntiatum est eius fore principatũ qui transisset,ausúmque Patroclum, ob id phaleris argẽteis,quibus maxime gaudent,& reliquo omni primatu donauit, ille qui notabatur inedia vitam finiens,mortem ignominiæ prætulit . Mirus nanq; his pudor est,victiq; vocem fugiunt victorum,terrámque ac verbenas porrigunt pudore. Idem rex quum in prœalti fluminis transitum elephantos compellere non posset,nec nauium copiam haberet , iussit ferocissimum elephantũ sub aure vulnerari , & eum qui vulnerasset statim transnato flumine procurrere , elephantus exasperatus ad sequendum doloris sui auctorem tranauit amnem,reliquisq; idem audendi fecit exemplum. Antiochus quem Eupatorem dixerunt xxxii . in acie contra Iudæos produxit , in subsidiũ cuiusque bestiæ quingentis equitibus deputatis, in singulis turribus fuere pugnatores xxxii. electi. Hannibal aduersus Scipionem in Aphrica quum exercitum dirigeret , elephantos octoginta in primâ fronte locauit vt auxiliares Gallos & Lygures , Mauros & Baleares Pœnis à tergo stantibus à fuga arcerent,hostiúmque aciem terrore peruerterent. Cęsare dictatore,tertio consulatu suo viginti etiã elephãti cõtra pedites quingentos pugnauere,itemq; totidem turriti cum sexagenis propugnatoribus eodẽ quo

Plin. 8, 5.

priores numero peditum & pari equitum ex aduerſo dimicante, prima inter regem Pyrrhũ & Leuinum conſulem apud Heracleam Campanie vrbem, fluuiumq; Lyrim pugna commiſſa, introducti inter concurrentia agmina elephanti forma truces, odore graues, mole terribiles, vt videre Romani, nouo pugnandi genere circunuenti, & territi, equis maxime pauitantibus diffugerũt: ſed poſtquã Minutius Centurio quartæ legionis primus haſtatus protenſam in ſe, haud improprie belluæ manũ appellatam gladio deſecuit atq; in ſuos ſæuire coëgit, eius immoderato diſcurſu perturbari ac permiſceri ordines cœpere, finisq; pugnæ beneficio etiam noctis impoſitus eſt. Secunda inter Pyrrhũ eundem & Romanos pugna fuit P. Sulpitio, Decio Murena conſulibus, vbi elephãti qui prima pugna vulnerati atq; in fugam poſſe cogi deprehenſi fuerant, ſubiectis inter poſteriora & molliora ignibus exagitati, ardentes inſuper machinas furore trepidi circunferentes exitio ſuis fuere. Tertia inter Pyrrhũ & Romanos pugna fuit Curio Dentato conſule, vbi elephantibus in ſubſidium miſſis Romani aſſueti iam pugnare cum belluis, cum malleolos ſtuppa inuolutos ac pice oblitos inſuper aculeis tenaces præparauiſſent, eosq; flagrantes in terga belluarum turréſque vibraſſent, non difficile furentes, ardentesq; belluas in eorum excidium quorum ſubſidio fuerant retorſerunt: Eoſdem aliquando Velites à volitando dicti vel à græco βάλλω, id eſt, iaciẽdo, quod genus militiæ paulo antè repertum fuerat, fabrili ſcalpro inter aures adacto, retrò agebant, & quũ à ſuis regi non poſſent, necabantur. Id genus occidendæ belluæ cum opus eſſet, Haſdrubal Hãnibalis frater primus inuenit, vnumq; vno ictu confectum accepimus telo in vitalia capitis per oculũ recepto: ipſi tela cæteraq; quæ hæſerint corpori, olei potu decutiunt. Contra hos diuerſa reſiſtendi ratio fuit, bini equi cataphracti ad currũ iungebantur, quibus inſidentes longiſſimas ſariſſas in elephantos dirigebant: muniti enim ferro, nec à ſagittariis quos elephanti vehebant lædebãtur, & ipſorum impetum equorum incurſatione vitabãt. Cataphractos alii mittebãt milites, ita tamen vt aculei ferrei vndecunque in eorum armis prominerent, ne venientem in ſe militem ſine vulnere elephanti poſſent excipere. Alii velitum aciem his obiecere, dato eis præcepto vt quàm primum elephanti ab hoſtibus acti ſpatio intermiſſo reciperentur, ad elephantorum impetum vel retrò, vel pòſt, vel ad latus contunderent equitatum. Permulti quoq; quo nihil tutius erat, eminus fundis eos per quos regebantur elidebant, ſicq; in ſuos plerunque lapidibus adactæ belluæ, & amiſſis rectoribus ſæuire cogebantur. Venientibus nonnulli quaſi terrore quaterentur, continuas detrahebant cohortes: manipuliſque inter ſe diſtantibus ſpatium dabant, cúmque agminis medium attigiſſent, circunfuſa militum multitudine obruebantur, illæſique vnà cum rectoribus aliquando intercipiebantur. Camelos Vitelliani in terra Aphrica, & aliquot clari etiam duces in aciem produxere, qui ante legiones poſiti, aut cum legionariis mixti, cum cominus pugnaretur, hoſtiũ ſæpe acies puertere. Crœſus numeroſo ac præpotẽti hoſtium equitatui eos obiecit, quorum nouitate aſpectus, odore, atque horrore trepidantes equi, nedum equitum, verum etiã peditũ ſuorũ acies peruerterunt, vincẽdosq; hoſtes præbuerunt. Cameli itẽ cũ Scipióne Antiochũ deuicere, & cum Archelao

item

item ad Orchomenum & Cheroniã conſeruiſſe camelos memoriæ proditum eſt. Horum qui in pugna præſtent nonnulli gibbum duplicẽ in dorſo habent, duos quoq; in bello in certamen ſagittarios ferunt dorſo, inuicem contrarie reſi dentes: alterum à fronte verſus hoſtem, alterum contra perſequentem pugnãtes. Tentarunt etiam Pœni, vt Lucretius inquit,

tauros in munere belli,
Expertiq; ſues ſcæuos ſunt mittere in hoſtes,
Et validos partim præ ſe miſere leones,
Cum ductoribus armatis ſcæuiſq; magiſtris,
Qui moderarier his poſſent vincliſque tenere.
Nequicquàm quoniam permixta cæde ruentes
Turbabant ſcæui nullo diſcrimine turmas
Terrificas capitis quatientes vndique criſtas:
Nec poterant equites fremitu perterriti equorum
Pectora mulcere & frænis conuertere in hoſtes

ROBERTI VALTVRII AD ILLVSTREM HEROA SIGISmundum Pandulphum, de re Militari Liber Septimus.

De Religioſis, hoc eſt, infauſtis uel infamibus menſium quorundam diebus ac tempore ad bellum idoneo Cap. I

Actenus, Sigiſmunde Pandulfe, de inſtruenda acie ſecundum diuerſos ducum aſtus, variáſque rationes de impugnatione huiuſmodi atque expugnatione, ſi quando vſus tulerit, ad præſentiũ ac poſterûm inſtructionẽ dicta ſint : deinceps vt erat propoſitum, de religioſi temporis diebus ac menſibus preſenti materiæ ſubiacentibus, quos infames, atros, vel infauſtos in xi. cõmentariorum grammaticorum Nigidius appellauit, pauca memorare exempla forſan nõ incongruũ erit, ſeu recte ſeu perperam id fiat. Menſis itaque octobris pridie nonas Romanos primo quidem à Cymbris ſub Scipione exercitu priuatos fuiſſe conſtat, poſtea verò imperatore Lucullo Armenios & Tygranem viciſſe. Lucullus enim in Armenia cum decem milibus peditum & mille equitum aduerſus Tigranem qui centum quinquaginta milia hominum in expeditione haberet hoc die profectus cũ eſſet quo Scipionis copiæ conſumptæ ſunt à Cymbris, & quidam dixiſſet Romanis illum diem infaſtum eſſe atque formidabilem, Pugnemus igitur, inquit, hodie impigre, quo hunc quoq; Romanis diem ex atro

& triſti hilarem iocundúmq; reddamus: atq; quum pugnaſſet illõſque fugaſſet, Romanos quinque léto interceptos amiſit, hoſtium verò ſupra centum milia occidit. Menſis nouembris clades Barbaris magnas euidenter intulit: hoc nanq; menſe Alexandri regis ductores ad Granicum vicit,& Carthaginenſes ſeptima & vigeſima die apud Siciliam à Thymeleõte victi ſunt,ſub quam diem Ilion captũ videtur ſicuti Ephorus, & Calliſthenes, & Damaſches, & Philarchus perhibent. Bœotiis quidem contigit menſis Ianuarii quinta die binas præclaras & inſignes victorias cœpiſſe,vtpote quibus Græciæ libertatem reſtituerent.Februarius Græcis haudquaquam æquus extitit, huius ſeptimo die pugna cũ Cranone, ab Antipatro victi funditus periere,& in Cheronia ãtea aduerſus Philippum haud fœliciter pugnauere.Hac eadem die februarii eodemq; anno qui cum Archidamo tranſiere in Italiam,ab illius loci Barbaris fœde conſumpti ſunt. Vigeſimamnonam Carthaginenſes obſeruant, vt quæ plurimas eis & maximas calamitates intulerit.Menſis Martii ſexta quidem die Marathone,tertia vero in Platæis ſimul & apud Michalem Perſæ à Græcis deuicti ſunt: quinta vero & vigeſima die, Arbelis Athenienſes nauali pugna circa Naxon victores fuere,ſub ipſam præterea eiuſdem menſis vigeſimam diem Macedonum Athenienſes præſidium cepiſſe, quo die myſtico luſtrant Baccho. Apud Romanos præliares etiam dies ſunt,qui ab iuſtis non ſegregantur: ſiquidem iuſti ſunt cõtinui xxx. dies, quibus exercitui imperato vexillum rufi coloris in arce poſitum eſt: præliares autem omnes, quibus fas eſt res repetere,vel hoſtẽ laceſſere: eligendi enim ad pugnandum diem Romanis tunc fuiſſe licentiam conſtat,ſi ipſi inferrent bellum. At cum exciperent, nullum obſtitiſſe diem quo minus vel ſalutem ſuam, vel publicam defenderent dignitatem: vitabant & ad viros vocandos dies qui eſſent notati rebus aduerſis. Dies autẽ qui ſunt poſtridie Kal. nonas, idus,quanquã ad rẽ ſane militarẽ nihil attinere notet Varro, ſed ad ſolas actiones reſpicere priuatas, ad omnia tamen maiores noſtri cauendos putauerunt: quos etiam atros,velut infauſta appellatione damnarunt: ob hanc cauſam dictos habitosq; atros Seruius Flaccus ſcribit, quòd vrbe à Gallis Senonibus recuperata L. Actilius in ſenatu verba fecit, Q. Sulpitium tribunum militum ad Alliam aduerſus Gallos pugnaturum, rem diuinam dimicandi gratia poſtridie feciſſe,cum exercitu populi Romani occiſum. Item apud Cremeram multíſque aliis temporibus & locis poſt ſacrificium die poſtero celebratum male ceſſiſſe conflictum,& poſt diem tertium eius diei vrbem præter capitolium captam fuiſſe, quàm plurésque alii ſenatores recordari ſe dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res diuina poſtridie Kal. nonas, idus populi Romani facta eſſet, eius belli proximo deinceps prælio rempublicam male geſtam eſſe, túmque ea re per ſenatum in pontifices reiecta vt ipſi quid videretur ſtatuerent, pontifices decreuerunt vt hi dies neq; prẹliares,neq; puri,neq; comitiales eſſent,nullũq; his diebus ſacrificium recte futurũ: quod nec doctiſſimũ poẽtã Ouidiũ prẹterit,primo Faſtorũ dicẽtem,

Vendicat auſonias Iunonis cura Calendas.

Idibus alba Ioui grandior agna cadit.

Nonarum tutela adeò caret omnibus iſtis

Ne

Ne fallare caue proximus ater erit.
Omen ab euentu eſt illis : nam Roma diebus
Damna ſub aduerſo triſtia marte tulit.
Hæc tibi dicta ſemel totis hærentia faſtis,
Ne ſeriem rerum ſcindere cogar erunt.

Ante diem tertium nonas octobris & ante diem ſextum idus nouembris nihil in repub. maiores noſtri geri voluerũt. Itaq; per hos dies nõ cũ hoſte manus conſerebantur, non aliud quodcunq; in repub. non exercitus ſcribebantur, non comitia habebantur, non aliud agebatur, niſi quod vltima neceſſitas exegiſſet adminiſtrabatur. Ante diem quoq; quartum Kal. vel nonas, vel idus, tanquam inominabilem diem pleriq; vitant, cuius obſeruationis an religio vlla ſit, memoriæ proditum nihil inuenio, niſi quòd Claudius annaliũ quinto, cladem illã pugnæ Cannenſis vaſtiſſimam factam dicit ante diem quartum nonas ſextiles. Ante diem inſuper xv. Kal. ſextiles à Romanis haud procul fluuio qui Allia nuncupatur ac xi. milibus paſſuum via Sabbaria ab vrbe diſtat, inſtantibus Gallis male pugnatum eſt, fuſáq; extemplo Romana acies, ad ripam fluminis quo ſiniſtrum cornu defugerat à Celtis tãta ſtrages facta vt vrbi ſubito ſubſecuta ruina, & patrũ cædes, atq; capitolinæ arcis obſidio. Eorum fuga verò nocturna fuit, eo tempore quo commiſſa eſt, pugnatumq; eſt circa æſtatis finem circáq; plenilunium, quo die ingens & antea clades in Fabios ad Cremeram flumen inter vrbẽ & Veios acciderat : ſex & trecenti nanque patritii, milites omnes ex eodem genere eademq; familia vna die à Veientibus cæſi ſunt. Pompeius etiam fugientẽ Mithridatem ad prælium compellere cupiens, noctis tempore expugnationem fieri ſtatuit: quem Pompeius inſecutus, vt luna tunc orta à tergo Romanis erat, Mithridates exercitus longitudine vmbrarum, proximitatem hoſtium ratus, cuncta in irritum tela fudit: illi inermes aggreſſi, ſine labore certaminis vicerunt, & caſtra ceperunt. Hannibal apud Cannas hac militari temporis ratione & aſtutia vſus non noctis tempore, ſed orto iam ſole aduerſus Romanos dimicaturus, ita ſuos ad pugnam ſtruxit vt contra ſolem orientem exercitum romanum pugnare cogeret, contráque Eurum ventum quem noſtri Vulturnum vocant: nam in morem ardentis fulminis mane more ſuo perflare ſolitus tunc flabat, rapidúmque puluerem ex patentibus torridisq; campis eleuabat, & ſupra Carthaginenſium phalanges ad ora Romanorum impellebatur : ſicq; cum Euri vel Vulturni vẽti adiutorio, ac fulgoris oculos hoſtium perſtringentis, Hannibal illam memorabilem & immortalem Cannenſis pugnæ gloriam ſibi adeptus: vbi ipſe quum eſſet crudeliſſimus Romaníſque infeſtiſſimus, tanta tamen inimicorum atrociſſimorum cæde ſatiatus, parci iuſſiſſe perhibetur. Par poſtea ratio Romanos iuuit. Marius enim & Catullus coſſ. contra Gallos pugnaturi, virtuti dolum addiderunt: primum nebuloſum nacti diem vt hoſti inopinanti occurrerent, tum ventoſum quoque vt puluis in oculos oráque ferretur, tum acie conuerſa in orientem, vt, quod ex captiuis mox cognitum eſt, ex ſplendore galearũ ac repercuſſu ex aduerſo viſum eorum puluis oppleret, & ſplendor hebetaret, totam terribilem Gallorũ multitudinẽ minima Romanorũ clade profligauere. Eſt etiam

præterea ſua ſabbatiſmi ratio Iudæis, qua quum eis nefandum ſit quicq̃ ſeriæ rei facere, Diuus auguſtus Veſpaſianus adortus eos ſuperauit. Eoſdem alia atq; huic diſſimili ratione ſubegit Antiochus: is enim quum Hieroſolymam obſide ret, Iudæis ad maxima illa ſolennia petentibus dierum ſeptem inducias, non eas modo dedit, ſed etiam tauris auratis cornibus odoribusq; & pigmentis affatim prę paratis, ad portas vſque pompam egit, atque ſacrificio illorum ſacerdotibus tradito, ipſe in caſtra rediit: Iudæi verò admirati, continuò ſeſe poſt ſolẽnitatem dedidere. Eſt & aliis gẽtibus alia quoq; temporis ratio. Nam Mylciades quum Perſas triduanę religionis ocio teneri didiciſſet, improuiſos inuaſit & obtinuit. Athenienſes quum ſubinde à Lacedæmoniis infeſtarentur, diebus feſtis quos ſacros Mineruæ extra vrbem celebrabãt, armis veſte celatis, peracto ritu ſuo, non ſtatim reuerſi Athenas, ſed potius inde raptim acto Lacedæmonem verſus agmine, eo tempore quo minime timebatur, agros hoſtium quibus ſubinde prædę fuerant vltro depopulati ſunt. Athenienſes ſimili modo vbi aduentare Darium compererunt, quanquàm auxilium à Lacedæmoniis popoſciſſent, tamen quum detineri Perſas quatriduanæ religionis ocio compertum haberent, ſpem religionis occaſione ſumentes, inſtructis tantum decem milibus ciuium & Plateenſibus auxiliaribus mille, aduerſus ſexcenta milia hoſtium campis Marathoniis perruperunt, Mylciade eius belli duce, qui celeritate magis q̃ virtute fretus, alacri ſatis expeditione prius hoſti cominus hęſit, quàm poſſet expedito ſagittarũ ictu propulſari. Tanta in eo bello diuerſitas certãdi fuit, vt ex alia parte viri ad occidendum parati, ex alia pecudes ad moriendum præparatæ putarentur. Ducenta enim milia Perſarum apud campos Marathonios ea tempeſtate ceciderunt. Germanorum etiam animos quum ſortilegarum vaticinia mulierum obtunderent, vt puta quæ fluuiorum curſus, vortices, ſtrepitũq; coniectantes futura prædicerent aſſererentq; ſiue Ariouiſti eorum regis inſtituto, ſiue lege non eſſe fas ſuperari eos ſi ante lunam nouam contenderent, Cæſar ſatius eſſe duxit circa tempus inuadere, quàm idoneum illis tempus expectando cedere: facto itaq; in eorum munitiones & tumulos impetu, non antea ſtimulare ac inceſſere deſtitit quàm ira deducti pugnam capeſſerent. His hac de re denique in fugam verſis, Cæſar ſtadiis cccc. ad Rhenum vſque perſequens, terram omnem cadaueribus ſpoliisq; referſit. Ariouiſtus cum paucis præueniẽs, Rhenum traiecit: cęſorum numerum lxxx. milia fuiſſe perhibent.

De loco metationis inſidijſq; hoſtium deligendis: quid ſpeculator, & quid explorator, in quoq; differant Cap. II.

HIc deinde locus caſtris idoneus deligatur neceſſe eſt: ea enim res maxime rationis eſt bellicæ, vt hoſtis hoſtem ſi petierit è ſublimi repelli non poſſit, aut ſane collectis viribus excipi: ſiue igitur ex itinere quieſcendum ſit, ſiue caſtra caſtris obiicienda, in deligendo loco hanc rationem haberi oportet, vt locus arte vel natura munitus ſit, & neceſſariis ſufficiens: arte, veluti foſſa, vallo, vel aggere: natura munitus, vt ſunt tumuli aſcẽſu difficiles, colles ardui, locaq; edita & aſpera quæ verrucas Cato appellauit, vt loca fluminibus vel paludibus cincta, neceſſariis ſufficiens, vt materies, aqua, frumentumq;

tumq; de proximo peti possint. Quòd si & horũ cõparatio habenda sit, loca mu nita q̃ opulẽta viros illustres quęsisse magis inuenio, quod & Mario venit in suc cessum. Is enim tertio cõsulatu suo, bello Cymbrico quũ collẽ occupasset qui cã- po & fluuio imminebat, vbi hostes se diffuderant, quúmque aqua exercitui deesset ad potandum, quereli sque omnium coargueretur, aquam in prospectu esse respondit, sed eam ferro vindicandam. Primis itaque calonibus in pugnam cum clamore ruentibus, subsecutus exercitus, mox iusto certamine compositis agminibus, bellum gestum est, & vicere Romani. Iulius Cæsar loca emi- nentia in omnibus approbauit, quæ si negasset facultas, irrigua præferebat. In- uenitur etiam Gallicis expeditionibus aliquando iuxta fluuium Axonam ca- stra posuisse, quæ res & latus vnum castrorum ripis fluminis muniebat, & post eum quæ erant, tuta ab hostibus reddebat, & commeatus vt à proximis ciuitati- bus sine periculo aduehi possent, efficiebat. Cn. Pompeius in Capadocia locum delegit castris ponendis editum, ab imo paulatim procliuẽ: vnde adiuuante pro- cliui impetum militum, facile ipso decursu Mithridatem superauit. Q. Metellus in Hispania citeriore in castra hostiũ humili loco posita ex superiori parte flu- men immisit, & subita inundatione turbatos per dispositos insidiatores cecidit. Tanto itaq; locus vtilior iudicabitur, quanto fuerit editior: in subiectos enim ve hementius tela torquentur, maiorique impetu pars editior obnitẽtes propulsat, & impellit, quum hi qui humili sunt loco castrametati, duplex subeant cum lo- co primum, deinde cum hoste certamen.

De oppositi loci positione, multitudine, uoluntate, studijs, ac consilijs. Cap. III.

ET quoniam præcellentis est ducis munus, tum pace, tum maxime bel lo hostium regionem exploratam planéq; cognitã habere, ne omnes ordines temere vagari errareq; contingat, considerandum quoq; op- positæ ipsius regionis quæ sit naturalis positio, rupibús ne inuia aut fluminibus cincta, vel paludibus impedita: inhabitantium præterea multitudi- nes quantæ, quæ voluntates, quæ studia, quæ consilia perquirẽdum: firmis, an in- firmis, natura vel arte munitis præsidiis contineantur: quæ singula in ducis con sideratione deducta, si minus per se præstare queant, alios quorumcunque lo- corum peritissimos adiungere oportet. Hæc autem tutè ac commode poterit, si ex vtrorumq; amicis ciuitatibus atq; mercatoribus futuri sunt qui explorent. Ci uitates enim, omnes qui importent aliquid quàm liberaliter semper accipiunt. Sunt qui hæc per hostes, aut per suos, vel etiam per seipsos imperatores quidam scrutati sunt. M. Cato in Hispania, quia ad hostium consilia alio ingenio perue- nire nõ poterat, iussit trecẽtos milites simul impetum facere in stationem hosti- um raptumq; vnum ex his in castra perferre incolumem, tortúsque ille, om nium suorum archana confessus est. Iulius Cæsar missis equitibus his quos in agris re- perisset, hostium res & consilia scrutabatur: & vt concordi eorũ sententia repe- risset, quid agendum in consultatione deliberabat, & scitè ac sapienter id qui- dem. Speculatores deinde exploratoresq; de suis mittere vniuersorum ducũ in- stitutum esse: & quanquam duo hæc vsus sæpe confundat, discernit tamen ra- tio, & doctissimorum hominum auctoritas, vt speculator is sit qui hostilia silen-

tio

tio perſpiciat,quũ explorator clamore peccata cognoſcat. Explorare enim antiquos pro exclamare legimus vſos, ſed poſtea proſpicere, & certum cognoſcere cœpit ſignificare. Per ſe quoq; nullo extrinſecus adminiculo, explorandi modus quidam eſt,quo & ipſi duces vſi ſæpe perhibẽtur,ſicut Aemilius conſ. bello Etruſco: hic enim dux apud oppidum Coloniam,multitudinem auium procul contemplatus citatiori volatu ex ſylua conſurrexiſſe,intellexit illic aliqd inſidiarum deliteſcere, quòd & turbatæ aues & plures ſimul euolarent. Præmiſſis igitur exploratoribus,decem milia Coloniorum comperit, excipiendo ibi Romanorum agmen in itinere,eaq; alio quàm expectabatur itinere latenter miſſis legionibus circumfudit. Thianicus Horeſtis filius ſimiliter quum audiſſet iugum ab hoſtibus munitum,præmiſit ſciſcitaturos quid rei foret,referentibusq; non eſſe verum quod opinarentur, ingreſſus iter vt ex eo loco vidit magnam vim auium ſimul euolaſſe,arbitratus eſt ibi hoſtium agmen reſidere,itaq; circunducto exercitu illuſit inſidiatores. Per ſeſe autẽ hoſtium res ſcrutati ſunt Alexander,Sertorius,M. Voluſius, ædilis plebis & Maximianus quoq; qui cum Diocletiano poſtea imperauit,& mutato habitu quidem. Iulium verò Cæſarem & habitus mutatione & per alium,& per ſeſe etiam exploraſſe conſtat. Nam quum Britanniam expugnare illi mens eſſet, & inſulæ ſtatum moréſque hominum percunctari,exploraſſe per C. Voluſenũ, vt cõmunis habet hiſtoria,ſunt tamẽ non ignobiles auctores qui Cæſarem per ſeipſum portum & nauigationem, & acceſſum ad inſulam exploraſſe confirment: & quanquã illi fortunam ſuam experti forte probauerint,omnino tamen audaciæ & temeritatis mihi maximę eſſe videtur,conſilium & ſubſidium totius exercitus periculis obiicere, quum hi omnes aut vitæ ſuę,aut alienę necis cupidi ſint,qui huiuſmodi vel ipſi ſuſtinuerint,vel alios perpeti coëgerint: maxime quũ id quod Scipio et Valerius Lauinus coſſ. & Xerxes pro ſua nobilitate memorabile poſteris reliquerũt exemplum, non ſępe ſed perrarò contingat. Ille enim captus tres Hannibalis exploratores circumduci per caſtra iuſſit,oſtẽditq; his totum exercitum nihil de hoſtibus percunctatus: mox etiam prãdiũ dari iuſſit,eiſq; refectis,impune redire,vt quæ apud Romanos vidiſſent Hannibali renunciarent. Hic verò quum nõ ſecus intra caſtra ſua exploratorem hoſtium deprehendiſſet, magnámque copiarum ſuarum fiduciam haberet,circunduci eum iuſſit,terrendiq; hoſtis cauſa exercitum ſpeculatoribus eorum quotiens voluiſſet patere. Poſtremo Xerxes ſimiliter Darii filius quos in caſtris ſpeculatores Græcorũ deprehendiſſet nullo affecit ſupplicio, quin vbi iuſſiſſent eos circunduci, vt audacter intuerentur exercitum cuius gratia venerant, libere quòd voluerunt dimiſit incolumes. Præterea non vſquequaque etiam obuiis & tranſfugis quibuſque credendam ſalutem ſuam plurimorũ periculis edocemur. Babylon enim ingens, quam exercitus capere nulla vi poterat, Zopyri arte capta eſt: ſe nanq; plagis affici, auribusq; ac naribus mutilari conſulto iuſſit,ac deformis veluti tranſfuga vrbem ingreſſus, ſe cum omnium audientium intuentiumq; conſenſu ita Darii iuſſu cæſum mutilatumq; finxit: inde populum cohortatus forti animo vt eſſet, ac mœnia tueretur patereturq; ſe vnà cum ſuis recentiore ira & iniuria laceſſitum,bellum contra Darium inire. His nan-

que

que & aliis huiuſmodi Babylonii decepti fraudibus,ſummam gerendarum rerum omnium curam & poteſtatem liberam Zopyro tandem omnium tranſfugio tribuerunt: augendam verò ad fidem ſæpe is profligauit hoſtes,ac poſtremo creditam multitudinem in hoſtium manus duxit : ſic vrbs Babylonia, quæ vi non poterat,fraude capta eſt.Quum autem Darius poſtea punicum malū quoddam,& id quidem permagnum aperuiſſet, quærenti cuidam quidnam tantum habere vellet,quanta eſſet granorū multitudo,Zopyros ſe velle reſpondit. Erat autem Zopyrus non modo comes illi, verùm vir tum probus, tum amicus,qui vbi ſeſe ipſe cecidiſſet,narémque & aures obtruncaſſet,& ita creditus Babyloni os fefelliſſet ac Dario tradidiſſet vrbem, ſæpe dicebat,Darius,Zopyrum malle integrum quàm centum capere Babylonias. Iulianus quoque in Parthos expeditionem agens,quum in deſertum primo captiuorum habuiſſet ductorem,poſtea quidam ſenior tranſfuga ſub ſchemate proditoris ei ſe compendioſum iter oſtendere pollicitus, quum triduò ambulantes ad maiores ſolitudines peruenisſent,in inſidias inciderunt:& mox quidem illum ſenem fuſtibus occidere,confitentem ſe hoc pro patriæ libertate feciſſe , & libenter aſpera quæque pati velle: in quo bello imperator concidit,& exercitus in conditionem adductus eſt. Valerianus item Auguſtus doctrina & eloquentia clarus, ingētem exercitū in Perſas agens, & incaute quidem ſuorum ac aliorum ductu à Sapore Perſarum rege captus,ignominioſa apud Perſas ſeruitute conſenuit,donec damnationē ſortitus vt ipſe accliuis humi, regem aſcenſurum equum non manu,ſed dorſo ſemper attolleret. Ad poſtremum quum nulla præda hoſtibus pulchrior nec præſtantior quàm exploratorum,vel ſpeculatorum,ſi capi eos contingat,quod ſæpe fit,quum perſequantur quodcunque ſe illis peruium obtulerit , non vſque ita fides habēda illis vt cuſtodia negligatur,ſed inſtructa ſemper omnia et parata eſſe oportet,æque ac ſi hoſtem inſtare vel imminere nunciatum ſit.

Caſtrorum forma officiorumq; caſtrenſium ritus Cap. IIII.

Is pro loci qualitate hinc inde rite peractis,caſtrorum formam ſecundum maiorum diſciplinam officiorūq; caſtrenſium ordinem , ritus, ac rationes ex reliquo proſequamur,quattuor nanque angulis eorum dimenſio deſignabatur.Nam & fabrorum multitudo & ferramentorum copia quæ vſus extructionis poſcit ſequitur exercitum, & interior quidem pars caſtrorum tabernaculis diſtribuitur, ambitus autem eorū extrinſecus muri faciem præferebat,ordinatis etiam turribus pari ſpatio diſpoſitis,quarum interualla telis atque baliſtis aliiſq; machinis ſaxa torquentibus , omnibuſque inſtrumentis miſſilium complent,vt cuncta ſcilicet iaculorum genera in promptu ſint.Ex omni denique muri parte,quattuor portas ædificant,tam iumentis aditu faciles, quàm ipſis ſi quid vrgeat intro currentibus latas . Intus autem caſtra vici ſpatiis interpoſitis dirimunt,mediáque caſtrorum tabernacula collocant,& inter hæc imperatoris ac ducis maximi mediū templo ſimilimum,vt quaſi repentina quædam ciuitas exiſtat, forúmque & opificum ſtationes, & ſedes militum, primatibus ordinúmque principibus , vbi ſi qua ſit inter illos ambiguitas iudicet: ipſe vero ambitus,& omnia quæ in eo ſunt,multitudine ſimul & ſcientia,& frabrican

fabricantium opinione quum opus est dicto citius communitur, qui si res vrgeat, fossa extrinsecus cingitur depressa cubitis quattuor, paríque spatio lata. Castris etiam sic munitis aut muniendis armata custodia deesse non debet. Numerus cohortis extimatione nunquam inferior, per singulas portas si periculũ immineat ducis arbitrio augetur, híq; per vices quaternis horis die noctúq; sibi succedunt. Horarum autem discretionem veteres aqua & vmbra denunciarunt, & ad posteros in hunc modũ noscenda transmiserunt. Duo nanq; illis vasa erant ænea, siue vt Clesbius Alexandrinus primum instituit, ex auro perforata, aut ex gẽma terebrata: ea enim nec terũtur percussu aquę, nec sordes recipiunt vt obturentur. Non vbique tamen ea vsui: nam alibi alteri fundus erat in modum clepsydrę foratus, et quod erat integrũ vacuũ subiecerũt, pleno aquę altero superposito: alibi superioris vasis vacui fundus erat simili modo perforatus, alterũ quod subiecerũt integrum ac aquæ plenum, altero superaddito & aquam contingente. sed aquæ meatu antè hinc inde munito, quæ vbi primum cœpit sursum vel deorsum emergere, vel effluere, vel influere, mox munitione subducta pmiserunt influere vel effluere, fluxítque in noctis ipsius & sequentis ipsius diei finem, atque id vsq; ad principium noctis secundę: sic sibi mensurã temporis in aquæ de illo fluxu susceptę quantitate posuerunt, ac in partes quas xii. sub fida dimensione diuisa decreuerunt in ipso ciclo constituere, & diuisionibus annotauere, vt certi essent horarum numeri, in quos eas ingredi, morari & egredi nunciarent. Tuncq; post Aegyptiorum retrò maiores quos cõstat primos omnium cælum & temporis momenta scrutari & ausos metiri, siue Horus ille fuerit quem solem appellant, & vnde horæ dictæ sunt, siue quòd Horus Apollo sit qui præ cæteris horas inueniisse perhibetur, Scipio Nasica collega Lenati primus apud nostros aqua diuisit eas æqua noctiũ ac dierum idq; horologium in hunc modum sub tecto dicauit Anno vrbis quingentesimo quadragesimoquinto.



AMbrarum autem rationẽ apud Græcos Anaximenes Milesius Thaletis discipulus inuenit, primusq; horologium Lacedæmoniis ostendit: hęc ipsa ratio interdiu, modo horoscopi institutio die nubilo nõ vacet, per solem internosci maxime poterit, si in loco plano stãs quispiam dorsum contra solis rectitudinem posuerit, suiq; vmbram corporis pedibus metietur à xxiiii. die mensis decembris cum ianuario inchoando, in quo est numerus in sua hora prima, & in decima pedum xxix. Nam decẽbrem cum ianuario in horis causa dispar adiũxit, cum linea simili alter augeatur, alter vero decrescat. Nouembrem & februarium ratio temporis per horas duxit ęqualiter. October martium concordibus vmbris asciuit, & parem sibi fecit: septembris & aprilis dies horis similibus conferuntur, augustũ maio par solis cursus æquabit, iunius & iulius horarum sibi æqua spatia contulerunt, vt de singulis mensibus in huiusmodi circunscripta numerorum descriptione continetur.



AC horarum viciſſitudine vigilum ſors ſucceſſiue per omnes æqualiter currat,in hos acerbiſſima ſanctio vt qui loco qualibet cauſa ceſſerit de medio tollatur: & die quidē pro portis armatæ ſtationes diſponuntur, nocte autē per caſtella vigilare mos eſt,ſed & præter publicas cuſtodias aliquot in caſtris diſponere ,non erit inutile,ne quid tecti facinoris admittatur . Brutus enim ex captiuitate Græcorum quum pernotos ſibi vigiles euocaſſet totum exercitum ſnū in caſtra Græcorum induxit,hoſtéſque cōfecit: ideo prudētioribus conſuetū fuit vt circitores caſtris præficerēt,quos olim circuitores appellabant,qui vigilias circuirent ac renunciarent,ſi quos immerſe rit culpa vel aliquando per ſe vigiles reuiſere. Titus Hieroſolymorum obſidione primam vigiliam noctis per caſtra & caſtellorum ſpacia circuēs explorabat: ſecundā ſecūdo à ſe principi Alexandro permiſerat, tertiam agminum ducibus. Alcybiades Athenienſis ciuibus ſuis à Lacedæmoniis obſeſſis,veritus negligentiam vigilū,his qui in ſtationibus erant denūciauit ,vt lumem obſeruarēt quod

nocte

nocte oſtenſurus eſſet ex arce, & ad conſpectum eius ipſi quoque lumen attollerent, quo munere qui ceſſaſſet, pœnam paſſurum: dum ſolicite itaque expectaretur ſignum ducis, peruigilatum ab omnibus & ſuſpectæ noctis periculum euitatum eſt. Iphycrates Athenienſium dux, quum ſub aduentu hoſtiū ipſe vigilias circuiret, vigilem quem dormientem viderat teli cuſpide perfodit, quod inclemētius factum nonnullis increpantibus, Qualem inueni, inquit, talem reliqui. His itaque omnibus ſimul ſomnum & excubiarum & vigiliarum tempora buccinæ ſignificēt, nec quicq̄ præter ordinem ſine ducis geratur edicto: ſummo manè officiis ꝑ religione celebratis, mox milites ad centuriones, ad chiliarchos illi veniant, cum quibus ad ſummum omnium ducem vniuerſorum ordinum principes, quibus ille ſigna det, aliaq̄ pro negotio præcepta perferēda ſubiectis, quæ cum in acie fuerint recognoſcant: vt ſi res exigat incurſibus, itemq̄ reuocationibus vniuerſi obſecundent & pareant. Signum ab imperatore dandū quod deferant ſubiectis, quod nemo non ſciat in ordine conſtitutus, nemo ſciat externus, eiuſmodi eſt, quum quid memoriter tenēdum indicitur, vti in bello Marii, Bardeus: in Syllæ, Apollo Delphicus: in Cæſaris, Venus genitrix: Græcorum Chriſtianorum Kyrieleeſon & alia atque alia, prout cuique viſum eſt: id enim quo ſe hoſtibus diſcernant, maximi vſus in bellis eſt, ſiue in luce pugnetur, ſiue in tenebris. Nam ſi hoſtis in armis domeſticis latere velit, ſignum interrogatus ſocium vel hoſtem illico ſe prodit: id alii ſymbolum vocant, prabati auctores Liuius & Maro teſſeram.

Legationes cum hoſtibus ſi agendæ ſunt, quales eſſe debeant. Cap. V.

LEgationes cum hoſtibus ſi agendæ ſint, illud animaduertendum, vt hi mittantur qui aſtu vel multarum rerum cognitione hoſtium latebras atque conſilia metiri queant. Scipio enim Aphricanus occaſione mittendæ ad Syphacem legationis capto cum Lælio ſeruorū habitu, tribunos & centuriones electiſſimos ire iuſſit, quibus curæ eſſet regios viros inſpicere: qui vt liberius caſtrorū poſitionem ſcrutarentur, equū de induſtria dimiſſum tanquā fugiētem proſecuti, maximam partē circuierunt munitorum: quæ quum nunciaſſent, incendio confectum eſt bellum. Itidem Carthaginenſes miſere qui per ſpeciem legatorum Romæ morarentur, excipetent conſilia Romanorum. Cato autem Cenſorius poſtquā tres in Bithyniam legati Romæ delecti quorum articulari morbo & podagra vnus, capite alter vulneribus confoſſo, tertius vecordia laborare videbatur, ridens, Populus romanus, inquit, legationem mittit, quæ nec pedes, nec caput, nec cor habet. Apud eū populum autem legati ſi quando incogniti venire nūciabātur, primò quid vellēt ab exploratoribus requirebāt, poſtea ad eos egrediebātur magiſtratus minores, & tunc demum ſenatus extra vrbem poſtulata noſcebat: & ita, ſi viſum fuiſſet, admittebantur.

Qua cautione conſultationes cum hoſtibus habendæ. Cap. VI.

SI autem conſultationes hoſtiū admittendæ ſunt, qua cautione id fieri debeat, Cęſaris & Ariouiſti Germanorum regis monemur exemplo. Hi enim quum occurriſſet dies colloquii vtriuſque conſenſu indicta, placuit equitatu tantum armato conuenire. Cæſar quum ſalu-

tem ſuam non omnibus committere vellet, Gallis auxiliaribus equis ſubtractis, milites eis legionarios decimæ legionis, cui maxime propter virtutem confidebat, impoſuit, hos ducentis paſſibus ab Arioviſti præſidiis in tumulo collocans, vt ex equis colloquerentur, pari quoq; interuallo aberant equites Arioviſti: vbi verò inter loquẽdum, Cæſari nuntiatur Germanos adequitare lapidesq; & tela in ſuos coniicere, loquendi finem fecit, ſeq; ad ſuos recepit. Nam & ſi ſine vllo periculo decimæ legionis præſtantia hoſtes ſuperari videret, à ſuis tamen prælium committendũ non putauit, ne poſſet dici pulſis hoſtibus à ſe per fidem in colloquio circũuentos. Caſtris item & loco et manu munitis, ſi ex conſultatione ſimiliter cum hoſtibus agendum, ſapientis ducis eſſe ſtatuo, ne ſe incaute illis ingerat ad loquẽdum. Agrippa enim rex cũ Gamalẽſibus de traditione loqueretur, Veſpaſiano iubente, ad dextrum cubitũ lapide ictus ægre de medio ſublatus eſt. Titus quoq; ad Hieruſalem, quũ putaret Iudæos hominis gentilis oratione poſſe flecti, Ioſephum miſit oraturum, qui grauiter in capite ab eis ſaucius, niſi mature ab ipſo Cæſare in caſtra ſubreptus fuiſſet, oppetiiſſet.

Armorum hoſtilium ratio habenda. Cap. VII.

ADhuc armorum habenda ratio: eorum enim habitus pleriſq; gentibus alio atq; alio tẽpore noxius eſt, vti Numidis haſtilia telorum, quæ manu ſine amentis intorqueri ſolent, pluuiis ingruentibus lubrica ac per hoc inutilia fiunt. Scuta etiam quæ elephãtorum corio extẽto atque durato habilia & tuta geſtabãt, quorum ea natura eſt vt acceptũ imbrẽ tanquã ſpongia ebibant, ac per hoc intractabilia repẽtino põdere fiant, quia circunferri nõ poterant, defendere nequiuerunt. Orientales qui maxime ſagittis bella cõficiunt, oderunt ventos & imbres, qui inter illos pacẽ eſſe cogunt: proinde P. Scipio in Lydia quũ die ac nocte imbre cõtinuo vexatũ exercitũ Antiochi videret, nec homines tantũ aut equos deficere, verũ arcus quoq; manantibus neruis inhabiles factos, cohortatus eſt ſuos vt ſubſequẽti, quãquã religioſo, die committerent prælium, quam ſententiam ſecuta extemplo victoria eſt.

Multitudo partiũ ſpectãda, quia maximi exercitus præter hominũ opinionẽ à minimis fuſi ꝓfligatiq; ſint. Cap. VIII.

RVrſus in multitudine partiũ diſciplinæ ſtudium vel ratio vtriq; animaduertẽda, ne pugnantibus & diſciplinæ tenacioris militibus, rudẽ & indoctam multitudinem miſceas, putãs in vniuerſo exercitu, Xerxis exemplo, belli robur cõſiſtere. Hic enim præclarus Aſiæ rex cũ armatorum ſeptingenta milia Perſarum, trecentáq; de auxiliaribus præter claſſem maximam vixq; credibilẽ habuiſſe narretur, meritóque inopinato exercitui vix ad potum flumina, vix terra ad ingreſſum, vix maria ad curſum, cælum ipſum vix patere ſagittis putaretur, huic tã incredibili tẽporibus noſtris agmini, cuius numerũ nunc difficilius eſt aſtrui q̃ tũc fuit vinci, Leonidas rex Spartanorũ cũ quatuor milibus hominũ in anguſtiis Thermopylarum obſtitit, triduo cõtinuo manũ conſerens: quatriduo deinde cum iugi bello videret hoſtẽ vndiq; circũfundi, dimiſſis ſociis auxiliaribus vt ad meliora ſe tempora reſeruarent, hortatus Spartanos ſuos admonet de gloria plurimum, de vita nihil ſperãdum, neq; expectandum, vel hoſtem, vel diẽ, ſed occaſione noctis perrumpenda caſtra, commiſcẽda

miſcenda arma,conturbãda agmina fore,nũquãq; victores honeſtius q̃ in caſtris hoſtium eſſe perituros.Perſuaſit igitur plus ſe patriæ debere quàm vitæ,ac mori malle cum gloria q̃ ſupereſſe ſine.Mirum dictu,ſexcenti viri caſtra ſexcẽtorum militum irruperunt.Poſtremo inter ſtragem & cadauerũ aceruos,inedia,vigiliis,& labore longæ cædis feſſi,cũ duce ſuo multo cruore graues inuicti ęterna viuentes gloria cecidere. Xerxes verò eo tumultu terreſtri ac perturbatione territus,& à Themiſtocle nauibus quibus omne mare compleuerat ſpoliatus, incognitus & ſaucius fugit: nec aliter ſane,vt Satyrus inquit,q̃ vna naue cruẽtis fluctibus,ac tarda per denſa cadauera prora.Xerxes itidem à trecentes Lacedæmoniorum ad Thermopylas vexatus,cum vix eos confeciſſet,hoc ſe deceptum aiebat,q; multos quidem homines habebat,viros autem diſciplinæ tenaces nullos, vel q; pauciores: à xiiii.milibus Græcorũ,qui numerus in auxiliis Cyri aduerſus Artaxarxem fuit,centum milia barbarorũ ſuperata ſunt . Cyrus bello aduerſus Perſas,xiiii.milibus armatorũ immenſas difficultates ſuperauit. Alexãder Macedo,xl.milia hominum iam inde à Philippo patre tantæ diſciplinæ aſſuefecit, vt terrarũ orbem aggreſſus,innumeras hoſtium copias ſuperarit. Primo nanq;, cæteris omiſſis,Alexandri cum Dario rege congreſſu,ſexcenta milia Perſarum in acie fuere,quæ non minus arte Alexandri ſuperata,quàm virtute Macedonũ terga verterunt.In exercitum Alexandri cxx.equites,et ix.tantũ pedites defuere. Secundo prælio à Dario cum ccc. milibus peditũ & centum milibus equitum in Alexandrum pugna cõmittitur, quoad Darius fugeret & Perſarum cædes ſecuta: ibi enim tunc peditũ octingẽta milia,equitum x.milia cæſa ſunt,capta autem xl.milia fuere:ex Macedonibus verò cecidere pedites cxxx. equites cl.inter captiuos caſtrorũ, mater & vxor,eadẽq; ſoror,& filiæ duæ Darii fuere, quarum redemptionem Darius tum etiam oblata regni dimidia parte non impetraſſet. Tertio cunctis Perſarum viribus ſociorumq; auxiliis contractis,bellum inſtaurat ſpe pacis amiſſa,& cccc.milia peditum & c.milia equitũ Alexandro ab Aegypto reuertẽti apud Tharſum bello opponit:ſed Darius poſt anceps diu pręlium cum vinci ſuos videret,mori in bello paratus,perſuaſu ſuorum fugere compulſus eſt: quo prælio Aſiæ vires & regna ceciderunt, totusq; oriens in poteſtate Macedonum eſſe cœpit imperii : atq; ita attrita eſt in hoc bello Perſarũ omnis fidutia,vt poſt hoc rebellare auſus ſit nullus, æquoq; animo Perſæ poſt imperiũ tot annorum, iugum ſeruitutis acceperunt:in tanta malorum multitudine difficillima dictis fides,tribus pręliis totidemq; annis quinquies decies centena milia peditum equitumq; conſumpta,& hęc quidem ex eo regno illisq; populis vnde iã ante annos nõ multos plures decies nouies centena milia profligata referũtur.Epaminũdas Thebanorũ dux quatuor milibus hominũ,ex quibus quadringenti equites erant , Lacedæmoniorum exercitum vigintiquatuor milium peditum, equitum mille ſexcẽtorum,vicit.Mylciades Athenienſium dux in paucis ſuorum omnibus Perſarum copiis occurrens , prius hoſti cominus hæſit quàm poſſet ſagittarum ictibus propulſari : itaque in xi. milibus ſuorum, ducenta milia Perſarum occidit . Lucullus in Armenia cum decem milibus peditum & mille equitum aduerſum Tygranem , qui centum quinquaginta

milia hominum in expeditione haberet, nemine illorum ſuorum impetum ſuſtinente dum illos fugat, Romanos quinq; læto interceptos amiſit, hoſtium verò ſupra cẽtum milia occidit. Idẽ Lucullus trãſgreſſus Eufratem & Tygrim cum Mithridate & Tygrane cõgreſſus minima ſuorum manu magnum numerum hoſtium occidit, triginta milia hoſtiũ in eo bello cæſa referuntur. Tygranes vix cũ cl. equitibus aufugit, diademate ne agnoſceretur abiecto. Fabio Maximo, Decio Murena coſſ. quatuor fortiſſimi floretiſſimiq; Italię populi, Etruſci, Vmbri, Samnites & Galli in vnum agmẽ fœdusq; conſpirantes Romanos delere conati ſunt. Cumq; cũ Samnitibus & Gallis bellũ inirent, & in eo bello Gallorũ impetu Romani premerentur, Decius conſ. occiſus eſt. Fabius cum magna Decianę partis ſtrage vicit, eo prælio xl. milia Samnitum & Gallorũ cæſa. Romanorũ verò ſeptem milia, ex Decii tãtummodo parte qui occiſus eſt referũtur. Fuiſſe autẽ abſq; Etruſcis & Vmbris quos aſtu Romani bello auocauerũt Gallorũ & Samnitum peditum cxl. milia & cccxxx. equitum verò xlvii. milia Liuius refert, & carpentarios mille in armis cõtra aciem ſtetiſſe Romanam. A Romanis aduerſus Mithridatis exercitum in minore Armenia quadraginta milia hominũ cæſa vel capta ſũt, Romani vulnerati mille, vix autẽ quadraginta interfecti. A Romanis item penes Metaurum flumen victus eſt Haſdrubal capútque eius ante Hannibalis caſtra proiectum, deq; exercitu ſuo ſex & quinquaginta milia occiſa: capta autem quinq; milia & quadraginta cum ab exercitu Romanorum ſociorumq; octo fermè milia cecidiſſent. Cum Teuthones & Cymbri Italiæ plana peruaſiſſent, Marius & Catulus aduerſus eos miſſi ita pugnarunt, vt tanta tãque terribilis multitudo minima Romanorũ clade, ſua autẽ vltima internitur. tione cæderetur, cl. milia eorũ tunc in bello cęſa, quadraginta milia capta dicũ- L. Aemilio Catullo, C. Accilio Regulo coſſ. formidine magna conſternatus ſenatus defectione ciſalpinę galliæ, cum etiam ex vlteriore gallia ingens aduentare exercitus nunciaretur maxime Gerſatorũ, quod nomẽ non gentis ſed mercenariorum gallorum eſt, ita permoti conſules totius Italiæ ad præſidium imperii cõtraxere vires, quo facto vtriuſque cõſulis in exercitu octoginta milia armatorum fuiſſe referuntur, ſicut Fabius hiſtoricus qui eo bello interfuit memoriæ demandauit, quæ nec ſaltem tanta quanta eos terrere debuit, cæſa ſui parte, fugerunt, nam tria milia eorum tunc interempta hiſtorici tradiderũt, quod ideo ignominioſius turpiusq; eſt tam paucis amiſſis tanta agmina diffugiſſe. Sylla poſt partam Athenienſium vrbem cum Archelao conflixit. cx. milia cæſa, vix decem milia ſuperfuiſſe referuntur, hac comperta clade Mithridates lectiſſima ſeptuaginta milia militum in ſubſidiũ Archelao miſit ex Aſia. Secundo prælio ſexaginta milia ex his interfecta ſunt. Tertio bello omnes copię quas Archelaus habebat extinctę ſunt, nam viginti milia militũ eius in paludẽ pulſa quũ Syllæ fidẽ implorarent inſatiabili victoris ira interfecta ſunt, totidẽq; alia in flumẽ coacta ac necata, reliqui miſerorũ trucidati ſunt. Praſodes Perſa dux belli exercitum maximũ ad cc. milia hominũ coëgit, caſtriſq; in finibus Caduſiorũ poſitis Arſeum Medorum ducem ſe aduerſus cum octingentis milibus hominum profectum pugna inita ſuperauit, ad quingenta milia interfectis, reliquos extra

Caduſiorũ

Caduſiorū fines abigēs hac victoria inſignis à Caduſiis rex creatus in Mediam tranſit,omniq; prouincia vaſtata magnā gloriam aſſecutus eſt. Crotonienſes Italiæ quōdam potētiſſimi populi, bello ſunt à Locrēſibus fuſi, quāq; militum illis centūuiginti milia,his nō milia xv. modo eſſent. Heraclianus cui immēſam & ſatis incredibilē claſſem nauiū fuiſſe perhibent, quippe qui tūc tria milia ſeptingentas haberet, quē numerum apud Alexandrum magnū vel quenquā alium regem prꝫter Xerxē fuiſſe hiſtoriæ nō ferūt,ſimul vt cum agmine militū ad vrbem pergēs littore egreſſus eſt,occurſu comitis marini territus,& in fugam verſus, arrepta naui ſolus Carthaginem rediit, atque ibi conto militari interemptus eſt.

Obſeſſorum exploranda ſtudia. Cap. IX.

IN obſeſſis item ſtudia multitudinis exploranda, ſi enim diſſenſorum partes intercidant auditus, aperitur viro forti,dum trepidant,ait ille, nullo firmatæ robore partes Tolle moras ſemp nocuit differre paratis. Titus proinde dū Taricheas bello fugaſſet in ciuitatem,regreſſus aduenas cum indigenis diſſidētes audiens,mox armato milite ciuitatem ingreſſus obtinuit. Itidem ſi ad deditionem offeratur aſſenſus,cauendum ne ſententia plurimorum in dolo obtineat,P. Licinii proconſulis exemplo: nam quum pagos ſub ſpecie deditionis oblatos accepiſſet, qui in poſtrema recepti acie collocati ſunt,Romanorum terga ceciderūt: proinde Cæſar nunquā deditiiis credidit, niſi armis obſidibuſq; traditis, & ipſis ex nobilioribus lectis veluti filiis ac fratribus principum, numero pro amplitudine loci plerunque ad quingentos, quo & fidutiam hoſtibus adimeret & ſibi munimenta conquireret.

Quid agendum ſi oppugnari caſtra contingat. Cap. X.

SI oppugnari caſtra varia ſorte plerumq; cōtingat,qua id ratione fiat horū monemur exēplis. Scipio Aphricanus aggreſſus hyberna Pœnorum,caſtra atque munitiones nocte cōcubia fecit incēdi,Pœni trepidi quum caſu ignem accidiſſe vel affuiſſe putarent,inermes ad extinguendum aduolarunt,qui facile ab armatis oppreſſi ſunt, in vtriſque caſtris xl. milia hominū igni ferroque conſumpta,capta quinque milia, duces ipſi miſerabiliter aduſti ægre effugerunt. Craſſus ex ducibus Cæſaris hoſtium caſtra hac arte expugnauit, Ipſe in Aquitania res gerens,quum aduerteret hoſtes conſuetudine rei publicæ,loca capere,caſtra munire, cōmeatus ſuos includere, non cunctādum ęſtimauit quin pugna decerneret: hac re ad conſilium delata,quum omnes idem ſentirent,poſterū diem pugnæ conſtituit: prima luce productis copiis auxilia in mediam aciem coniectauit,ſicq; acie inſtituta,quid hoſtes conſilii caperent expectabat: illi etſi multitudine ſua & Romanorum paucitate tutò ſe dimicaturos arbitrarētur,tutius tamē eſſe rati ſunt,obſeſſis viis,cōmeatu interclu ſo,ſine vulnere victoria potiri: quòd ſi ſe Romani recipere cœpiſſent,firmiori animo ſub ſarcinis adoriri cogitabāt. Hac re pcepta,Craſſus cum hoſtiū cunctatione ſuos alacriores effeciſſet,ad hoſtium caſtra contendit: vbi quum alii foſſas complerent, alii telis coniectis hoſtes repellerent, auxiliares quibus non multum confidebat, lapidibus telíſque ſubminiſtrandis & ad aggerem ceſpitibus

deferendis conſtituit,quum his intenderet, equitesq; Craſſo renunciarent,nō eadem diligētia ab decumana porta caſtra munita,illi Craſſo iubēte, eductis quatuor cohortibus,quæ præſidio caſtris erant,in hoſtium caſtra peruenerūt:quúm que bellum anceps eſſet, & vltro citróque ferirentur,hoſtéſque per munitiones eiiciētes fugam peterent, equitatus eos apertis campis conſectatus ex hominum milibus quinquaginta vix quartam partem reliquit. Propter huiuſmodi caſus, animaduerto Cæſarem ſatis cauiſſe,ne caſtrorum munitionibus ampliores vnquam latitudines includeret, quàm ſuis copiis implere ſufficeret. Eidē vna conſuetudo etiam fuit, nunquam caſtra deſerenda eſſe,niſi cum munitionibus effractis, hoſtes vallo prohibere non poſſent: aſt eruptio quādo neceſſaria ſit ,Galba eiuſdem Cæſaris dux, documentum nobis ſit.Hic enim quū ad radices Alpium hyberna caſtra locaſſet, & commeatus cauſa plurima pars ſuorum abeſſet, Galli ſubito Alpium culmina occupare cœperunt: Rebus cognitis,Galba concilio conuocato perquirit,placet interim rei euentum experiri,&caſtra defendere. Tunc ſigno dato, hoſtes ex omnibus partibus concurrunt : hi quum primo integri viribus,& qua parte caſtra nudata defenſoribus erant,concurrentes auxilium ferrent , tandem hoſtium multitudine , & ſuorum paucitate, languidiores effecti ſunt: vallum hoſtes ſcindere , foſſam complere cœperunt, vt res ad extremum caſum perduci viſa ſit. Primorum ordinum principes ad Galbam conuenientes,experiri extremum remedium ſuadent, atque eruptione pugnare: principes ſuos ſubiectos centuriones faciunt vt pauliſper miſſa tela excipientes, ſeſe ex labore reficiant: poſtea verò ſigno dato, atque omnibus portis eruptione facta, nulla ſui colligendi facultas hoſtibus fuit: ſed circunuēti omnes,fuſiq; ſunt. Romani verò ſe incolumes receperunt. Aemilius ſimiliter Paulus vniuerſis Lyguribus ex improuiſo adortis caſtra eius , ſimulato timore diu militem continuit: fatigato deinde iam hoſte,à quatuor portis eruptione eueſtigio facta, ſtrauit, cepitq; Lygures . Titurius quoq; Sabinus aduerſus amplum Gallorum exercitum continendo militem intra munimēta,q; metuerit,ſuſpicionem eis præſtitit: cuius augendi cauſa per fugam,miſit qui affirmaret exercitum Romanorum in deſperatione eſſe, ac non niſi de fuga cogitare . Barbari oblata victoriæ ſpe concitati, lignis onuſti, quibus foſſas implerent , ingēti curſu Romanorum caſtra petierunt. Vnde in eos Titurius vniuerſas immiſit copias: multísque Gallorum cæſis ,plurimos in deditionem accepit.

Quòd rebus bellicis quiſquis finis obuenerit, nunquam negligendus. Cap. XI.

AD hæc rebus bellicis quiſquis finis obuenerit, nunquam is negligendus.Si enim pari ſorte diſceſſum eſt, paribus animis repetere licet : Si autē hoſtilis pars ſuperior ſit,rebus labentibus, & in fugam verſis,maturo conſilio ſuccurrendū eſt. Sertorius enim à Q.Metello Pio acie pulſus, quum neque fugam ſibi tutam arbitraretur,milites diſperſos abire iuſſit, admonitos in quem locum vellet cōuenire. Viriatus dux Luſitanorum Romanorum copias, locorúmque iniquitatem euaſit, eadē qua Sertorius ratione ſparſo exercitu primò, deinde collecto. Tryphon autem Syriæ rex victus,per totum iter fugiens pecuniam ſparſit: eúmque ſectantes Antiochi equites morando effugit.

git. Rex item callidus Mithridates, Romanæq; auaritiæ gnarus, quũ ſequentes moraretur, ſpargi ſimiliter à fugientibus ſarcinas & pecunias iuſſit. M. Marcellus coſ. quum in manus Gallorũ incidiſſet, omniáque infeſta videret, in medios hoſtium irrupit: quibus inopinata audacia exterritis, regem eorum occidit, atq; vbi ſpes ſalutis vix fuerat inde maxima ſpolia reportauit.

Quid agendum ſi bello pulſi munitionibus recepti ſint. Cap. XII.

QVòd ſi bello pulſi munitionibus recepti ſint, vbi deliberatiõe opus eſt, nunquam animus dimittendus: nanque Carthaginenſes quum Syracuſanos graues infeſtóſque paterentur, ab Athenienſibus auxilia impetrauere. Athenienſes magna claſſe inſtructa Lyſia & Lamacho ducibus, tantis viribus Siciliã petunt, vt ſuffragia ſua ipſi timerent: duobus pręliis ſecundis ſucceſſibus factis hoſtes in vrbem concludunt, & obiecta claſſe terra mariq; cingunt. Syracuſani fractis feſſiſq; rebus, auxilia à Lacedęmoniis petunt, à quibus mittitur Gylippus ſolus quidem ſed in quo omniũ præſidiorum inſtar præferebatur, qui veniens vt audiuit inclinatum iam belli ſtatũ, auxiliis contractis opportuna bello præoccupauit loca: deinde duobus præliis victus, in tertio Lamachum congreſſu occidit, hoſtes in fugam vertit, ſocios ab obſidione liberauit. Athenienſes nauali certamine congredi parant. Gylippus claſſem inſtructam à Lacedæmoniis accerſit, auxiliaq; ſociorum. Athenienſes prima cõgreſſione vincuntur, caſtra cum omni pecunia publica vel priuata amittũt. Sic Gylippus optimus dux licet bis victus, nec animo tamen conſternatus, nec fractus, in ſtatũ optimũ res reduxit; & ſi quidẽ viribus diſſipatis, nulla manus bello ſuperſit, hoc ipſum ſociis rei gerendæ occaſionem offert. Ariſtonicus Aſiæ rex Licinium Craſſum cum multis auxiliorum copiis bello obtinuit. Huic Craſſo Perpenna coſ. ſucceſſor veniens Ariſtonicum recenti victoria exultantẽ, improuiſo bello adortus, nudatum omnibus copiis in fugã vertit. Cumq; Stratonicen vrbem ad quam ille confugerat obſidione cinxiſſet, cruciatum fame ad deditionem coẽgit.

Quid agendum ſi hoſtes bello ſine munitionibus pulſi. Cap. XIII.

VErum ſi hoſtes bello ſine munitionibus pulſi fuerint, omnino inſtandum erit ad reliquias cœpti prælii conſumendas, vti Marius qui deuictis prælio Teutonicis, eorum reliquias quia nox bellum circumuenerat, continuis ſubinde circunſedens clamoribus, perpaucis ſuorũ perterruit, inſomnémque hoſtẽ detinuit, ex eo aſſecutus vt poſtero die irrequietum facilius hoſtilem debellaret exercitum: infinitã hæc negligentibus damna cõtigere. Ethius coſ. Romanus dum Hunnorum cẽtum octoginta milia vnius diei quota parte proſtrauiſſet, facillimúmque ſibi foret reliquos conficere, bellũ conſilio nimis imprudenti diremit, ac totius Galliæ excidium hoſte impunito reliquit. Par huic Pompeio contigit, quo ſibi ipſi mortẽ conſciuit. Nam cum Cæſar Torquatum eius legatum, legionemq; vnam vt expugnaret aggreſſus eſt, hoc periculo ſociorum Pompeius cognito, omnes eò copias contraxit, in quas ſe illico Cæſar omiſſa obſidione conuertit. Torquatus autem è veſtigio prorũpens auerſum inſecutus eſt: ita Cæſaris milites ancipiti periculo territi, ipſo Cæſare

fruſtra

fruſtra obſidente fugerunt,euaſit tamen Cæſar, quia nocte interueniente Pompeius proſequentem reuocauit exercitũ,qui Cæſaris teſtimonio victor tunc erat, cum diceret, Erat hodie profectò victoria apud hoſtes, ſéque tantum ea die ab eis potuiſſe ſuperari,ſi vincendi gnarum ducem habuiſſent: deniq; dilapſus contractis copiis cum Pompeium Pharſalicis campis viciſſet, fugientem inſecutus eſt,protinúſque obtinuit. In omnibus bellorum negociis ſemper in conſummationem intendebat,nil actum credens cum quid ſupereſſet agendum: ipſe nanq; cum Heluetiorum trecenta quinquagintaocto milia bello cecidiſſet,centum triginta milia quę ſuperfuerant nulla noctis parte itinere intermiſſo, die quarto in fines Lingonum peruenerunt, cum Romani propter vulnera & occiſorũ ſepulturam triduo remorati fuiſſent,Cęſar ad Lingonas literas nunciúmque miſit ne cõmeatu, né ve alia re adiumẽto illis eſſent: qui ſi iuuiſſent,ſe eos hoſtiũ loco habiturum. Ipſe autem triduo intermiſſo,cum omnibus copiis inſecutus eſt. Heluetii rerum inopia adducti, deditionem ſui obtulerunt, atq; ad pedes Cæſaris obortis lachrymis prouoluti pacem petiere: quibus cum obſides armáque tradere præcepiſſet,dum ea conquiruntur nocte intermiſſa ſex milia diffugerunt, quos ille inſecutus hoſtium numero habuit, reliquos in deditionẽ accepit ac ſuis locis reſtituit. Idem cum Belgas bello fugaſſet, illi in finibus ſuis pugnaturi domũ reuerti ſtatuerunt: quibus ſecunda vigilia profectionem parantibus,Cæſar veritus inſidias,quòd cauſam nondum cognouerat,exercitũ cõtinuit. Prima luce re ab exploratoribus confirmata,equitatum præmiſit qui nouiſſimum agmen moraretur,ipſe cum inſtructis legionibus inſecutus,tantam multitudinem interemit, quantum diei ſpacium ſufficit. Mox antequam hoſtes ſe ex fuga reciperent in fines eorum progreſſus,ſine difficultate vlla munitiones eorum obtinuit. Omni Gallia deuicta cum quædam ciuitates belli conſilia renouare nuntiarentur, in eorum fines exercitum traduxit,repentino eius aduẽtu accidit vt prius ab equitatu opprimerentur quàm diffugere in oppida poſſent. Nam & illud incurſionis ſignum quod incendiis ædificiorum fit, Cæſar edicto fieri vetuit, tum ne præcaueri non poſſet,ac ne pabuli frumentíque copia deficeret. Itaque Cæſar omnibus hoſtium conſiliis, magnis itineribus aduolando contendens, occurrebat, nec dabat vlli ciuitati ſpacium de aliena potius quàm de domeſtica ſalute cogitandi: hac celeritate & fideles amicos retinebat, & dubitantes terrore ad conditiones pacis adducebat.

Non eſſe multorũ ducũ ſentẽtia, pertinaciter neq; omnino uſque ad perniciem fugientibus inſtandũ Cap. XIIII.

EContra verò non eſſe etiam pertinaciter neque omnino vſq; ad pernitiem hoſtibus inſtandum, multorum ducum ſententia perſpicuũ eſt. Nanq; M. Licinius fuſo Haſdrubale, hortãtibus eũ quibuſdã vt hoſtem ad interemptionem vſq; proſequeretur,reſpondit, Aliqui vt ſuperſint qui de victoria noſtra hoſtibus nuntient neceſſe eſt. Scipio Aphricanus dicere ſolitus eſt,hoſti non ſolum dandam viam,ſed etiam muniendã. Pyrrhus quoq; Epirotarum rex inter cætera præcepta imperatoria memoriæ prodidit non eſſe pertinaciter neq; vſq; ad perniciem fugiẽtibus inſtaturos victores, quod ſtratagematis genus & ab ipſo, & ab aliis etiã pleriſq; clariſſimis ducibus

in ex

in expugnandis quouis modo hostibus obseruatum inuenio : ipse enim cum ciuitatem quandam accepisset clausisque portis ex vltima necessitate fortiter dimicantes eos qui inclusi erant animaduertisset, viam illis ad fugam dedit. Hannibal cum inclusi Germani ad Trasimenum acerrime pugnarent, deductis suorum ordinibus abeundi facultatem reliquit, abeuntesq; sine suorum cæde & sanguine strauit. Agesilaus Lacedæmonius aduersus Thebanos cum acie confligeret intellexissetq; hostes locorum conditione clausos ob desperationem fortius dimicare, suorum ordinibus aperta Thebanis ad euadendum via, rursus in abeuntes cõtraxit aciem, & sine iactura suorum cecidit. Aduersos ob desperationem fortius dimicare suos pontẽ irrumpere prohibuit, cum docuisset satius esse eum expelli ab Europa quàm cogi ex necessitate pugnare, misitq; idem ad eum qui indicaret quo in discrimine sua res sita esset, nisi fugam maturaret. Antigonus Macedoniæ rex ex Aetolis qui in obsidione ab eo compulsi fame vrgebantur statuerántque eruptione facta commori, viam fugæ dedit, atque ita fracto impetu eorũ insecutus aduersarios fudit. Titus eques romanus & cui duobus Scipionibus occisis exercitus imperium detulit, cum circũuenti ab eo Pœni ne multi morerentur acrius pugnarent, lassatis manipulis ex concesso fugæ spatio dissipatos sine periculo suorum trucidauit. C. Cæsar Germanos inclusos ex desperatione fortius pugnantes emitti iussit fugientêsque aggressus est. C. Manlius cõs. cum ex acie reuersus capta ab Etruscis Romana castra inuenisset, omnibus portis statione circũdatis inclusos hostes in eam rabiẽ efferauit vt ipse in prælio caderet: quod animaduertẽtes legati eius, ab vna parte remota statione exitũ Etruscis dederunt, & effusos persecuti occurrente altero consule ceciderunt.

Dolabra hostem esse uincendum nullámque rem summo duci magis conuenire quàm moram cunctationẽq;, nullam minus quàm festinationem ac temeritatem. *Cap.* XV.

ACcedit ad hęc Domitii etiam Corbulonis consiliũ, qui Dolabra hostem dicebat esse vincendum, quod multis non secus præclaris ductoribus id seruantibus in successum & nominis sui gloriã venit, & Fabio maximo imprimis. Nam cum aduersus Hannibalẽ missus nollet cum eo acie confligere, sed cunctando exercitum eius terere, qui tum pecuniæ tum annonæ premeretur inopia, per summa montiũ iuga & abditos nemorum saltus castra ponẽs Hannibalem sequebatur, & sese è latere egressus opponebat: cũmque à multitudine rideretur, & Hannibalis vocaretur pędagogus, id minimi pendens cogitatibus suis atq; consiliis vtebatur, & ad amicos sæpe conuersus dicebat, eum sibi timidiorẽ videri qui cauillationes conuitiaq; timeret, quàm qui hostẽ fugeret. Insuper cũ de collega Minutio quoniã hostes aliquot prostrasset magnus rumor esset, quasi vir esset romano nomine dignissimus, Magis se inqt secundam Minutii fortunã quàm aduersam pertimescere, paulóq; post cum in insidias incidisset Minutius & simul cum exercitu periret, vbi ipse auxiliũ tulit, tum magnum hostium numerum perdidit, tum illum seruauit, vnde & Hannibal victus & impetu suo fractus ad suos & amicos dixisse fertur, Nunquid non dixi vobis fore aliquando vt hæc montana nubes maxima nos in campo vi tempestatis obrueret? Eodem modo aduersus Philippũ Sertorius cum trans Hiberum

rum amnem ad eum conflueret vndique multitudo, & barbara turba quæ feritate & ſuperbia ſua cuncta turbaret,nec ducis iuſſum expectaret ſed temeritate in hoſtes ferretur, primùm rationibus & verbis inſtruere eos conatus eſt, deinde vt vidit eos nihilominus temere properantes, ſtatuit ſic eos obiicere hoſti vt non omnino frangerentur ſed vulnera acciperent,ſperans per hæc ipſis in reliquum tempus manſuetioribus vſurum .Geſta itaque re vt ipſe cogitauerat,opportune affuit,& fugientes ſuſcepit reduxitq; in caſtra, ac paucis pòſt diebus vt eorum mentes erigeret conſolaretúrq;,aduocata totius exercitus concione, duos equos in medium adduci iuſſit: alterum macie ſenióque confectum,alterum fortem & nitidum,caudamq; promiſſam habentem: aſtabat autem iuxta gracilem illum vir magnus & robuſtus admodum,iuxta nitidũ & præpotentem vir paruus & imbecillis: dato autem ſigno vir ille magnus vt ei mãdatum erat caudam vniuerſam gracilis equi ambabus manibus captam auellere temere ac vno conatu adnixus eſt,paruus etiã vir præpotẽtis equi caudam paulatim depilabat: tandem verò ille fruſtra ſimul totam caudã trahens, ſibi quidem moleſtias inanes, circunſtantibus verò riſum præbens defeſſus eſt: & ille paruus euellendo paulatim ſetas,caudam equi fortis ſpatio perbreui nudauit. Tunc aſſurgens Sertorius, Videtis,inquit,commilitones ingenium plus poſſe quàm vires,multáque quæ vño impetu ſuperari non poſſunt, ſenſim paulatímque ſuperari? Scipio iunior cũ effrenatã hoſtium demẽtiã eſſet intuitus,dicebat tẽpore ſecuritatẽ emi . Nam boni imperatoris veluti medici officium eſſe vt ferri curatione vtatur ad poſtremum. Veruntamen tempeſtiue adortus Numantinos, in fugam vertit: cúmque victos grauiter ſeniores ferrent,exprobrãtes quid eos fugiſſent quos toties fugaſſent,Numantinum quempiam dixiſſe fertur, Pecudes quoq; eaſdem nunc eſſe,at paſtorem alium.Proinde nullam rem ſummo duci magis conuenire quàm moram & cunctationẽ,nullam minus quàm feſtinationem temeritatémq;: his duabus maxime contrariis rebus omnes qui diuturno bellorũ vſu peritiſſimi hoc tempore iudicantur, magnis ,imo ingentibus te,Sigiſmunde Pandulphe, laudibus in cælum tollunt : vtpote qui duos florentiſſimos potentiſſimóſque regios apparatus mora ac celeritate protriueris. Alphonſum enim clariſſimum & illuſtriſſimum Taraconenſium regem cum plurimum vigeret,& Franciſci Sphortię ſoceri tui copias primo perſequeretur,tu pii filii functus officio,ſocerum gentéſque eius omnes intra munitiones phani fortunæ & mœnia poſitis caſtris recipiens,id mora cunctandóque aſſecutus es,quànquam hoſtes portas vrbis ſæpenumero excurrerent, obſeſſóque ſimilis viderére,vt & ſoceri tutela fueris,& huiuſmodi vires regis conatúmve omnẽ ſapiẽtia tua & animi magnitudine faciliter eluſeris,& irruptione tandem in eum facta, ex Piceni finibus exegeris: eundẽq; quinquennio pòſt Regem,Populonia expeditione,lõga & graui illius metatione aggreſſus,non armis & gentibus, ſed armorum vmbra potius,ignium nocturna ſignificatione illuceſcentium,tranſfugarúmque crebro rumore nuntiãtium, auxiliorũ populorũq; totius Hetruriæ tecũ,ne id oppidũ dederetur, cõfluentiũ, forti denique & animoſa repentináq; tuorum militum eruptione muros habentem exultantẽq; iamiam & ſpoliantem ,vno, vt ſic dixerim, non toto incurſu,

more

more fulminis obtriuisti,quòd vno eodemq; momẽto adiuisti, percussisti,abscessisti : nec vana de te prædicatio est,regem abs te antè victum esse,quàm visum: sicq;,quod paucis vnquam ducibus conduxisse accepimus,Fanestrium, Sphortientiúmque expugnatione ad agendum cunctatione , Populonia ad tuendum succurrendumque audacia,irruptione,ac festinatione vsus es.

Cauendum ne successu rei quispiam elatus ,in periculum perniciémque trahatur. Cap. XVI.

ET quanquam audentes deus ipse iuuat, vt Naso inquit, & vsu sæpenumero comprobetur,illud tamen summopere cauendũ est, ne successu rei quisquam elatus,in periculũ suorum pernitiémque trahatur. Hoc quidam imperatores consilium minime seruantes dum audacter magis quàm cautè feruntur in hostes, in magnam se ac suos ruinam clademq; propè miserabilẽ iniecerunt: quod si non aliunde constaret,Cyri potentissimi & preclarissimi Imp. ac Afrorũ monemur exemplis. Cyro enim Scythiam ingresso, Thomiris regina quæ genti præerat, transitum Araxis fluminis cum posset prohibere,transire permisit:primo, propter fidutiam sui , deinde propter opportunitatem obiecti fluminis & hostis inclusi. Mittit igitur tertiam partem copiarum cum filio ad insequẽdum hostem. Cyrus castra instructa vino epulisq; deseruit,quasi territus refugisset. Barbari quasi ad epulas inuitati,primò ebrietate vincuntur,mox reuertente Cyro vniuersi obtrũcantur. Thomiris exercitu ac filio amisso,vel matris vel reginæ dolorem sanguine hostium diluere potius quàm suis lachrymis parat . Diffidentia igitur dissimulata desperatione cladis illatæ,paulatim cedendo superbum hostem in insidias vocat, cui cũ inter montium angustias occurrisset, ducẽta milia Persarum cum ipso rege deleuit, addita super omnia illius rei admiratione,q; nec nuntius quidem tantę cladis superfuit. Aduersus Afros rebellantes Hannibal à Carthaginensibus missus cũ sciret gentem auidam esse vini, vinum quod illi erat in castris mãdragora permiscuit, cuius inter venenum & soporẽ media quædam vis est: tunc prælio leui cõmisso, ex industria cessit: nocte deinde intempesta,relictis intra castra quibusdam sarcinis,& omni vino infecto fugam simulauit: cúmq; Barbari occupatis castris in gaudium effusi medicatum vinum hausissent & in modum defunctorum strati iacerent, reuersus cepit eos & trucidauit . Idem cum sciret sua & Romanorum castra in eis locis esse quę lignis deficiebãtur,ex industria,regione deserta,plurimos armentorum greges intra vallum reliquit , quibus velut præda Romani potiti in summis lignationis angustiis insalubribúsque se cibis onerauerunt . Hannibal autem reducto nocte exercitu,subitò oppressit . Histri cum sequerentur Aetolos qui bellantes eos nuper adiuuerãt, initia pugnæ prosperа hosti fuerunt,eadémq; exitii causa. Nam cum Cn. Manilii castra cepissent optimæq; prędæ incubarent , epulantes & ludibundos plerosque ac vbi essent nescientes præ poculis Appius pulcher inuadit: sic cum sanguine & spiritu male partam reuo muere victoriã: ipse rex epulo, equo impositus,cum summa subinde crapula & capitis errore lassaretur, captũ sese vix & ęgre postquam experrectus est didicit.

De

De Conuiuiorum apparatu in castris uitando. Cap. XVII.

ACcurationes proinde cõuiuiorum & apparatus, nobiliſſimi duces caſtrenſibus prohibuere. Sic Maſiniſſam po. Ro. amicum centeſimum vitæ annum agentem, ſtantem vel ambulantem meridie ante tabernaculum ſolitũ cibos ſumere nouimus. Hannibal ne quam diei partem intermitteret, nõ niſi crepuſculo cœnabat. Scipionem & Alexandrum ſimplici pane in itinere cum amicis contentos fuiſſe tradũt. Vrius fortiſſimus dux romanus, qui validiſſimam Italiæ gẽtem, qui ditiſſimum Græciæ regem vicit, vt de eo ſcriptum eſt, Paruo quæ legerat orto, ipſe focis breuibus ponebat oluſcula. Eadem leguminũ ratio permultis placuit, quibus Seuerum principẽ inter tot diuitias vti ſolitum accepimus, ſingulas etiam delitias faſtidiẽtem Seuerum Septimium nobilem ducem legimus cum eſſet in caſtris. Nam cum vinum iuſſiſſet in expeditione neminem bibere, ſed aceto vniuerſos eſſe contentos, piſtoreſq; ſequi caſtra prohibuiſſet, buccellato iubens omnem militarem turbã contentam eſſe, ante omnes ipſe communi & militari cibo vſus, corámq; & ante papilionem, nec ſibi vnquam vel contra ſolem, vel imbres, tecti quæſiuit ſuffragia. Pompeius vero cum aduerſa valitudine laboraret, & vt turdo veſceretur medicus iuberet, illumq; ſui fruſtra tunc quærerent (erat enim præter anni tempus) dicerétq; quidam fore vt apud Lucullum turdi quem penes annum integrum nutrirentur inuenirentur, Ergo, inquit, ni Lucullus ſtuderet delitiis, viuere Pompeius non poſſet, ac dimiſſo medico paratu, facillimis vilibúsq; cibis vſus eſt. Iulio Cæſari facilitas circa victum tanta fuit vt cum appoſitis aſparagis pro oleo vnguentum inſtillaretur, idq; quamprimum animaduertiſſet facile commanducaſſet, increpuiſſetq; qui id moleſte tuliſſet. Milites eius radicem cuiuſdam herbæ euellentes, ea lacte commixta veſcebantur, factúmq; ex ea panem intra hoſtium ſtationes præcurrentes iaciebant, addebántq; ſe quamdiu herbam huiuſmodi terra nutriret, obſidionem Pompeii haudquaquam deſerturos. Eum autem panem eumq; ſermonem, ne hoſtium patientia ac pertinacia ſuorum animi frangerentur, aſportari in mediúmq; proferri vetuit Pompeius. Auguſto etiã quem minimi cibi fuiſſe conſtat, & ferè vulgaris, ſecundarium panem, piſciculos, caſeum manu preſſum ficúsq; biferas & virides placuiſſe legimus. Trans Rhenum etiam Tyberiũ, id vitæ genus obtinuiſſe ferunt, vt ſedens in ceſpite nudo cibum ceperit, ſine tentorio pernoctarit. Diuus Adrianus cibis caſtrenſibus, caſeo & larido in propatulo libenter eſt vſus, Scipionis Aemiliani, Metelli & auctoris ſui Traiani frætus exemplo. Cambyſi non prouiſis commeatibus, non exploratis itineribus, per inuia & arentia ſuum trahenti exercitũ, cum deeſſent neceſſaria, nec quicquam ſubminiſtraret ſterilis & inculta humanoq; veſtigio deſtituta regio, tenerrima primò frondium cacumina, deinde coria igne mollita neceſſitas cibũ fecit: poſtea cũ inter harenas, radices quoq; & herbæ defeciſſet, apparuiſſetq; inops etiã animalium ſolitudo, decimũ quenque ſortiti alimentum habuerunt: cúmq; partem exercitus amiſiſſet, partẽ comediſſet, timuiſſetq; ne vocaretur ad ſortem, proindeq; tunc demum ſignum receptui dediſſet, ſeruabantur interim generoſæ illi aues & inſtrumenta epularum camelis vehebãtur, cum ſortirentur illos

illos milites eius,qui male perirent peiusq; viuerent. Illud der ique, Sigiſmunde Pandulphe,nō ſiluerim,inter hæc ſumma ducum & imperatorū vitæ ornamenta tantā videri in te ſimilitudinem ac cōſonantiam vt nihil excogitari poſſit ſimilius,nihil maius dici,cū omne genus hoc hominū,ducum et imperatorum,laborum patiēs,vigiliarū,ſitis,inediæ et omnis anguſtiæ,imitādo aut æquaris aut exceſſeris.Quis.n.neſcit cū per omnem vitā nullum viliſſimi cibi genus aſpernatus ſis,vnà cum tuis militibus Populonia expeditione,non ſecundo,iſtorū more,non cibario tātum pane te vſum,ſed atro, ſed duro ſaxi inſtar virentiq; quadam lanugine atq; mucore, quē canes animalia ad cibū ſemper prona,ac iumēta ſingula faſtidirent?Prætereo glādes è ſubere quæ tibi tuisq; militibus in tanta famis acerbitate,tanquā ſapore & cōdimēto quodam immixto,opes regiæ vi debātur,taceo ſtagnantiū fontiū calentes ac ſulphureas aquas:& quanq̄ vini habendi facultas omnis abeſſet,ac eiuſmodi aquę nauſeam prius quandā afferrēt, quàm ſitim reſtinguerēt,nihil tamē tibi ac tuis cum omniū admiratione incolentium,viſum eſt vnquā illis aquis bibiſſe iocūdius. Maxime igitur rationis eſt bellicæ ſeſe deliciis continere,maxime rurſus in prædam leui momento non ruere,ambitioſa licet ac certa videatur:ſępenumero enim fit vt dum deliciis,dum exuuiis hoſtium,dumq; ſpoliis miles occupatur,hoſtem in ſe reuocet,ſicq; quàm multos præclaros duces cum ingentia prælia maximosq; exercitus cōfeciſſent, huiuſmodi rerum voluptate ſubactos confectóſque fuiſſe.

Quæ uſui uideātur utrinq; ad danda uel euocanda ſubſidia, ſi exercitum noſtrum caſtris aut locis munitis obſideri contigerit aut alios obſidere, deq; notis militaribus, quóue tempore qui notarij appellantur denominationem acceperint. Cap. XVII.

SAne poſt haſce quas modo diximus bellorū rationes, ſi exercitū noſtrum caſtris aut locis munitis obſideri contigerit,aut alios obſidere, quæ vſui videātur vtrinq; ad dāda vel euocanda ſubſidia, vel certe ad hoſtiū artes clādeſtinis cōſiliis & rationibus deprehendendas,nō erit inutile ſcire,& maiorū exēplis euoluere.Cicero Cęſaris dux caſtris hybernis obſeſſus,nuncios attētius de ſtatu rerū ſignificare cupiens,mittit ad Cæſarē,et cum aliqui in hoſtiū manus lapſi et ſub oculis ſuorū crudelibus ſuppliciis affecti,reliquos merito terrore cōpleuerint,inuētus eſt tamen ſeruus vnus ex Gallia qui libertate et magnis præmiis & pollicitationibus literas iaculi amēto inſertas,quia gallus et gallis minime ſuſpectus, tulit ad Cæſarē. Illius ergo ſolicitus Cęſar,gallum equitē quendā ꝓmiſſis ingētibus impellit,vt literas ſuas ad Cic.referat, & ſi caſtra ingredi nequeat,alligatas iaculo intra vallū iaciat: paret ille, & ad caſtra cum veniſſet,accedere metuēs,vt iuſſus erat literas iaculatur,quæ caſu quandā in turrim inciderūt,neq; à quoquā ante diem tertiū viſę ſunt. Tunc cōſpectæ à quodam milite detrahuntur et ad ipſum cui inſcriptæ erāt Ciceronē perlatæ,atq; in concilio militū recitatæ,magna omnes fiducia & gaudio repleuere. Erat autem perbreuis epiſtola,ne à barbaris poſſet intelligi,literis græcis in hanc ſentētiam perſcripta. Ego iam cum legionibus iter arripui, confeſtimq; adero: tu virtutem tuam priſtinam vt retineas quæſo. Vale.

Ioſephus velleribus ouiū nūtios tegēs,multo tēpore vigiles Romanorū fefellit,

ſpecie canum deceptos. Fuerunt qui inflatis vtribus literas intus inſutas habentibus per nunciũ mitterent, qui cruribus velut gubernaculis curſum dirigentibus,procul aſpiciẽtes qui in caſtris erant maxime ſpecie belluæ deciperẽt. Arpagus occaſionẽ vindicandæ iniuriæ quęrens,literas Cyro nepoti apud Medos in exilio demorãti, exenterato lepore per ſeruũ miſit, rete quoq; deferre iuſſit, quo ſuſpicionẽ viarũ cuſtodibus vmbra venatus auferret, factũq; eſt vt ſecrete hinc inde miſſis epiſtolis,Cyrus auũ Aſtyagẽ regno & Cyro & Medo priuaret.Non nulli vaginarũ interiora ſcripſerũt, arũdine alii dolonibúsve & baltheo, alii clãdeſtinis nũtii ſui corporis iumentorũq; ſuorum partibus circũplicatam mittunt epiſtolã.Columbæ quoq; internunciæ in magnis rebus fuere, epiſtolas annexas collo vel earũ pedibus,obſidione Mutinenſi Hyrcio cõſule ad Decium Brutum: ac Decio Bruto rurſus ad Hyrciũ mittente,vbi diſpoſito cibo quibuſdã eminentiſſimis locis,colũbas tenebris prius incluſas & fame plurima affectas illinc inde volare inſtituerãt.Cæcilius Volateranus equeſtris ordinis,hirũdines cõprehẽſas in vrbẽ ſecũ afferens, victoriæ nuncios amicis mittebat in eundẽ nidũ remeantes. Tradit Fabius Pictor cũ obſideretur pręſidiũ Romanorum,à Lygurtinis ad ſe allatis lino ad pedes alligato nodis ſignificare,quo die adueniẽte auxilio eruptio fieri deberet. Eſt literarũ græcarũ vſus inter Latinos, Latinorũ & aliorum inter Gręcos.Gręcis.n.literis ſcriptas epiſtolas Symmachus Dionyſio regi mittens,patefacit Carthaginenſes duce Hannone ad bellũ arma parare,ob quã rem inſidiis cognitis,Carthaginẽſes edicto publico vetuere ne quis ſuorum gręcè loqueretur aut ſcriberet. Eſt Aegyptiorũ quoq; vſus,atq; qui hunc ſequũtur, varias animaliũ ſpecies pro literis notant eorũ more. Non enim ſyllabarũ compoſitione aut literis verba eorũ exprimũtur,ſed imaginũ huiuſmodi forma,earum ſignificatione vſu memoriæ hominũ tradita.Nam vt Lucanus inquit, Nondum flumineos mẽphis contexere biblos Nouerat, & ſaxis tãtum volucresq; feræq;, Sculptáq; ſeruabant magicas animalia linguas: vt & in obeliſcis adhuc Romæ ſtantibus eſt videre. Per vulturẽ nanq; naturæ vocabulũ indicant. Nam mares nullos poſſe inter huiuſmodi volucres inueniri phyſici tradũt: ac per ſpeciem et figuram apis mella cõficientes regem,aculeosq;: per accipitrem rẽ denotant cito factã,quoniam hæc aliarũ fermè omnium auis ſit velociſſima,tranſfertúrque hæc notatio ad domeſticas res quę velociter fiant. Crocodilus malũ ſignificat: dracone autẽ caudã ſuã mordente et in ſeſe recurrẽte,annus per eoſdem indicatur,ſicut apud noſtros clauum indicẽ annorum numeri fuiſſe,diligẽs taliũ modo numerorũ auctor Cincius affirmat.Leonis etiam capite apud eos mõſtratur præſens tẽpus,quia conditio eius inter pręteritũ futurúmq; actu præſenti valida feruensq; eſt: ſed præteritũ tempus lupi capite ſignatur, q; memoria rerũ tranſactarum rapitur & aufertur.Canis itẽ blandientis effigies futuri tẽporis deſignat euẽtum,de quo nobis ſpes licet incerta blanditur. Terram inſuper Aegyptii ſignificare cum volunt,bouis figurã ponũt.Oſirim cum ſolẽ eſſe aſſerũt,ſceptrum ſculpũt: inq; eo ſpeciem oculi exprimunt: & hoc ſigno Oſirim mõſtrant,ſignificantes hunc deũ ſolem eſſe,regaliq; poteſtate ſublimẽ cuncta deſpicere, quia ſolem Iouis oculũ appellauit antiquitas.Oculus itẽ iuſticiæ ſeruatur,& totius corporis

poris interpretatur cuſtos : reliquarum corporibus partiũ dextra manus dgitis paſſis liberalitatẽ deſignat, ſiniſtra verò cõpreſſis tenacitatem atq; auaritiã : eodem modo & cæterarũ corporis partium figuræ atq; inſtrumenta aliquid certũ notabãt,quę memoria hominũ longa ac meditatione obſeruata,è veſtigio quid ea exprimerent internoſcebãt. Sunt & iuris militaris notæ,de quibus dicere neceſſarium eſſe duximus: in breuiculis enim quibus militũ nomina inſcripta cõtinebantur apud veteres,quo inſpicerẽtur quanti ex militibus ſupereſſent,quantiq; in bello oppetiſſent: T. litera in capite verſiculi poſita ſuperſtitẽ deſignabat, Thita verò defunctũ vnde illud, O primũ ante alias infœlix litera Thita. Cum autem imperitiã ſignificare vellent,huiuſmodi nota, A, vſi perhibẽtur: cum verò ſilẽtio quid agendũ,S. Notas etiam literarũ inter ſe veteres factitabant imperatores ac magiſtratus, vt qcquid occultè inuicem in ſcripturis ſignificare vellent,mutuò ſcriberẽt, cęteris ignorãtibus quidnã eiuſmodi ſibi literarum vellet ordo: huius rei teſtes ſunt libri epiſtolarum C.Cæſaris ad C. Oppiũ,& Balbum Cornelium,quibus rerũ gerendarũ eius in remotis pręſentiã exhibere cura erat. In eiuſmodi.n. epiſtolis inuenire erat literas abſque vllo ſyllabarum coniugio, cum occulto tamen ipſarũ literarum permutationis ordine,vt in ſcriptura quidem alterius altera & ſitum & nomẽ occuparet, vt in Bartus & Felipo vocabulis,his ad cuiuſq; notãdi nominis integritatem literis quæ deeſſent ex reliquo elementorum numero ſuperadditis,aliiſq; pro ſcribentiũ arbitrio nihil ſignificantibus. Iulius itẽ Cęſar in his quæ aperta non omnibus eſſe voluit,per notas ſcripſit,atq; eo elementorũ ſitu vt dictio nulla cõponi quiret. Hũc verò literarũ ordinẽ ſi quis imitatione dignũ cenſeat,D pro A,et ſic deinde reliquis cõmutabit & trãſferet.Super eodẽ Auguſti quoq; Cęſaris ad filiũ extat epiſtola in hũc modũ: Quoniam quidem innumerabilia aſſidue quę ſcribi alterutrũ oporteat,et ea ſecreta habeamus inter nos notas,ſi vis,tales vt cũ nobis aliquid ſcribendũ erit,pro vna quaq; litera ſcribamus ſequẽtem hoc modo,B pro A. C pro B,ac deinceps eadẽ ratione cęteras,pro Z,litera redeundum ad duplex A A.Sed & ipſa charta in ratione eſt: Ea enim ſi ſucco cæpæ inſcribatur,igni oppoſita reddit literas. Tithymalli quoq; quã noſtri lactariam herbã,alii lactucam caprinã vocant,albiſſimo ſucco inſcripto corpore cum inaruerit, ſi cinis ſpargitur apparere literas,& eis quidẽ alloqui maluiſſe veteres quàm codicillis . Simili modo alii alios fallunt,lacte recenti chartis inſcriptis,fathiſcentibus deinde literis,aſperſę carbonis puluiſculo,quales apud ingenioſum poëtã in ſua re militari dicentem inuenies: Cum poſſit cruri chartas celare ligatas,Et iuncto blãdas ſub pede ferre notas,Cauerit hæc cuſtos, pro charta conſcia tergum Præbeat inque ſuo corpore verba ferat. Tuta quoq; eſt fallitq; oculos è lacte recenti Litera carbonis puluere tange leges. Fallit et humiduli quæ fiet acumine lini, Efferet occultas pura tabella notas.Chartam alii callidiſſimo aſtu nullius momẽti verbis de rebus ſeriis ac familiaribus atramẽto primũ inſcribunt,cũ alia quę cupiũt eſſe ſecreta vrina notẽt: quę deſiccata vt intuentiũ oculos fallit,cum literarũ perſpicue etiã intuentibus nihil cõſpiciatur: ſi ſic igne caleſcat,literas oboriri vndiq; ac legi poſſe non dubiũ eſt. Legimus quoq; Demaratũ lacedęmonio regno pulſum et apud Per-

ſas degentem, paratum exercitum contra Græciam à Xerxe Perſarū rege Lacedęmoniis callido ſtudio patefeciſſe; ſcriptas nāq; tabellas ſuperducta receti cera texit, eaſdémque per ſeruum neſciū facti miſit: delatæ autē magiſtratibus ſtuporem attulerunt: ſcriptum enim videntes, nihil quàm deluſionem eſſe putabant: alii mittentis ingenium ſuſpicati ſunt, ac eo rem maiorem quo eſſet occultior arbitrati ſunt, demum rem omnibus dubiam Leonidæ regis ſoror aperuit: ceræ enim tegmine abraſo et ſublato, literas occultas inuenit, ac Xerxem vii milia trecentaq; de auxiliis regno armaſſe. Nec aliter Pœnorum quiſpiā à Carthaginenſibus miſſus ad conſilia hoſtium exploranda, fingēs ſe patria pulſum militemq; ſe expeditionis offerens, pugillaribus vacuis noua deſuper illita cera ciuibus ſuis omnia perſcribebat. Quidam barbarica calliditate & aſtu plusq; punico vſi, abraſa hominum capita inſcribunt, domiq; quàmdiu capilli frutificent eos obſeruant, qui tandem ad amicum ſecreti illius conſcium miſſi abraſiq;, deliteſcētes crinibus literas produnt. Lacedæmonii autem & Ephori cū reipub. ſecreta nō omnibus eſſe communia, literis publicis aut ad claſſis præfectos aut ad imperatores ſuos miſſis volebant, ne ſi in manus hoſtium inciderent, arcana publica proderentur, ea hoc modo in ſcripta mittebant, Haſtilia duo teretia erant eadem longitudine, pari craſſamento, ornatúque conſimili, adeò vt viciſſim coniuncta cōgruerent: ex his alterum cum domi ſibi reſeruent, alterū tribuant præfecto vel imperatori in bellum deſcendenti, cum arcanum quicq; & arduum inſcribere cupiunt, chartam lori inſtar prolixam & anguſtam haſtili ſuo circumplicant & inuoluunt, nullum oris cohęrentibus facientes interuallum, haſtilis ſuperficiem vndique charta occupāte: quod vbi factū eſt, in circumplicata charta per tranſuerſum iuncturarum, verſibus à ſummo ad imum proficiſcentibus, deſcribunt: dempto dehinc codicillo ad præfectum vel imperatorem commenti illius conſcium abſque ligno ſcriptā mittunt: quæ cum is accepit & lectione nihil valeat, literis truncis & mutilis & ita vndique hinc deinde ſparſis & diſſipatis, vt nullius prorſus ſenſus coniecturā habeāt, ſuo quod penes ſe habet ſumpto haſtili, codicillum ſic præciſum à ſummo ad imū, vt fieri debere ſciebat, circumplicatum inuoluit, adeò vt eiuſmodi circunductione ſimilem in ſeriem conſtituta verborum continuatio reperiatur. Eſt & circa perſcribendas voces, vel paucioribus literis notandas ſtudium neceſſarium: quod partim prout cuiq; viſum eſt fit, partim pro vſu publico & obſeruatione communi. Nanque apud veteres cum vſus notarum nullus eſſet propter ſcribēdi facilitatem, maxime in ſenatu, vt hi qui ſcribendo aderāt celeriter dicta comprehenderent, quædam literis notabant, & ſingulæ literæ quid ſignificarent in prōptu erat. Hoc modo vnicam Catonis orationem vt de coniuratis ſupplicium ſumeretur ſeruatam, & literis demandatam ferunt Cicerone conſule velociſſimos ſcriptores diſponente, atque docente vt per ſigna quædam breuesq; notas huiuſmodi multarum literarum vim habentes dicta colligerent, quo tempore nondum reperti erant hi qui notarii appellabantur: ſed tunc primum huius rei veſtigia ferunt extitiſſe, auctoréque ad Lucilium Seneca, viliſſimorum mancipiorum commēta fuiſſe hanc. Itaque publicam et occultam literarum ſignificationē quę in monumentis veterum

terum curiarum,tribuum,comitiorum,poteſtatum,magiſtratuum, præfecturę, ſacrorum ludorum, rerum vrbanarum, rerum militarium, collegiorum, decuriarum, faſtorum, numerorum, menſurarum, hiſtoricorum denique & oratorum libris ſparſim reperitur, qui latius & vberius ſcire volet, Probi Valerii grammatici, Tullii Tyronis, Ciceronis Liberti, Philargii Samii, L. Annei Senecæ, & Petri Diaconi commentarios de ea re ſatis curioſe conſcriptos inquirat. Sunt & aliæ quædam digitorum notę, & oculorum, aliarumve partium quibus ſecum taciti, procuĺq; diſtantes colloquuntur: ſicut militaris etiam mos eſt, vt quotiens conſentit exercitus, quia voce nō poteſt, manu promittat. Alii quia voce non poſſunt, gladiorum motu ſaltant. Ennius de quadam impudica, Quaſi in choro pila ludens, datatim dat ſeſe, & communem facit, alium tenet, alii nutat, alibi manus eſt occupata, alii peruellit pedem, alii dat anulū, alium inuocat, cum alio cantat, attamen aliis dat digito literas. Ouidius ſimiliter more maiorum apud quos hoc loquendi genus frequentiſſimum fuiſſe comperio, impudicam aliā & amicā ſuā his notis & nutibus monet in virum,

Cum premit, inquit, ille thorum vultu, comes ipſa modeſto
Ibis vt accumbas, clam mihi tange pedem.
Me ſpecta nutusq; meos vultúmque loquacem,
Excipe furtiuas & refer ipſa notas.
Verba ſuperciliis ſine voce loquentia dicam,
Verba leges digitis, verba notata mero.
Cum tibi ſuccurrit veneris laſciuia noſtrę
Purpureas tenero pollice tange genas.
Si quid erit de me tacita quod mente loquaris,
Pendeat extrema mollis ab aure manus.
Cum tibi quæ faciam, mea lux, dicámve placebunt,
Verſetur digitis annulus vſque tuis.
Tange manu menſam, tangunt quo more precantes,
Optabis merito cum mala multa viro.

Idem poëta laſciuiſſimus alibi & impudicā aliam & amicā ab alio corruptam,

Ipſe miſer vidi cum me dormire putares
Sobrius appoſito crimina veſtra mero.
Multa ſupercilio vidi vibrante loquentes,
Nutibus in veſtris pars bona vocis erat.
Non oculi tacuere tui, conſcriptáq; vino
Menſa, nec in digitis litera nulla fuit.
Sermonem agnoui quòd non videatur, agentem,
Verbáq; pro certis viſa valere notis.

Finis.

ROBERTI VALTVRII

AD ILLVSTREM HEROA SIGISmundum Pandulphum, de re Militari Liber Octauus.

Vocabula rei Militaris, publici honoris prisca atque præclara. Cap. I.

VAnto ingenio ac studio, Sigismũde Pandulphe, apud plerosque sparsim publici honoris rei militaris principatuum magistratuúmque mentio habita sit, tanto labore sum prosecutus eorum vocabula, origines, & officia, locis permultis sic diffusa in vnum hunc sequentémque librum, quasi vnum in corpus redigens, ne quid tuæ cognitioni professioníque deesset, quod dignum scientia videretur. Et quoniam regia quidem dignitas ex augurali familia primùm constituta, suprema est omnium dignitatum humanarum, poëtæ veteres Iouem non imperatorem appellant sed regem, tribuentes deo id nomen quod est apud homines maximum atq; amplissimum. Respub. ciuitates, & gẽtes, tanquã omnium supremi, ac dii quidam inter homines excellentes bonitate, sapientia, & virtute reges rexerunt: sicq; reges à regendo & recto, quod reges maximè decet dicti, non vt quorundã temeritas vsurpauit à regnando. Horum plura sunt genera, nec est regũ omniũ modus vnus potestatis. In Lacedæmoniorum enim repub. videtur esse maximè secundum leges, neque enim potestatem habet omnium, sed cum egreditur extra regionem, imperium habet eorum, quæ pertinẽt ad bellum, præterea sacrificia deorúmq; cerimoniæ ei commissa sunt. Hæc igitur regia potestas, est quasi auctoritatem belli perpetuam habere: vitæ enim necísque alicuius non habet potestatem, nisi dum bellum gerit, vt ẽtiam apud antiquos fuisse videtur, quod ostẽdit Homerus. Nam Agamemnon in concionibus maledictis & iurgiis vexabatur, sed cum à concione digressus in prælio erat, occidendi habebat potestatem. Est alia insuper species regni, qualia sunt apud quosdã Barbaros regna vim habẽtia proximã tyrannidi, licet sint legitima & secundum morem patriæ: ob id enim quia magis aptæ sunt ad seruiendum nationes Barbarorum, quàm Grẹcorum; & eorũ qui incolunt Asiam, quàm eorũ qui Europã, perferũt seruile iugum æquo animo. Tertia est speci es vt antiquitus in Græcia fuere, quos vocabant Esegetas: est enim hæc vt simpliciter dicamus electiua tyrannis, differens à Barbarica, non eo quòd legitimæ, sed eo quòd non consuetæ: potestas autem huiusmodi aut viuente durabat, aut tempore aut rebus gestis finiebatur, qualem elegerunt quandoque Mitilenei Pittacum aduersus exules suos. Quarta species est quales erant heroicis temporibus spontaneæ, & secundum morem & legem: propter beneficia enim à primis collata in populos, vel per partes, vel per bellum, vel per congregationem in vnum, vel per acquisitionem regionis, delatũ fuit eis regnum de populorum voluntate,

&

& ſucceſſoribus,id erat ſecundum patrię morem: ſecundum patrium etiam morem apud Taprobanem,alterum terrarum diu exiſtimatum orbem,eligi regem à populo,ſenecta,clementiáque inſigni,liberis carentem ſolere,cæterum ſi poſtea gignat abdicari,ne fiat hæreditarium regnum:rectores quinetiam ei dari à populo xxx,nec niſi plurium ſententia quenquam capite damnari: ſic quoq; appellationem eſſe ad populũ,lxx iudices dari,ſi libertus:ſi rex,amplius triginta. Ex Aphricæ quadam etiam parte ſunt,qui ſecundum morem canem pro rege habent,motu eius impia augurãtes. Primo autem regia poteſtas fuit apud Cretam teſte Ariſtotele,Diodoro licet vbinam cœperit incompertum ſit, cum nulli omnino hiſtorici eam tradant. Illam poſtea ſuſtulerũt imperio in bello ad Coſmos tranſlato: ad alias deinde atq; alias nationes defluxit,inter ſe habitu,cultuq; diſtantes,vt ad Perſas,à quorum regibus mos erat thiaram geri , in cuius ſummitate gemma erat permagna & lucens in auro illigata . Aegyptios verò apud reges mos erat, aut leonis, aut tauri , aut draconis priorem partem in capite ferre, inſignia principatus: quandoq; verò arborem,aliquando ignem, quandoq; redolentia ſupra caput vnguenta. Aethiopum reges ſceptrum in aratri formam gerunt,ac pileos oblongos circa finem,vmbilicum habẽtes ſerpentibus,quos aſpidas vocant circumuolutum,monumentum inſigne, eos qui contra reges inſurgere audeant,mortiferis morſibus ſubeſſe. Apud Romanos autem inſignia erãt Sella currulis & Trabea: iuxta maroneum illud,

Et Sellam regni Trabeámque inſignia noſtri.

Nam diadema vt aliarum gentium reges,primò non habebãt: cæterum haſtis, quas Græci ſceptra dixere,pro diademate vſi perhibentur: atq; hæc apud excellentiſſimũ quoq; vatem Homerũ non omnes reges à Ioue ſumebant , ſed ſolum qui bonum & qui ſummum ſtudium adhiberent vt ſubditi quàm beatiſſimi eſſent. Hæc diuerſa regum inſignia,tum ad decorem ſpectabant,atq; ornatũ, tum ſtuporem ac ſuperſtitionem quandã aſpicientibus iniiciebant . Ad poſtremum quoniam rex in tyrannũ,regni tranſgreſſione prolabitur , tyrãnuſq; & rex non nomine ſed factis diſtant auctore Seneca,fit vt regis appellatio quandoque in tyrannum cadat,tyranníq; in regem: inde eſt illud,

Quo potuit ciuem populus perducere liber

Aſcendi,ſupraq; nihil niſi regna reliqui: & illud,

Spes mihi pacis erat dextram tetigiſſe tyranni.

Interregnum deinde appellatum id tempus quo regia vacabat ſedes: nam cum primùm initum eſt poſt Romulũ regem vita functum , totus ille annus per quinos dies cẽtum ſenatoribus deputatus eſt, decem decuriis factis ſinguliſq; in ſingulas decurias creatis,qui ſummæ rerum pręeſſent,ne aliquis ſub ęquali dignitate romani expers remaneret imperii: decem itaq; imperitabant, & vnus dũtaxat qui & lictores haberet,dicẽdíque iuris poteſtatẽ, ac regis & imperii inſignia,idq; imperium quinque dierum ſpacio finiebatur, ac per omnes in orbem ibat , annuúmque interuallum regni fuit id,ab re quod nunc tenet nomen interregnum appellatum . Huc accedit quòd etiam ſub conſulibus prædití imperio conſulari ſi quando interregnum initum eſt,interreges fuerũt, nec unquam ita vacua

fuit

fuit hoc nomine respub. vt nullus interrex biduo saltē triduóve crearetur. Video mihi hoc in loco posse obiici currules magistratus apud maiores nostros quadriennīū in repub. non fuisse, sed erant tribuni plebis cū tribunitia potestate quę pars maxima regalis imperii est, tamen nō est proditū interreges eo tēpore non fuisse, quin etiam verioribus historicis referētibus declaratū est, consules ab interregibus procreatos qui haberent reliquorum comitia magistratuū. In hoc autem regis delectu decreuerunt vt cum populus regem iussisset, id sic ratū esset si patres auctores fierent: tum interrex cōcione vocata, Quod bonum, faustum, fœlixq; sit, inquit, Quirites regem create, ita patribus visum est: patres deinde si dignum qui secundus à Romulo numeretur crearitis auctores fient. Dictator Etrusco more creatus, tremēdus profectò magistratus atq; seuerus summæq; potestatis erat, quippe quòd cęteros omnes magistratus dissolueret pręter tribunitiam potestatem, auctore Plutarcho, quodq; dicto eius parèndum esset, nec ab eo ad populum vti à consule prouocare liceret: insignia erant huic consularia omnia, ac speciem quodammodo regiæ potestatis præferebat: verùm rege existente coss. prætores ac cęteri magistratus in repub. manere nō poterant. Dictatura autem simulac inducta fuerat in rempub. cæteri magistratus omnes interibant, & abrogati per creationē dictatoris præter tribunos plebis censebantur: & in hoc differebat dictatura à rege, quòd rege regnante tribunitia potestasq; plebis auctoritas omnis omnino soluebatur: dictatore manente, plebis plebeiq; magistratus vim auctoritatémque suam retinebant. Dictator idem nec alio quidem pacto creari consueuit siue ad bellum designari, quàm cum vis aliqua maior de improuiso oborta, ingentem vrbi cladem minitare videretur, sicq; duos quondam vno tempore in vrbe fuisse dictatores, quòd immoderata fors, necessitas, & tempus effecerunt xxiii. vrbis cōditæ, auctor est Liuius. Huic equitare fas non erat, sed veteri lege prohibitum, siue quòd maiores vires inesse pedes manum conferere debentibus arbitrarētur, siue propter hoc imperatorē in phalange permanere oportere nec locum deserere, siue quòd ad alia etiam tyrannica magnaq; sit principatus potentia. Fabius autem dictator designatus magistrum equitum, L. Minutium primùm à senatu petiit, vt equo vti sibi dictatori liceret. Præterea eum quem nos dictatorem diximus, in historiis ita nominari, legimus apud antiquos magistratum populi vocatum, posteáque in auguralibus libris ac in bonorū finibus scriptum esse, & Cicero, & Seneca ad Lucilium clari testes non desunt, testimoniumq; est quòd qui ab illo nominatur, magister equitum est, quem vti volebat ipse dicebat. Non autem post reges exactos anno dignitas hæc siue potestas pro tempore maior quàm consulatus, cum magistro equitum qui ei obsequeretur creata est, & apud patres esse cœpit nec amplius quàm semestri tempore duratura, nisi si qui forte illam potentiam adepti per vim diutius tenuerint, vt L. Sylla, & C. Cæsar qui perpetui dictatores, tyrannidis odiosum atque infame nomen vitare volentes rempub. oppressere. Quis autem primum dictator creatus sit non satis constat auctore Liuio, apud vetustissimos tamē auctores siqua eidem auctori fides est, & Eusebio Cæsariensi, T. Largium dictatorem primū, Sp. Cassium magistrum equitum, creatos inuenio: quòd autem vel futuros dictare hic

magistratus

magiſtratus ſolitus ſit,vel à conſule diceretur,cui dicto obedientes omnes eſſent, M. Varrone teſte dictatorem appellatū conſtat: vel vt inquit Plutarchus in vita M. Marcelli, cum dictator à populo aut à ſenatu deligi non poſſit, verùm alter conſulum aut imperator progreſſus ad populum quem cenſeat dictatorem dicit, & quia dictus ſit dictatorem appellant. Nonnulli ab eo dictatorem dictum aiunt,quòd non populi ſuffragio aut aſſenſu,verum quòd is cenſeat, imperat ſiquidem iuſſa magiſtratuum quæ Græci δόγματα,Romani vocant edicta: & imperioſiſſimi duodecim faſces licet fuerint vtpote penes quos ſenatus & equeſtris ordinis & vniuerſæ plebis ſummum decus eſſet,quorúmque nutu Latium ac totius Italiæ vires regerentur,contuſi tamen atq; fracti dictatoriæ huic ſe animaduerſioni perſæpe ſubſtrauerunt: ac ne multa foret læſa gloria militaris,cōſul delicti omnis vindex à dictatore nonnunquam punitus eſt.

Magiſter equitū dictus,quòd vt eſt ſumma populi dictator, ſic ſumma huius poteſtas in equites & accēſos,ſiue quòd in bello equeſtres ipſe copias duceret: qui verò dictator eſſet etſi præeſſet omnibus, legiones tamen ſolū pedeſtres more maiorū ducendas haberet. Reliqui quidem minores quàm hi magiſtri dicti magiſtratus,vt ab albo albatus.

Magiſtri appellantur quibus præcipua cura rerum incumbit, quíq; magis q̄ cæteri obligantur. Nec ſolum doctores artium ſed etiam pagorum,ſocietatum, vicorum,collegiorum,equitum,magiſtri dicuntur,quia omnes hi magis cæteris obligantur & poſſunt, quinetiam & ipſi magiſtratus qui per imperia potentiores ſunt quàm priuati, per deriuationem à magiſtris cognominationē aſciſcūt. Eſt enim magiſtratus poteſtas vni vel pluribus hominibus à populo vel à principe commiſſa. Vnde prætores,procoſſ. Tribunos plebis, & ædiles currules, & prefectos ānonæ alióſque qui maiorū,vt diximus, arbitrio puincias regunt,non principatū dicimus habere,ſed magiſtratū. His enim datū eſt deliberare de quibuſdā & ſtatuere,& iubere,& intelligere ſe gerere perſonam ciuitatis, deberéque eius dignitatē & decus ſuſtinere,ſeruare leges,iura deſcribere,& ea ſuę fidei commiſſa meminiſſe. Ad hos palatii quoq; pertinet diſciplina,per quā inſolētiū mores pcelloſi,multorúmque ordine moderatione ſua ſine aliqua confuſione cōponuntur,per eos legatorum, quanquam feſtinantium, prænuntiatur euentus, his poteſtatem eam decernit antiquitas vt nemo iudicium per prouincias faſces aſſumeret niſi hoc & ipſi fieri decreuiſſent, tantaq; eorū officium auctoritate decoratur,vt militiæ perfunctus muneribus ornetur nomine principatus,miróq; modo inter prætorias cohortes & vrbanæ præfecturę milites primatū inueniſſe videantur. Principatus autē maior eſt quędam ſupereminentia cui cæteræ omnes poteſtates parent,ſic Octauianum, Claudium, & Veſpaſianū principes fuiſſe dicimus: Senecam verò qui coſ. fuit temporibus Neronis, nemo principem appellaſſet. Erat enim Nero princeps non Seneca,neque conſulatus Senecæ principatus erat,ſed magiſtratus: & neque imperium Neronis magiſtratus dicebatur ſed principatus. Cum verò quidam magiſtratuum & non omnes pertractent multa negociorum publicorum, neceſſe eſt eſſe alium magiſtratum qui rationes repetat atq; corrigat,ipſe verò nihil tractet: vocant vero hos alii correptores, alii rationa

tionales,alii ſcrutatores , alii procuratores: prę̃ter verò hos omnes magiſtratus vnus eſt maximè principaliſſimus omniũ: idẽ enim plerũq; habet finẽ et introductionem,qui præſidet multitudini vbi populus dominatur: oportet autẽ id quod cogit ſummam habere in repub.auctoritatẽ. Appellãt verò quibuſdam in locis præconſultores,ex eo quia ante deliberant: vbi verò multitudo eſt,conſilium magis.Ciuitatum igitur magiſtratus tot aliqui ſunt.Nec id præterea ſubticendum Marci Varronis ſententia libro rerum humanarum vigeſimoprimo, In magiſtratibus,inquit, habent alii vocationem vt conſules & cæteri qui habent imperium ,alii prẽſionem vt tribu. plebis,et alii qui habent viatorem,alii neq; vocationem neque prenſionem,vt queſtores & cæteri qui neq; lictorem habent neque viatorem.Qui vocationem habent iidem prendere,tenere,adducere poſſunt : & hæc omnia ſiue adſunt quos vocant,ſiue acciri iuſſerint. Tribuni plebis vocationem habent nullam , neq; minus multi imperiti perinde atq; haberent ea ſunt vſi. Huius ergo iuris quod M.Varro tradit Labeonem arbitror vna tunc fiducia cum priuatus eſſet vocatũ à tribuno non iſſe. Sed quærentibus quam ob cauſam tribuni qui haberent ſummam coërcendi poteſtatem ius vocandi non habuerint,facile eſt reſpõdere: quòd tribuni plebis antiquitus creati videntur,non iuridicendo,nec cauſis querelisq; de abſentibus noſcendis, ſed interceſſionibus faciendis: quibus qui prę̃ſens fuiſſet,vt iniuria quæ coram fieret arceretur , ac propterea ius aduocandi ademptum, quoniam vt vim fieri vetarent aſſiduitate horum & præſentium oculis opus erat. Moris porrò erat magiſtratum petentibus, prehenſos dextra ciues benignis orare verbis, & abſq; interiore tunica in forum opertos veſte deſcendere , ſiue vt eo habitu ad ſupplicãdum humiliores accederent, ſiue vt qui cicatrices haberent manifeſte ſigna fortitudinis aperirent : hæc cum plura oſtenderent, quæ aſſidue multos per annos egregii bellatores exceperant,vniuerſi illorum virtutem tacita veneratione proſequebãtur, magiſtratum deniq; vltra quinq; dies niſi qui iuraſſent in leges non licebat gerere. Legati teſte Varrone ſunt qui lecti publicè quorum opera cõſilióque vteretur peregre magiſtratus,quíve nuntii ſenatus aut populi eſſent.

Imperatores ſemper multi quotannis re bene atq; fœliciter geſta aduerſus hoſtes à militibus honoris cauſa appellabantur,vnde & inter cæteros ætatis ſuę duces & imperatores cum circumfuſa multitudo Hiſpanorum & antè deditorum, & pridie captorum regem Scipionem ingenti plauſu ac conſenſu appellaſſent: tum Scipio ſilentio per præconem facto, ſibi maximum nomen imperatoris eſſe dixit quo ſe milites ſui appellaſſent,regiumq; nomen alibi magnum,Romæ exoſum & intolerabile eſſe,regalem animũ in ſe eſſe,ſi id honoris ingenio ampliſſimum ducerent,taciti iudicarent vocis vſurpatione abſtinerent . Inter principes etiam ciuitatis M.T.Cicero procoſ.dum Parthos tripartito exercitu hoſtes inuaderet,ac poſt magnam eorum cædem Amanum eius gẽtis caput, Sepiram item & caſtella cõplura vi cepiſſet,ab exercitu imperator appellatus eſt. Iulius autem Cęſar cum ſæpius poſt partam victoriam eſſet imperator ab exercitu appellatus, non imperatorum aut regum , ſed dictatoris nomen vſurpauit, tantum odium ſibi regis nomen in vrbe contraxerat.Cum autem regis nomen cuperet , vererétúrque

túrque populi indignationem, molitus expeditionem in Parthos, afferens in libris fatidicis cõtineri, non niſi à rege Parthos ſuperari poſſe, ſe regem dici procurauit, qui maturãdæ mortis ſuæ cauſam præbuit coniurationi. Nullus autem ſequentium Cæſarum ſe regẽ Romanorum dicere auſus eſt. Imperatoris autem appellatio perpetua Cæſarum non erat, ſicuti nec conſulis, nec prætoris, nec tribuni plebis: nam & priores illos vario numero, quoſdã ſepties, quoſdam maiori, quoſdam minori numero inuenimus appellatos imperatores, ſic coſſ. ſic tribunos plebis: dignitatis enim, non officii id nomẽ fuit. Nam re proſperè aduerſus hoſtes geſta, ſic erat à maioribus inſtitutum, ac repu. libera perpetuo cuſtoditum vt coſ. procoſ. prætor, ſiue quis alius fuerit Romanus qui hoſtiũ numerũ quàm maximum cæderet, aut permagna contra hoſtes victoria potiretur, is quodam præexcellenti honore ad virtutis teſtimonium vel decus, imperator ab exercitu vocaretur. Nondũ erat qui nũc viget mos, vt quem Romanorum imperatorem gentes vniuerſę vocant, is ſit vnus orbis princeps, & poteſtate ſumma rerum dominus videatur: id enim dũ S.P.Q.R. cõſilio pub. rempub. gubernarunt, ducibus non honoris pro victoria parta, non poteſtatis fuit: A quo autem primùm hæc noua imperatoris noſtri temporis coronandi ornandiq; cõſuetudo vel abuſio potius defluxerit, non ſatis intelligo, maxime cum romanum Cæſarem antiquis illis temporibus coronatum fuiſſe, nullum vnquam audierim aut legerim. Non enim Iulius Cæſar, non Auguſtus, non Tyberius, non Caligula, non Nero, & erant hi duo potiſſimum extremi intolerandæ ſuperbiæ ac luxuriæ, coronam imperii vnquam ſuſcepit, aut habuit, aut vſus fertur, niſi forte laurea cum triumphaſſet: aut quapiam alia ciuica, vel caſtrenſi, quæ non Cæſarum erant magis, quàm quorumcunque triumphantium aut vincentium. Exiſtimo autem hoc à Barbaris deriuatũ, qui cum priſcas hiſtorias ignorarẽt, neque verborum vim imperatoris & regis probè noſcerent, eſſetque frequens apud eos regis nomen, vtpote ſub regibus viuentes, imperatorem verò rarum viderent, id excellentius arbitrati ſunt quòd rarius ac inſuetius conſpiciebant: vtcunque tamen hoc adoleuerit, id planè conſtat vel à Barbaris, vt antè diximus, non ſcitè, aut à doctis parũ modeſtè hanc ſublimem imperatoris, id eſt, dei appellationem, vt inquit Cicero, magis quàm regiam poſt coronationem vſurpatam, & à poſterioribus introductam eſſe regibusq; cõceſſam. Primum autem apud maiores noſtros imperatorem appellatum, vtpote cui armorum exercitúſque ad tutandam augendámq; rempub. commiſſa ſit auctoritas, Lucium Lucullum fuiſſe, in deſcriptione temporum teſtis eſt Euſebius.

POntifices aliqui auctore Plutarcho dictos putant, quoniam deos colunt, potentes ac omnium dominos: alii verò inquiunt nomen confictum eſſe ad potentum profligationem, tanquam iubente legumlatore, ſacerdotes obire potentia ſacra debeant: pontifices verò vt Varro inquit, Q. Mutius Scæuola dicere ſolebat à poſſe & facere appellatos eſſe, ſed ea deſcriptio à Varrone non ſatis probatur: nam à ponte & facio potius dictos exiſtimat, q; ab his primùm pons Sublicius factus, & ſæpe reſtitutus ſit: Secundum alios

alios à ſanctiſſimis & vetuſtiſſimis ſacrificiis,quæ ad pontem fierent . Pontifices quatuor ex gente patritia , totidémq; plebeia à Romanis primùm creati , quorum ordinem & conſtitutionem Numæ tribuunt: Maximus verò appellatus ꝙ & minores pontifices eſſent,Liuius. L. Cantilius Scriba pontificis,quos nunc minores pontifices appellant,qui cum Floronia ſtuprum fecerat,à pontifice maximo eouſq; virgis in comitio cæſus erat,vt inter verba expiraret. Hic Maximus ex pontificibus, veluti interpretis & prænuntiantis, quin hierofantæ potius ordinem et locum tenet,qui quidem non ſolum res quæ publicæ fiunt curat,ſed etiam priuatim ſacrificantes obſeruat: impedimentóque eſt ne quis legitima tranſgrediatur,docétq; qua quiſpiam re ad venerationem deorum,vel ad poſtulandã veniam indigeret. Erat & ſacrarum virginum cuſtos quas Veſtales appellant,& iudex,& punitor ſacrilegii. Habebat etiam penes ſe idem pontifex ſacra omnia, deſignabatq; quibus hoſtiis , quibus diebus,ad quæ templa ſacra fieri deberent: cuiuſmodi diuinis in rebus , & vnde erogandæ pecuniæ ſumptus fieri deberet . Pontificibus etiam permiſſa eſt poteſtas memoriam rerum geſtarum in tabulas conferendi & hos annales appellant,equidem maximos quaſi à pontificibus maximis factos. Proinde maiores noſtri antiquiſſimi , præſertim rerum geſtarum memoria delectati, hanc diligentiam habuerunt , ꝙ hiſtoriam ſcribere auderet nemo,qui munus id datũ ſibi de publico non haberet, id verò daretur nulli, niſi eſſet vir probitate fidei,ſingularíque virtute aliqua præditus, ac dignitate cæteris anteiret. Hebræo nanque populo,vt ab illis initium ſumam qui vetuſtate generis,qui magnitudine rerum,qui dignitate hiſtoriæ ſe cęteris præponunt,hanc legem fuiſſe cõperimus, vt quæ ab his geſta pace vel bello eſſent,ea ſcribere non niſi qui propheta eſſet: prophetam cum is populus habere deſiit,tum maximum ad pontificẽ qui auctoritate, honore, dignitate præſtaret,hanc ipſam ſcribendi curam & officium detulerunt. Hunc morem à vetuſtiſſimis traditum,perdiu & eos vſque dies quibus eſt Hieruſalem excidium ſuum paſſa , diligentiſſime cuſtoditum , Ioſephus in Appionem ſcribens tradit . Chaldæi quoque , & Aegyptii, & qui oriundi ſunt ab illis Phœnices, Syriæ nobiliſſimi populi, ſummo ſtudio & diligentia aſſeruarunt, vt qui magno ſacerdotio potiretur , hic modo populi ſui geſta perſcriberet. Plato itẽ philoſophus,& Ariſtotelis pręceptor,ſuo in Timæo adducit ſacerdotem ægyptium,hominem apud ſuos venerabilem,& multarum rerum notitia excellentem,qui Soloni interroganti de geſtis,& vetuſtate gentis ægyptiæ reſponderet . Apud Gręcos,qui militari diſciplina,qui imperio,qui ſapientiæ ſtudio plurimum floruerunt,ea lex perdiu manſit,quòd deligeretur de publico vir bonus atq; doctus quiſpiam,qui eo pacto,& dicta, & facta omnia memoraret,vt nihil inſereret quod aut ipſe oculis nõ vidiſſet ſuis,aut verũ eſſe certo & indubitato teſtimonio nõ haberet . Romanis verò & maioribus noſtris,qui orbis tandem imperium vendicarunt,hoc inſtitutum ab initio vrbis ad multos annos fuiſſe memorant Cicero & Liuius , vt qui pontifex eſſet maximus,ſacra publica ab Numa inſtituta,ſiue res omnes ſingulorũ annorũ mandaret literis,eáſq; in album referret,atq; domi præponeret in publico tabulas,vt populo eſſet poteſtas cognoſcendi,nihil gratia,nihilq; odio ſcriptum eſſe. Illud nec

minus

minus prætereundum, quòd si maiorum religiones & eorum monumenta reuolueris,inuenies apud illos non humilibus & inopibus, sed opulentis hominibus et principibus ciuitatis summum sacerdotium mãdari solitum esse. Imprimis,primi cum se ingerant, Persarum sacerdotes qui erãt & dicebantur Magi: Aegyptiorum deinde, Assyriorum,aliarumq; nationũ quantis diuitiis opibúsque præpollerent his,qui aliquam rerum gestarũ notitiam habuerint, satis constare potest: quòd si parum ista te mouent,q; externa & peregrina sunt,maximéque à nostris legibus abhorrent,repetantur summi hebræorum sacerdotes,quorum vetustissimi, Aaron,Eleazar, Phinees, Heli, Abiathar,sic omni copiarum genere abundarũt, vt dictu incredibile cuiquã videatur: si deniq; ad Romanos redeo,vnde cœperat oratio,M.Fabiũ primũ ex patribus lectũ,Luciumq; pòst Metellum,præclarũ virum,pontificem factum maximum duosq; eum et xx.annos ei sacerdotio præfuisse constat. Cæsares quoq; legimus & plerosq; alios qui Romæ tẽporibus illis gloria rerum gestarũ, opibus & potentia plurimum præstare putabantur,summos sępe sacerdotes fuisse. Hanc dignitatem pontificum,augurum,quæ Romulo regnante nulla erat,Numam Pompilium à rege ad alios detulisse accepimus,ne quãdo rege bellicis rebus occupato diuinus cultus intermitteretur. Pontifices deniq; veteres,vt in tertio de Oratore testis est Cicero,propter sacrificiorũ multitudinẽ tres viros epulones esse voluerunt,cũ essẽt ipsi à Numa vt etiã illud ludorum ac epulare sacrificium facerent,instituti. Epulones, Festo teste,dicebãt antiqui quos nũc epulones dicimus, datũq; his nomẽ q; epulas indicendi Ioui cæterisq; diis potestatem haberent: de his etiam Lucanus in primo, Virque epulis septem Festus Titiisq; sodales.

Cæterum cum aliqua species curationis sit circa rem diuinam,ceu sacerdotes & æditui circa templa vt conseruentur quæ sunt,& erigantur ruinosa ædificia, & cętera omnia quæ pertinẽt ad diuinum cultum, euenit alicubi curam hanc esse vnam,vt in paruis ciuitatibus:alibi verò seperatis à sacerdotio, vt sacrificuli, æditui,& custodes sacrarũ pecuniarũ. Huic consequens est cura illa quæ est circa sacrificia publica quæcunq;,quæ ex sacerdotibus lex non cõmittit,sed ex publico fiunt. Vocant autem eos qui istis præsunt,alii reges sacrorum,alii põtifices maximos. Maiorum enim consuetudo tunc erat, vt rex esset etiam sacerdos vel pontifex,sic postea vel reges vel imperatores pontifices dictos,Maro nullius religionis expers his verbis ostendit,Rex Anius,rex idẽ hominũ Phœbiq; sacerdos.

Fœciales quorum pater patratus princeps erat,sacerdotes dicebantur qui faciendis pręerant fœderibus: hi vt Pomponio placet à ferendo dicti,vt M. Varroni à fide et faciendo,vt aliis,fœciales quasi fœdiales, à fœderibus faciendis,quorũ ius ab Equiculis ad Romanos translatum esse non dubium est.

Caduceatores,pacis legati dicũtur: sicut enim per fœciales bella indicebãtur, ita pax per caduceatores. Est autem caduceum verbena & pacis signum, quod nõ ab re Mercurii virgã possumus existimare. Mercurius enim orationis deus dicitur,et interpres deorũ: vnde sicut virga serpẽtes diuidit, hoc est venenum,ita bellantes interueniente oratione sedantur,bellumq; cadit atq; dirimitur.

Aediles quidam publicis ludis ac ędibus pręerãt,nomen ab ædibus huic ma

giſtratui datum vt Feſto placet, Varroni & Paulo quòd ædium non tam ſacrarum quàm priuatarū etiam curā haberent,ac illis præeſſent,in quibus ſcita omnia ſua plebs deferret: duo quidem primum & ex plebe conſtituti ac proinde plebei appellati,exactiſq; regibus anno propemodum ſeptimodecimo cum plebs à patribus ſeceſſiſſet, tribunos ſibi in monte ſacro creauit, qui eſſent plebei magiſtratus,deinde cum vellet ex ſuo quoque corpore coſſ. creare & patres recuſarēt, factum eſt vt tribuni militum crearentur,tum ex plebe, tum ex patribus conſulari poteſtate,paulòpoſt cum placuiſſet creari ex plebe conſules,cœperūt ex vtroque corpore conſtitui,tunc vt aliqui pluris patres haberēt,placuit duos ex numero patrum conſtitui : & ita facti ſunt ædiles currules, vnde ortum vt ædiles alii plebei, alii currules appellarentur . Sella enim quaſi ſeda à ſedendo dicta eſt. Regia quidem ſedes erat currulis, à curuitate pedū ipſius ſellæ, in qua ſedetur ſic dicta : vel quòd in ea qui eſſent reges cum veherentur curru ad eminentiam vterentur . Poſtea verò cum regibus libera Roma fuiſſet , Magiſtratus maiores , vt conſules,dictatores & plericq; alii,regio more ſella curruli vectabantur: vnde magiſtratus hi ſunt currules, cæteri verò plebei ſeu pedanei,quòd pedibus irent appellati,nec curru neq; ſella curruli veherentur: quòd autem duo fuerint ædiles,his verbis in Piſonem oſtendit Cicero, Mecum,inquit , quæſtorē imprimis ædilem priorem,prætorem primum cunctis ſuffragiis populus faciebat,ædilem priorem dixit quòd duo erant tantum ædiles,ſicut duo conſules . Huius rei ſi quis fidem poſtulet,bini ſemper ædiles in argumentis comœdiarum nominantur à Terentio. Hi etiam ſiue plebei,ſiue currules ludos faciebant inſtaurabātq; . Liuius belli Macedonici libro primo: Ludi Romani ſcænici eo anno magnificè apparatéq; facti ab ædilibus currulibus. Idem in eodem paulòpoſt,& plebei ludi ter toti inſtaurati ab ædilibus plebis: ædilium enim partes in ludis inſtituendis, quantum impenſæ & in quibus ſpectaculis fierent haudquaquam minimæ fuere. Id etiam erat potiſſimum ædilitatis munus vt ſua quiſq; ædilis impenſa ludos pro modo patrimonii ac dignitatis ſuæ celebrandos curaret. Huius inſtituti M. T. Cicero in officialibus,cum ſuæ & Cn. Pompeii ædilitatis meminit teſtis eſt . Aſconius etiam Pedianus Pompeium ædilem factum theatrū quod ſumma impenſa ædificauerat magnificentiſſimis ludis in quos currus cum elephantis induxit,ædificaſſe aſſerit : Valerius itē Maximus in libris dictorum factorúmq; memorabilium ſcripſit Attilium Seranum & L. Scribonium ædiles, ſenatus plebíſque loca ſecreuiſſe: Quod ſi Vlpiano auctore mancipium fugitiuum erronémque aut iumentum morbo aut vitio aliquo affectum quiſpiam pro ſano venundederit,dolis ac fallaciis vendentium occurrendo ædilium edicto emptori ſuccurritur redhibeturq; : Porro vt vrbis cloacæ,aquę ductus, & ædificia quæq; publica & priuata,munda,lota,integra , expeditaq; aſſeruarentur ad ædilium officium pertinere non dubium eſt,vt Cicero noſter cum factus eſſet ædilis,actione in Verrem ſeptima,cæteris more ſuo longè vberius ac melius atteſtatur: Nunc ſum, inquit, deſignatus ædilis,habeo rationem quòd à populo Romano acceperim mihi ludos ſanctiſſimos maxima cū cerimonia Cereri,Libero,libereq; faciendos,mihi Floram matrem populo plebíque Romano: ludorū celebritate placādam, mihi

ludos

ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Miueruæq; esse faciẽdos, mihi sacrarum ędium procurationem, mihi totam vrbem tuendam esse commissam, ob earum rerũ laborem & solicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prętextam, sellam currulem, ius, imagines ad memoriam posteritatemq; prodendã. Sunt præter hos ædiles plebeios & currules, duo alii qui frumento præerant, & quorum creandorum auctor fuit C. Iulius Cæs. hique, vt inquit Pompeius, à Cerere cereales dicti. Aeditui prętera appellatione ędiles intelligimus: est enim edituus idem q; ædilis, custos sacræ scilicet ædis vel templi, quasi ædem tuens vel ædis tutor; dictus is enim est cui sacrarii custodia commissa erat, vbi statuæ seruabantur et simulacra deorũ gentilium, quę opus erat exorare, si quis optasset aliquid apud illa deprecari et impetrare, quod multi factitabant credentes exaudiri, si verba sua simulacrorum auribus instillassent, Seneca epistol. li. v. Non sunt ad cęlum eleuandę manus, nec exorandus ædituus, vt nos ad aurẽ simulacri, quasi magis axaudiri possimus, admittat. Aeditimus quoq; idem quod ędituus: sed M. Varro in secundo libro ad Marcellum de latino sermone, æditimum dici oportere censet magis quàm ędituum: quod alterũ receti nouitate fictum, alterũ antiqua origine incorruptum: Lauinius in Prothesilao Claustrinũ dixit qui claustris ianuæ præesset, eadem. s. figura æditimũ dici iubebat, qui ædibus præest: in Verrem. M. Tul. in exemplaribus fidelissimis ita inueuiri scriptum, æditimi custodésque maturè sentiunt. In libris autem his vulgaribus ędituui scriptũ est, Pomponii fabula Atheliana est, quę ita inscripta est, Aeditimus, in qua hic versus est, Qui postq̃ tibi appareo atque ędito in templo tuo: T. autem Lucretius in carmine suo pro ædituis ædituentes appellat.

Flamines permultos fuisse comperio, & tot deniq; quot deos colerẽt, vsos vetes romanos, M. Varro in his libris quos de origine linguę latinæ scripsit testis est, vt Dialem, Martialem, Quirinalem, Volcanalem, cæterosq; eiusmodi, verum flaminem Dialem Numa Pompilius Romæ rex creauit, cũ antea reges pontificum ac regũ munera promiscue gererent, vt de Priamo & Aenea apud Maronem, & à minoribus tandem, vt à C. Cæs. diuo Augusto, multisq; aliis principibus, quos maxime pontificatus titulis insignitos in multis quæ adhuc extãt monumentis cernimus obseruatũ esse. Cæterũ Numa plures in vrbe Romuli q̃ sui similes reges fore ratus, qui relicta religionis cura, bellorũ negotiis implicarẽtur, sacerdotes quos flamines appellant, quiq; rei diuinæ iugiter adacti essent, multis deorum instituit, flaminem vnum Ioui insigni veste & curruli regia sella adornatum, quem Dialẽ vocant, huic duos flamines adiecit Marti vnum, Quirino alterũ: dicti autem primo flamines vt Plutarcho placet, ab his qui circum caluaria sunt pileis, quibus ad tegẽdum capita vtuntur, quasi pileamines quidã essent. Lucanus in primo: Et tollens apicem generoso vertice flamẽ: vel vt Varro inquit, quòd in Latio capite velato erant, & caput filo lanæ præcinctũ habebant, à quo flamines quasi filamines vocabãtur. Dialis verò à dio, à quo vita dari putabatur hominibus: vel à Ioue quod est iuuãs deus. Cæteri enim quiq; cui præsunt, numinis eius titulo decorãtur: hic solus, vt Varro ait, lib. ii. rerũ diuinarum

Album habet galerũ, vel eo ꝙ maximus eſt,vel eo quòd Ioui immolari alba hoſtia opus ſit. Multiplices etiam cerimoniæ fiunt, quas in libris qui de ſacerdotibus publicis compoſiti ſunt, item in Fabii pictoris librorũ primo ſcriptas legimus,vnde hæc fermè ſunt quæ cõmeminimus:equo enim dialem flaminem vehi religio eſt, item iurare dialem fas nunquam eſt,ignem è flamine,id eſt,flaminis dialis domo niſi ſacrum efferri ius non eſt,vinctum ſi ædes eius introiret ſolui neceſſe eſt,& vincula per impluuium in tegulas ſubduci atꝙ inde foras in viam dimitti, hederam neꝙ tangere neꝙ nominare fas erat, pro eo quòd hedera vincit ad quodcunꝙ ſe applicat: ſed ne anulum quidẽ gerere ei licebat ſolidum, aut aliquem in ſe neque in apice neque in cinctu neque alia in parte nodum habere,ſi quis ad verberandũ ducatur, ſi ad pedes eius ſupplex procubuerit eo die verberari piaculũ eſt. Capillum dialis niſi qui liber homo eſt non tonſet,capram & carnem incoctam & fabam neꝙ tangere diali mos eſt neque nominare, procinctam claſſem,id eſt,paratam ad bellum militũ multitudine diali flamini videre non licet,propagines è vitibus altius prætentis non ſuccidet, pedes lecti in quo cubat luto tenui circunlitos etiam oportet,vnguis dialis & capilli ſegmenta ſubter arborem ilicẽ terra operientur. Dialis quotidie feſtatus eſt ſine apice, ſub dio autem eſſe licitum non eſt, ſub tecto vtiliter & non pridem à pontificibus conſtitutum. Manſurius Sabinus ſcripſit & alia cerimoniarũ genera in hũc modum,farinam fermento imbutam attingere ei fas non erat,neꝙ tunicam intimam niſi in locis tectis exuiſſe, ſub cælo tanquã ſub oculis Iouis nudus ne ſit, ſuper flaminem dialem in conuiuio,niſi rex ſacrificulus, haudquaquã alius accumbit, vxorem ſi amiſerit flaminio decedit, flaminis matrimoniũ niſi morte dirimi non eſt ius,locum in quo buſtum eſt nunquam ingreditur,mortuũ nunquam attingit,funus tamen exequi non eſt religio.

Salii ſacerdotii genus quod ex huiuſmodi cauſa inſtitutum dicitur, nam annum iam octauũ regnante Numa morbus peſtifer, Italiam occupans, Romam quoque inuaſerat: mœrentibus verò cunctis traditur peltam æneam è cælo delapſam in Numę manus decidiſſe & in ea mirabilia quędã dixiſſe regem,ſed ex Egeria Muſisꝙ audiſſe,ac peltã in vrbis ſalutem miſſam,oportereꝙ eam obſeruare,aliis vndecim ad illius figuram magnitudinemꝙ et formã effectis quo dubium furi ob ſimilitudinem ſit cæleſtis illius adipiſcendæ. Peltam itaꝙ ex eius auctoritate atꝙ imperio effingere artifices cum certaſſent, diffidentibus ac deſperãtibus cæteris, Vecturiũ Mamurium vnũ ex ſummis opificibus vſꝙ adeo ſimilitudinẽ effinxiſſe ſtruxiſſeꝙ omnes ſimiles,vt neꝙ Numa iam ipſe dignoſceret: harum autẽ cuſtodes ac miniſtros conſtituiſſe dicitur ſalios ſacerdotes: Salii verò vocati ſunt,non,vt quidam fabulantur,à viro Samothrace ſeu Mantiacho Salo nomine,qui ſaltationem quæ in armis dicitur edocuerit,cũ eam re vera teſte Plinio vi. naturalis hiſto. Dardanus inſtituerit, ſed ab ipſo tripudio ſaltatorio. Ouidius iii. faſtorum: *Iam dederat ſaliis à ſaltu nomina dicta,quòd nec vehementius robuſtiusꝙ per vrbem currẽtes ſaltarent, tum ad menſem Martium ſacras peltas ſuſciperent,induti puniceis tunicis,æneis baltheis latisꝙ ſuccincti, Aeneas capitum galeas portantes & æneũ ſuper tunicam pectori tegmen, par-*

uisꝙ

uisq; gladiis arma pulsantes. Reliquum verò saltationis pedũ est opus: mouentur enim suauiter, conuersiones ac mutationes in celeri ac crebro numero robustè ac leuiter reddentes. Mamurio autem artis illius suæ mercedem fuisse perhibent memoriam quandã per saliorum carmen simul cum pyrrichii modulo absolutum. Alii verò Vecturium Manurium qui canebatur fuisse aiunt.

Senatoriam dignitatem à Romulo institutam fuisse nemo ambigit. Romulus enim vrbem conditurus pastores inter quos adoleuerat conuocauit, cumq; is numerus condendæ vrbi parum idoneus videretur, constituit, Asylũ quo passim confugerent ex finitimis locis pessimi quiq; sine vllo cõditionis discrimine, ex hisq; omnibus populum conflauit, legitq; in senatu eos qui ætate anteibant, & patres appellauit, quorum consilio gereret omnia. De hoc etiam senatu Propertius elegiarũ scriptor hæc loquitur: Buccina cogebat priscos ad bella quirites, Centũ illi in pratis sæpe senatus erat. Curia prętexto nũc quæ inter alta senatu Pellitos habuit rustica corda patres. Atqui vt apud Lacedæmonios senes siue seniores appellari eos, qui summum quendam magistratũ gerunt Cicero auctor est, sic nisi consilium, ratio, sententia senibus inessent, non summum consilium maiores nostri senatum appellassent. Quod & Ouidius in fastis non reticet dicens: Magna fuit quondã capitis reuerentia cani, Inq; suo pretio ruga senilis erat. Martis opus iuuenes, animosaq; bella gerebãt, Et pro diis aderãt in statione suis. Viribus illa minor, nec habendis vtilis armis, Consilio patriæ sæpe ferebat opem. Nec nisi post annos patuit tunc curia seros, Nomen & ætatis miræ senatus erat. Iura dabat populo senior, finitaq; certis Legibus est ætas, vnde petatur honos. Ab honore ergo patres, ab ætate senatores appellati. Alii senatores à sinẽ do quòd facultatem darent, dictos putant, vel q; agrorum partes tenuioribus ac liberis propriis attribuebant. Huic centum senatorũ numero plures ac diuersis temporibus additos inuenio: Brutus enim quo plus virium in senatu etiã frequentia ordinis faceret, diminutum parum numerũ primoribus equestris gradus electis ad trecentorum summam expleuit, traditumq; inde fertur vt in senatum vocarentur, qui patres quique adlecti atque conscripti essent patres, vt diximus, vocati, vel quòd sunt patritii generis adlecti, quòd propter inopiã ex equestri ordine in senatorum sunt numero assumpti, conscripti autem quòd in senatu quẽ nouũ effecerunt sunt scripti: Verum post Cęsaris obitum excrescentẽ hũc numerũ deformi incõdita ac indignissima turba, mille enim excesserat, & nonnulli per gratiam, nonnulli præmiis electi, qui abortiui vulgo appellabãtur, Augustus ad modũ pristinũ & splẽdorem redegit. Præter hæc senatorum nomina sunt qui pedarios senatores opinentur appellatos, quòd sententiã in senatu non verbis dicerent, sed in alienam sententiam pedibus irent, tanquam sententię dictione carentes, aliorum dicta confirmarent, et quasi pedibus in alienam sententiam descenderent. Alii verò quasi differentia quadam, quòd essent plerique qui magistratus currules adepti, sella curruli honoris gratia in senatum vehérentur: qui verò iter pedibus facerẽt, pedarii appellabãtur. Marcus autem Varro equites quosdam dicit pedarios appellatos, videturque eos significare qui nondum à censoribus in senatu lecti quidem erãt, sed honoribus populi vsi in senatum ve-

niebant & ſententiam eius habebant. Nam & currulibus magiſtratibus functi,qui nondum à cenſoribus in ſenatum lecti erant ſenatores non erant: etiam quia in poſtremis ſcripti erant, non rogabantur, ſed quas principes dixerant in eas ſententias deſcendebant. De more autem habendi ſenatus Marcus Varro rogatu Pompeii librum edidit,cum ille coſ.primum M. Craſſo fuiſſe deſignatus creditur: quia foris militiæq; ad eam ætatem occupatus ciuilis cõſuetudinis expers eſſet, vellétque cæteris non indoctior videri :in hoc libro id genus multa ſcribere Varronem Gellius atteſtatur,primúmq; illud fuiſſe per quas perſonas haberi ſenatum liceret,nominans dictatorem,cõſules,prætores, tribunos plebis, interregem, præfectum vrbis, neq; alii præter hos ius fuiſſe dixit facere ſenatuſconſultũ,quotiéſque vſu veniſſet vt omnes iſti magiſtratus eodem tempore Romæ eſſent, tum quoque ſupra ordinem ſcripti eſſent,qui eorum prior aliis eſſet, ei potiſſimũ ſenatus conſulendi ius fuiſſe. Addit deinde extra ordinaria in re tribunos militares qui pro conſulibus eſſent,decemuiros item quibus tum imperium conſulare eſſet, item triumuiros reip. conſtituendæ creatos, ius conſulendi ſenatũ habuiſſe. De loco autem habendi ſenatus aut ſenatuſcõſulti rogãdi niſi in locis per augures conſtitutis quæ templa appellantur,haberi rogaríve potuiſſe negabat. Moris etiã erat vt eo in loco ſenatus iniuſſus aſſidua ſtatione cogeretur, qui ſenatulum appellabatur,vnde accitus deinde quàmprimũ in curiam proficiſceretur.De tempore autem habendi ſenatus ita diſeruit,ante exortũ inquit ſolem aut poſt eius occaſum ſenatuſconſultum irritum, opus etiã cenſoriũ fuiſſe,per quos et quo tempore factũ ſenatuſconſultum eſſet excutere. De ætate autem ſenatoria ne cui paucioribus xxv. annis nato,ſenatum ingredi liceret,vt in vita magni Pompei auctore Plutarcho conſtitutũ eſt, cæterum minoris ætatis ſenatum aliquando ingredi moris fuiſſe vetera legentibus non dubiũ eſt, veluti M. Valerio Coruino contigiſſe nouimus,cui tertium & vigeſimũ annum ingreſſo conſulatum largiti ſunt. Quò minus autem ſenatum introirent cum prętextatis filiis ſenatores,vt moris antea fuerat, decretũ poſtea factũ eſt, Papyriiq; prætextati factum in cauſa fuit: qui etiam ſenatum habiturus eſſet auſpicari primò atq; immolare hoſtiam debere idem Varro cẽſebat. Docuit etiam de diuinis rebus prius q̃ de humanis ad ſenatum eſſe referendum: idem ſenatuſconſultum duobus modis fieri,aut per diſceſſionem ſi conſentiretur,aut ſi res dubia eſſet per ſingulorum ſententiam, de pignore quoq; capiendo deq; multa irrogãda ſenatori,qui quo tempore venire in ſenatũ debuit,non venit.In quo & illud animaduertendum de more, quòd ſicut lex à quinquageſimo anno militem non regit, ita à ſexageſimo ſenatorem non citat.Hunc etiã morẽ apud veteres neceſſitates publicæ reperierũt,vt ſi forte aliqua vis ab hoſtibus immineret, quę cogeret vel humilia captare conſilia,vel aliqua conſtituere,quæ non prius oporteret dici quàm effici,vel ſi nollent ad amicos aliqua permeare ſenatuſconſultum tacitum fieret,ita vt non ſcribę,non ſerui publici,non cẽſuales illis actibus intereſſent,ſenatoréſque exciperent omnium officia cenſualium ſcribarúmque complerent. Horum & ars erat de irato facere beniuolum, de ſuſpecto placatum, de auſtero mitem,de aduerſante propitium. Et quanquã,vt dictum eſt,ſenio confecti armis

minus

minus valerent, binos tamen ſenatores ſingulis cohortantibus præpoſitos tertio ab vrbe condita libro teſtis eſt Liuius. Patriciorum familia Ioui noſcitur fuiſſe dicata, ſi origine dignitatum antiquitatis ordinem perſcrutemur, quo ſummi dei ſicut putauere cultura locum primariũ poſſideret, patriciatuſq; nomen ipſum vt quidam veridicorum à patribus dictum eſſe voluerunt.

Conſularem exactis regibus dignitatem regii nominis faſtum declinantem, cum plenam penè eorum inſtar adminiſtrandæ reip. facultatem haberent accerſitam fuiſſe antiquitatis monumenta declarant: Duo hi erant pro vno rege creati, vt ſi alter malus eſſe voluiſſet, ab altero ſimilẽ poteſtatẽ habente cohiberetur. His primũ omnia iurà ex regia poteſtate erãt, omnia deinde eiuſmodi inſignia pomparúmq; fercula & officii ſui ornamenta. Nam ambobus faſces erant coſſ. quatuor & viginti lictores, totidem cum ſecuribus quæ proinde tantæ poteſtati cathenarum nexibus præceptæ ſunt alligari, vt cum tardius ſoluerentur, moram deliberationis acciperent: maxime ſi de cæde aut hominis nece aliquid cenſuiſſent. Cunctator enim eſſe debet, qui iudicat de ſalute. Alia enim ſententia corrigi poteſt, de vita hominis haudquaquam, arma quinetiam iſta iuris ſunt non furoris, & contra noxios ſic inſtituta, vt plus terror corrigat quàm pœna cõſumat. Ciuilis eſt etiam pauor iſte magis q̃ bellicus, vtpote quem abactores timeant, reformident fures, latronẽs exhorreant, innocentia tantũ lęta reſpiciat: inſtitutúmque eſt etiã vt ne duplicatus terror videretur, vt eorũ tãtum alter faſces haberet, non ambo, íſque penes quem faſces eſſent maior conſul diceretur: vel is qui prior factus eſt prętor, aut maior vrbanus minores, cęteri quibus, quod plerunq; in maximis vrbibus ſolet, ſenatus decreuit vt darent operã ne quid reſp. detrimenti caperet: permiſitq; eorum alterum vel ambos cum opus eſſet exercitum parare, bellũ gerere, coërcere omnibus modis ſubditos atq; ciues, domi militiæq; imperium ac iudicium ſummum capitis dicere, ſed ciuis non Romani, quem ſolum cohibere & in publicam cuſtodiam duci iubere illis fas erat: Sella Curruli pro ſui magnitudine vtebantur multis gradibus innixi, vt ibi locati nihil abiectum nihilq; humile meditarẽtur, vtq; in ocio ſubiecti mererẽtur, quod alii poſt maximos labores aſſumunt imperatores: Manus porrò victoriali Scipioni munita erat, quo Romanæ reip. viri fortis dextra tueretur fortunas omnium, ac liberos, in augmentum etiam publicæ gloriæ famulos ſolueret iugo ſeruili, calceis auratis præterea prodibant in publicum, tanquam auri materiã quam mens ad inane volans tanti putat, paruifacere non ſolum, ſed peſſum etiã dare viderẽtur. Inter cęteras etiam reip. dignitates ſoli meruerunt pictos habere humeros, vario colore palmatæ veſtis, quam fœlicitas dabat pręmio vincentium. Quòd autẽ candidis veſtibus indutí procedebant, candidati appellabantur, quòd deniq; populo conſulerent, & patriæ, cum omnia eorum traderentur arbitrio, ne inſoleſcerent animo à conſulendo conſules dicti ſunt, niſi illinc potius, vnde Actius ait in Bruto, Qui recte conſulit conſul ciatur, vel vt Quintilianus, conſul ſit à conſulendo, vel à iudicando, nam & hoc conſulere veteres appellauere: Magiſtratus huius imperium annum erat, quo ne diuturna poteſtate inſolentes facilius in errorem aliquem prolaberentur ſe cuſtodirent:

hi

hi quanquam breuis esset eorum magistratus, ni hilominus tamen si haud essent idonei infra annum amouebantur: illud quoq; de more fuit consulatum petentibus vt per se ipsis comitiis interessent, nulliq; xxv. annis minores, quæ senatoria ætas erat, admitterentur.

Suffes consul etiam pœnorum lingua dictus est, auctore Calidio. Liuius belli Macedonici libro quarto, Postero die cum suffetes ad ius dicendum consedissent, conspectæ tabellæ demptæq; & lectę. Alii à sufficio quod est subministro vel in alterius locum substituo, suffectos dictos putant, quasi sub alio factos. Liuius xxxi. M. Aurelius cotta decemuir sacrorum mortuus, in eius locum M. Attilius Glabrio suffectus. Cicero pro Murena Vnus erit cos. & is nō in administrando bello, sed in sufficiendo collega occupatus. Illud denique nec prætereundum, nam cum duæ res possint eodem auctore prouehere homines in hunc ampliſſimum cōsularis dignitatis gradum, & honorum populi finem, vna iuris, altera militis, non dubium est quin ad eam adipiscendam multo plus conferat res militaris quàm iuris ciuilis gloria: vigilat enim alter nocte, vt suis consultoribus respondeat, alter quò intendit, maturè cū exercitu perueniat: illum gallorū, hunc buccinarū cantus exuscitat: ille actionē instituit, hic aciem instruit: ille cauet ne cōsultores, hic ne vrbes aut castra capiāt: ille vt aquę pluuię arceant scit, hic scit et timet ne hostiū copię: ille in regēdis, hic in ꝓpagādis finibus exercitat.

Proconsularis dignitatis creandæ morem ac necessitatē induxit imperii Ro. amplitudo, quòd nec adesset vbique ad bella gerēda nec omnes obire prouintias consules, qui modo essent duo possent, his consularia insignia cętera prętерquàm q; sex duntaxat lictores relicti fuere concessa sunt: numerus autem proconsulum definitus erat nullus, vtq; pręsidium nomen generale quod & proconsules & omnes prouintias regentes senatores licet essent, pręsides appellabantur, sic proconsulum appellatio specialis est, qui denique quòd consulum iuribus fungerentur proconsules nominati sunt.

Lictor crudelitatis minister consulis, proconsulis, prętorum qui fascem virgarum alligatum cum securi portat. Sunt qui lictores consules xii: aliorum autem seni. Lictorem Valgius Rufus in secundo librorum quos inscripsit de rebus per epistolam quæsitis, dicit à ligando appellatum esse, quòd cum magistratus populi Romani quempiam verberari iussisset, crura eius & manus ligari vinciriq; à viatore solita sint, isq; qui ex collegio viatorum officium ligandi haberet, lictor sit appellatus, vtiturq; ad eā rem testimonio M. T. verbáque eius refert ex oratione quę dicta est ꝓ C. Rabirio, Lictor inqt colliga manus. Liu. li. viii. Lictor deliga ad palū: hæc ita à ligādo Valgius Rufus, M. T., Liuius, Festus ac omnis antiquitas putat & nos sane cū illis sentimus, sed Tiro Tul. M. Tullii. C. Libertus lictorem vel à lino vel à licio dictū scripsit: licio enim trāsuerso quod linū appellatur à veteribus qui magistratibus inquit pręministrabāt cincti erāt, ad reorū manus ligādas, & crura vt diximus vinciēda. Male itaq; & inscitè qui lictorē à litando dictū putant. C. interposita quia rem lictat & interficit, illūdq; inepte addunt quasi legis ictorē dici q; iciat, id est, percutiat reū, iuxta legis mandatū quod antiquitas non approbat, colorata licet ratio videatur. Numero autem duodecim lictores

ctores ſumptos à Romulo: alii à numero vulturũ qui regnum ſibi ꝓtẽderant augurio: Alii putãt & melius ab Hetruſcis finitimis,vnde ſella curulis,vnde toga prætexta ſumpta eſt ad imitationem regum ſuorum, quòd duodecim ex populis creato regi ſingulum ſinguli populi lictorem darent.

Quæſtura in qua eſſe debet ſcientia iuris ſumma, literarum gloria,cautela ſermonis,firmitas animi,continentiæ domicilium & virtutum omniũ ſedes, Actione in Verrem ii. auctore Cicerone primus eſt gradus honoris, dignitatúmque omnium genitrix, Varro lib. vi. teſte Caſſi. Officiũ autem eius et origo perquàm vetus eſt & pene ante omnes magiſtratus,quorundam & quidem eruditorũ ſententia. Gratianus Iunius lib. vii. de poteſtatibus apud ipſum Romulum & Numam Pompilium binos quęſtores fuiſſe auctor eſt. Pomponius hunc magiſtratum cœpiſſe tunc aſſerit cum ærarium po . Ro. arctius & cumulatius eſſe cœpiſſet,vt eſſent qui illi præeſſent, quod Romuli tẽpore fuiſſe,cũ res tenues & perexiguæ tunc eſſent,haudquaquam putandum eſt . Cæterum ſicut in dubium venit an Romulo & Numa regibus quæſtor fuerit,ita etiam Tullo Hoſtilio rege à quo cenſus in ciuitate & deſcriptio centuriarum & claſſium ,quæ prius non erant eſt facta,quæſtores fuiſſe,ac tunc initium habuiſſe veri magis ſimile eſt,& ſanè crebrior apud maiores opinio eſt, Tullum Hoſtilium primum in remp . induxiſſe quæſtores: hos autem à quærendo quæſtores initio dictos Pomponius & Iunius & Trebatius & Feneſtella & Varro ſcribũt : verum quia de capite ciuis Romani,iniuſſu populi non erat lege permiſſum conſulibus ius dicere,propterea quę ſtores conſtituti ſunt à populo qui capitalibus rebus pręeſſent,quæ triumuiri poſtea capitales perquiſiuere,hiq; appellabãtur quęſtores parici Feſto teſte,vel Pomponio parricidii quorum meminit lex xii. tabu. dicti : quoniam parricidæ non vtique hi, qui parentem occidiſſent , ſed qualemcunque hominem dicebantur. Idem etiam fuiſſe indicat lex Numæ Pompilii in his compoſita verbis , Si quis hominem liberum morte ſciens eluit, parricida eſt . Horum officio iniunctum erat vt prouincias ex ſenatuſconſulto ſortirentur,vtq; extra vrbem adueniẽtibus regibus obuiam irent,& haſtæ ſubiectos captiuos venderent. Erant & candidati principis quæſtores alii qui libris duntaxat in ſenatu legẽdis operam darent, quiq; literas eius in ſenatu legerent.

Prætores initio erant,quorundam iudicio,qui poſtea conſules, & hi bella adminiſtrabant: proinde ſic dicti quòd præirent & anteirent iure in exercitu. Auctore etiam Pomponio tunc creati , cum conſules bellis finitimis auocarentur, neque eſſet qui in ciuitate ius reddere poſſet . Numerum autem prætorum habuit Roma pro tempore varium, primum quidem vrbanum , deinde poſt aliquot annos , eo non ſufficiente peregrinum, ſic dictos quòd ius alter peregrinis, alter ciuibus diceret . Deinde verò plures augendo numerum , ad octo vſque creatos inuenio . Vnde Cicero pro Milone , Septem prætores,octo tribuni plebis,illius aduerſarii,defenſores mei, captis prouintiis, totidem prętores quot prouinciæ in deditionem venerant creati ſunt : partim qui vrbanis rebus,partim qui prouintialibus præeſſent,horum autem prętorum inſignia ſex fuiſſe ſecures, Plutarchus in vita Pauli Aemilii auctor eſt: Ad hoc enim bellum inquit

Aemilius miſſus,

Aemilius, missus non cum sex vt cæteri prætores, sed cum duodecim securibus ita vt dignitas consularis imperio eius inesset.

Censores ad cuius censionem,id est,arbitrium censeretur populus, vel ab re ipsa quòd præessent faciendo censui appellati, vel quòd rem suam quisque tanti æstimare solitus sit,quantum illi censuerint,vel quòd censere pro arbitrari veteres cognatione quadam socia ac simili esse voluerint: sunt qui à cẽsendo, id est, constituendo & præcipiendo,vnde etiam dicere solemus censeo hoc facias,& senatum aliquid censuisse, inde Modestino auctore censoris nomẽ videtur esse tractum . Hoc munus instituisse primum Seruius Tullius legitur , postea verò vt sunt reges exacti,ius omne faciendi census & cætera quæ regiæ maiestatis huius fuerant ad consules delatũ erat: creandi verò noui magistratus huius dedit causam,quòd bellis vrgẽtibus neq; populus sine cẽsu esse,nec qui essent cõsules nauare operam commode cẽsui faciẽdo possent: res quidẽ vt parui admodũ momenti prius visa , quòd nihil iuris haberet ni censendi modo populum , ita illustris magistratus hic maxime omnium reuerentię plurimæq; potestatis ac seueritatis pœna fuit . Eo autem venit vt haudquaquam de opibus modo, verum de militari disciplina moribúsque censeret.Mos nanque Romæ apud equestres erat auctore Plutarcho,cum per legitimum tempus à quoquam militatum esset,equum per medium forum duci coram uiris duobus publicè præsidẽtibus,quos censores nuncupauit, illíque quemlibet ducum ac imperatorum sub quibus militatum sit recensęri , deinde censorum iudicio subigi, qui iuxta cuiusque meritum vel laudem vel infamiam tribuunt.Huic præfecti curæ tunc erant viri dignitate ornatúque insignes , ad hos sella curruli insidentes , equites subituri iudicium ritu cum prodirent , censorum alter qui senior erat interrogabat , si militias omnes iuxta disciplinam militarem absoluisset , omnésque sub imperatore meruisset , quòd si non secus ac dixerat foret inuentum, ingenti lætitia plaudentibusq; amicis domum illum admittebant: sin minus censoria eum inurebant nota , & ex tenuissimis causis licebat illis , qui flagitiosè ac intemperanter degerent ac loquerentur, equum adimere & exercitu demouere . Horum etiam erat vectigalia populi Romani augere minuereque,lustrum completo quinquennio concedere, & soli taurilia sacrificia de sue, oue,tauro facere, de nuptiis , de liberorũ procreatione , de viuendi ratione , de conuiuiis diligenter inquirere , ne quis patriam ac consuetam viuendi disciplinam transgrederetur : ad hæc etiam munera duo cum essent , alter patritius , alter verò plebeius , eis licebat senatus principem describere, immeritos senatu quoque amouere, vt C. Fabricium feciſſe ferunt,qui P. Cornelium Ruffinum patritium virum , quòd decem argenti facti pondo in conuiuium adduxisset , senatu amouit: siue vt M. Catonem censorem,quem C. Flaminium , T . Flaminei fratrem , quòd exhortatus à Puello quem deperibat teste Plutarcho , vel à scorto aliorum sententia , cum esset consul in Gallia , vt aliquẽ ex his,qui vt in vinculis rei capitalis dãnati erant,securi percuteret, obtẽperauit,senatu eiecit. Valerius Antias non ad pueri,sed ad mulieris cuius amore teneretur,arbitrium id ab L.perpetratũ affirmat. Liuius autẽ scriptũ in oratione Catonis asserit Gallũ transfugã cũ vxore ac liberis venisse,& ab L.int epulas

exceptum,

exceptum mox vt scorto,quod ardebat, obsequeretur, ab eo propria manu confossum. Hoc ad exacerbanda Lucii crimina iure dictum à Catone crediderim, ipsum autẽ occisum minime transfugã,verùm ex damnatis vnũ in vincula coniectum extitisse,cum alii quàm plures,tũ verò testes sunt Valerius Max.et Cic.in eo qui est de senectute libro,vbi omnem Catoni sermonẽ & ipsius rei narrationem tribuit: ipsi deinde censores sacrificiorum pretia curabant & descriptionis genera,& reipub.officia distinguebant.Censionem enim facere dicebantur, cũ mulctam equiti irrogabant, cẽsioq; hastaria dicebatur,cum militi mulctæ nomine ob delictum militare quòd hastas daret , dicebatur . Multas præterea potestates hic magistratus habet,quas ponit Iulius Capitolinus in vita Valeriani,Suscipe, iuquit,censuram quam tibi detulit Romana respub.quam solus mereris,iudicaturus de moribus hominum,iudicaturus de moribus nostris. Tu æstimabis qui manere in curia debeant, tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges, tu censibus modum pones,tu vectigalia firmabis, diuides statum, resp.recensebis, tibi legum scribendarum auctoritas dabitur , tibi de ordinibus militũ iudicandum est, tu arma respicies, tu de nostro palatio, tu de iudicibus, tu de præfectis eminentissemis iudicabis,excepto denique prẹfecto vrbis Romę,exceptis consulibus ordinariis & sacrorum rege,ac maxima virgine vestalium, si tamen incorrupta permanserit,de omnibus sententias feres. Illud denique non prẹtereũdum, cum alios magistratus annuos fuisse constet , quinquennalem quondam censuram extitisse , quod quia per tot annos graue,diuturnum insolẽnsque nimis visum est,ne plus q̃ annua ac semestris censura esset , consensu ingenti populi factum est , atq; hoc teste Asconio tam triste seuerũmque nomen po. ro.sic oderat, vt intermissum esset nonnunquam per plurimos annos , nonnunquam propter infamiam corruptorũ iudicũ , plebem ipsam quod ante recusauerat popoſciſſe.

Tribunos celerum primus Romulus creasse fertur . Nam cum eodem tempore in tres tribus tota ciuitas diuisa esset,Ramnenses à nomine suo,à Tatio Tatienses , tertiæ autem tribus homines Luceres dicti à luco Asyli , in quem multi fuga delati ciuitate donati sunt , vt Plutarchus inquit & Plinius testis est , noua . Quanquam tertiæ huius denominatio auctore Liuio incerta sit. Tribus autem ipsas tres fuisse numero nomen ipsum declarat , quibúsque qui præerant , tribunos vocitabant , quòd terni tribus ex tribubus olim ad exercitum mittebantur . Celerum autem tribunum proinde appellari quidam opinati sunt , quòd vel celeriter occurrerent , si quando eorum opera respub . indigeret , cum equitibus ille præesset & veluti secundum locum teste Pomponio à regibus obtineret , vel à celere Remi interfectore , quòd celeres antiqui dixerunt , quos nunc equites dicimus. Horum tribunorum militarium, vt inquit. Q. Asconius Pedianus,duo sunt genera, primum qui Ruffuli vocentur, & hi quidem in exercitu creari solent à cõsule non à populo,de quorum iure,vt Festus etiam inquit,quòd Rutilius Rufus legem tulerit , Rufuli ac postea rutuli sunt vocati. Alii sunt comitiati , qui comitiis designantur ad gubernandam rempublicam cõsulum loco , aliquando sub consulibus vt essent in exercitu ad ordines ducendos instituti. Horũ officiũ,vel eorum qui exercitui prẹsunt, in libro de rẹ militari Marcello

teste,

teſte, milites in caſtris cõtinere,ad exercitationem producere, claues portarum ſuſcipere, vigilia interdum circuire , frumentationibus commilitonum intereſſe, frumentum ꝓbare,menſurę fraudẽ coërcere,delicta ſecundũ ſuam auctoritatem his modis caſtigare,principiis frequenter intereſſe,querelas commilitonum audire,valitudinarios inſpicere. Flauius Vopiſcus in vita Aureliani in epiſtola ad vicarium ſuum permulta his adiicit, ad tribuni officium maximè ſpectantia.Si vis,inquit,tribunus eſſe,imò ſi vis viuere, manum militum cõtine,nemo pullum alienum rapiat,ouem nemo contingat,vuam nullus auferat,ſegetem nemo deterat,oleum, ſalem, lignum nemo exigat,annona ſua contentus ſit, de præda hoſtis non de latrociniis prouintialium habeat, arma terſa ſint,ferramenta ſamiata,calciamẽta fortia,veſtis noua veſtem veterem excludat,ſtipendium in baltheo non in popina habeat, torquem brachialẽ annulũ apponat,equũ & ſaginarium defricet,alter alteri quaſi ſeruus obſequatur , à medicis gratis curentur,aruſpicibus nihil dent,in hoſpitiis caſtè ſe agant,qui litem fecerint vapulent. Tribunis autem plebis creandis initium fuit ſeceſſio plebis à patribus,in ſacrum montem facta,vbi Menenii Agrippæ opera pace inita cõuenit vt plebeios magiſtratus in vrbe haberẽt,ſicꝙ duos tribunos tum habere plebs cœpit à Virginio &. T. Vetuſio coſſ. Alia poſtmodũ ſeceſſione tres additi Appio Claudio & T. Q. coſſ. mox quinꝙ alii coſſ; Q. Minutio & M. Oratio Puluino. Hoc pacto x. tribunis in plebem Ro. fuit iuriſdictio, ſicꝙ plebi conceſſum eſt conditiones inire cõcordię, vt plebs ſuos magiſtratus haberet ſacroſanctos,quibus auxiliis latio aduerſus conſules eſſet,néve cui patrum capere eum magiſtratum liceret. Tribunorum tandem tantum in modum creuit auctoritas,vt quicquid ſenatus decreuiſſet,ita demum ratũ haberetur,ſi tribuni approbaſſent. Stabant autem hi in veſtibulo curiæ, vbi habebatur ſenatus: nam templũ ſiue curiam ingredi nõ licebat, & quæcunꝙ ſenatores decreuiſſent,tribunis prę ferebãtur,vt quæ è repub. fore viderentur,approbarent,cætera ad arbitrium reiicerentur: tum quæ ſenatuſconſulta approbaſſent. t. literam in tergo adiiciebant,haud aliter rati iudicatum iri. De poteſtate autem tribunitia Labeonis Antiſtii iuris peritiſſimi extat ſentẽtia , cuius verba quemadmodum ſcripta apud Gellium offendi,ita illa ipſa ſcripſi: In epiſtola inquit Athei Capitonis ſcriptũ legimus, Labeonem Antiſtium legum atꝙ morum & P. iuríſque ciuilis doctum apprimè fuiſſe. ſed agitabat inquit hominem libertas quædam vecors vſꝙ eò, vt diuo Auguſto iam principe & rempub. obtinente , ratum penſumꝙ nihil haberet: niſi quod iuſtum ſanctúmque eſſe in Romanis antiquitatibus legiſſet : ac deinde narrat quid idem Labeo per viatorem à tribuno plebis vocatus reſponderit : Iuſſit enim eum qui miſſus erat redire,& tribunis dicere ius eos non habere ,neque ſe neꝙ alium vocandi, quòd moribus maiorum tribuni prę henſionem haberent,vocationem non haberẽt: poſſe igitur eos venire & prę hendi iubere, ſed vocandi abſentem ius non habere, idꝙ etiam apud Varronem in libris rerũ humanarũ ſcriptum aſſerit A. Gellius: qui quidẽ Varro cũ triumuir eſſet,aſſerit ſe à tribunis plebis vocatũ nõ eſſe, & cum tribunus plebis eſſet vocari neminem feciſſe. Ea etiã tribunis plebis auctore Plutarcho poteſtas eſt,vt ſi præſens ſit dictator,ſecunda ſit,ſin autem adſit, prima ac

fermè

ferme ſola. Huic prętera magiſtratui nullum integrum diem abeſſe Roma licere ius erat, ius etiã huius tribunitiæ poteſtatis magis ad impediẽdũ eſt q̃ ad agẽdum, quippe quæ cæteris omnibus collegis volẽtibus & ſi plures ſint, vnus qui nolit & ſe opponat, plus poſſit. Fuit etiam, vt aiunt, tribunitia poteſtas prius apud Romanos publicę dignitatis inſigne, poſtmodũ quoq; iudicialis ordinis obtinuit rationem. Inde nanq; & decretum illud ſenatus, vt Auguſtus Cæſar morum legumq; regimini ac æque in perpetuũ tribunitiæ pręeſſet poteſtati. Vnde apud eos tribunus dictus eſt, q; tribus pręeſſet ordinibus patritio, equeſtri, & plebeio, dicti etiam ſimili modo tribuni plebis à tribu, q; vel tribunũ ſuffragio creare̅tur, vel quòd in tres partes populus diuiſus eſſet, cum plebs à patribus ſeceſſiſſet, & ex ſingulis ſinguli creare̅tur: tribuni aute̅ ærarii à tribue̅do ęre ſunt appellati, quod ærarium ſanè populus Romanus in æde Saturni habuit.

Scriba à ſcribendo nomen accepit, officiũ exprimens vocabuli qualitate. Liuius ab vrbe con. li. ii. Ibi cum ſtipendiũ forte militibus daretur, & ſcriba cum rege ſedens pari ferè ornatu multa ageret, cum milites vulgo adirent, timens ſciſcitari, vtrũ Porſena eſſet, ne ignorando regem ſemet ipſe aperiret quis eſſet, quò temere traxit fortuna facinus? Scribã pro rege obtruncat. Probus Aemilius de excel. du. exter. gen. in vita Ageſilai, Itaq; eum habuit ad manum ſcribæ loco, quod multo apud Graios honorifice̅tius eſt quàm apud Romanos. Nanq; apud nos re vera ſicut ſunt, mercenarii ſcribæ exiſtimantur: & apud illos econtrario nemo ad id officium admittitur, niſi honeſto loco & fide & induſtria cognita, quòd neceſſe eſt omniũ conſiliorũ eum eſſe participem. Cicero in Verrem actione. v. Sæpe enim noſtri imperatores ſuperatis hoſtibus optime rep. geſta, ſcribas ſuos annulis in cõtione donarunt. Ab epiſtolis vel à ſecretis etiã is intelligi dicitur, cuius ſecreta ſcribit vel epiſtolas. Suetonius in vita Claudii, Sed ante omnes Narciſſum ab epiſtolis & Pallantem à rationibus, quos decreto quoque ſenatus non præmiis modo ingẽtibus, ſed quęſtoris prætoriiſq; ornamentis ornari libẽs paſſus eſt. Flauius Vopiſcus in vita Carini, Quorũ vitã ſingulis libris Claudius Euſthenius qui Diocletiano ab epiſtolis fuit, ſcripſit. Notarius item ſecretorum ſcribitur, Flauius Vopiſcus in vita Aureliani, Incidit autem, vt ſe res fataliter agunt, vt Mneſteũ, quẽdam quẽ pro notario ſecretorũ habuerat, libertum, vt quidã dicunt, ſuum infenſiorẽ ſibi minando redderet. Caſ. primo, hiſt. Pater enim Candidati ſub Valentino principe geſſit tribuni & notarii laudabiliter dignitatem, qui honor tunc dabatur egregiis, cum ad imperiale ſecretũ tales conſtet eligi, in quibus reprehenſionis vitium nequeat inueniri.

Cancellarius vel à cãcello ala palatii ſic dictus, q; olim ibi officiũ ſuum exerceret iuxta theſaurũ imperatoris, cuius ſibi cura demãdata erat, vel à cãcello ſecundum eã ſignificationẽ, qua dicitur interſtitiũ à Paleſtina regiõe tractũ, vbi tecta cacuminata nõ erant, ſed iacebant in planũ proſtrata. Interſtitia igitur illa inter propugnacula ſita, parietibus hinc inde erectis, cãcelli proprie dicũtur: Qui vero epiſtolas miſſas recitare volebãt populo, in dicta regione ſuper tecta aſcẽdebant & de cãcellis recitabant, vnde inoleuit vſus paucorũ tamen eruditorũ, vt qui populo literas principis habent miſſas exponere, cancellarii appellatione nominen-

P tur.

tur. Cę. li. xi. Var. Reſpice quo nomine nuncuperis, latere non poteſt quod inter cancellos egeris, tenes quidē lucidas fores, clauſtra patentia, feneſtras, ianuas, & quàmuis ſtudioſe claudis, neceſſe eſt vt te cūctis aperias. Nā ſi foris ſteteris, in eis non emendaris obtutibus, ſi ingrediaris, obſeruātium nō potes declinare conſpectus, vide quò te voluerit collocari antiquitas, vndiq; cōſpiceris, qui in illa clarita te verſaris. Flauius Vopiſcus in vita Carini, Amicos optimos quoſq; relegit aut tenuit, pręfectum vrbi vnū ex cancellariis ſuis fecit, quo fœdius nec cogitari potuit aliquando nec dici.

Populares & optimates inter ſe differunt. Nam populares teſte Priſciano lib. artis gaāmaticæ. v. hi ſunt, qui defēdunt populū, optimates qui defendūt ſenatores. Cicero pro P. Sextio, Duo genera ſemper in hac ciuitate fuerunt, eorū qui verſari in rep. atq; in ea ſe excellētius gerere ſtuduerunt, alteri populares ſe, alteri optimates & haberi & eſſe voluerūt: Qui ea quæ faciebāt, quæq; dicebant multitudini iocunda eſſe volebāt, populares: qui ita ſe gerebāt vt ſua conſilia optimo cuiq; probarētur, optimates habebantur. Idem in eadē, Omnes optimates ſunt, qui neq; nocētes ſunt, neq; natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. Idē in eadē, Quod eſt pręſtātiſſimū maximeq; optabile ſanis, bonis, & beatis, & cū dignitate otiū hoc qui volūt omnes optimates, qui efficiunt ſummi viri et cōſeruatores ciuitatis putātur. Ariſtoteles li. v. ethi. Ex dignitate quoq; id apparet, iuſtū enim illud, quod in diſtribuēdo cōſiſtit ſecundū dignitatē quādā eſſe oportere omnes fatētur: ipſam verò dignitatē non eandem omnes eſſe aiunt, ſed populares quidē libertatē, potentes verò opulentiā aut genus, optimates autē virtutē dicunt. Idem li. iii. poli. Vocare autē conſueuimus cū vnus ad vtilitatē communē reſpiciens gubernat regiā poteſtatē: cum verò pauci gubernāt, plures tamen vno, optimatū gubernationē, vel ex eo quia optimi præſunt, vel ex eo quia ad optimum publicū adminiſtrāt. Idem in quarto, Videtur autē optimatū eſſe maximè honores tribuere ſecundū virtutē, finis enim optimatū virtus: paucorū verò gubernationis diuitiæ, popularis autē libertas. Idem in eodē, Quo enim ab optimis viris ſimpliciter per virtutē eſſet gubernatio reip. & non ad ſuppoſitionem quidem bonorum virorum, eam ſolam iuſtum eſt optimatem appellari.

Proceres teſte Varrone principes ciuitatis, quia eminēt in ea ſicut in ædificiis mutili quidā, id eſt, capita trabium quę ꝓceres nominātur, quaſi ꝓcedes. Hinc facta tranſlatio eſt ad quoſdā vt proceres dicātur q ante omnes honore præcedūt. Sunt qui ꝓceres, quaſi procul à carie, hoc eſt, putredine ac vitiorū corruptione, dictos putent, quod tametſi principibus cōuenit maxime propter excellētiam & egregiam, qua præditi eſſe debent, probitatē, falluntur tamē inſcitia literarum, nec tam ꝙ eſt, q̄ ꝙ eſſe debet, autumāt, huius ſingularē numerū raro eſt inuenire. Iuue. lib. iii. Agnoſco ꝓcerē, ſalue Getulice, ſeu tu Syllanus, quocūq; alio de ſanguine rarus. In plurali frequētiſſimū eſt. Liuius ab vrbe cond. li. iii. Et nos, vt decet ꝓceres, vt Fabio nomini eſt nō indignū, pugnādo potius q̄ adhortādo accendamus militū animos. Luca. in v. Fata vocēt ꝓcerū motus hæc cūcta ſequūtur.

Primores ſicut hi proceres, vel primates vel qui inter reliquos maioris poteſtatis & digniores in populo. Liu. in primo, Ipſe ad primores Romulus peruolat.

Summates

Summates viri potentes. Satyrus in comœdia piſcatoria, Summates viri ſimplices facti ſunt ganei: Macrobius li. i. de ſomno Scipionis, Sed ſummatibus tantum viris ſapientia interprete veri arcani conſciis contenti ſint: reliqui ad venerationem figuris defendentibus à vilitate ſecretum.

Pręſidum nomine omnes prouincias regẽtes, licet ſenatores ſint, appellantur: iure pręſes is dicitur, qui maius in prouincia habet imperiũ poſt principẽ. Hinc præſidium dictũ auxilium principale: ſicut ſubſidiũ id quod in auxiliũ ſuccedit dicitur, et milites qui in aliorũ tutelã militũ, oppidi vel caſtelli, ſimiliũq; collocati ſunt, pręſidiũ vocãtur, vel vt inqt Varro, pręſidiũ dictũ q; extra caſtra pręſidebat in loco aliquo, quo tutior regio eſſet, vel q; pro vtilitate & ſalute, alicuius auxilii gratia pręponit: ſicut ſubſidiũ quod poſtpoſitũ eſt ad ſubueniẽdũ laborantibus.

Satrapes vel Satrapa is eſt, q; locorũ pręfectus deſignatur. Plutarchus in vita Eumenis, Tũ capto Ariarate rege, & regione in poteſtatẽ redacta, ſatrapes, hoc eſt, locorũ præfectus deſignatur. Regum libro primo, Et non inueni in te quicquã mali ex die qua veniſti ad me vſq; ad diem hanc, ſed ſatrapis non places. Idem in eodem, Reuertere ergo & vade in pace et non offendas oculos ſatraparum.

Princeps ordinis nomen eſt, dictus q; primus capiat: ſicut municeps ab eo q; munera capiat: idem & dignitatis, cui hæc tuenda ex officio, & capitis periculo defendẽda, religiones, auſpicia, poteſtates, magiſtratus, ſenatus auctoritas, leges, mos maiorũ, iudicia, iuriſdictio, fides, prouintiæ, ſocii imperii, laus rei militaris, ærarium: harum rerũ ac tantarum eſſe defenſorẽ atq; patronũ. Spartianus in vita Adriani, Tunc enim mos, vt princeps cauſas cognoſceret, et ſenatores & equites Romanos in conſiliũ vocaret, & ſentẽtiam ex omni deliberatione proferret. Caſſ. ii. hiſtor. Vocabulũ principis nulla ſorde maculaſti, ſeruãs dignitatem nominis exercitatione virtutis. Ouidius de Romulo & Cæſare ſecundo faſtorum,

Tu rapis his caſtas duce ſe iubet eſſe maritas,
Tu recipis luco, reppulit ille nefas,
Vis tibi grata fuit, florent ſub Cæſare leges,
Tu domini nomen, principis ille tenet.
Te Remus incuſat, veniã dedit hoſtibus ille,
Cæleſtẽ fecit te pater ille parẽ.

Domini verò appellationẽ præclariſſimos in rep. principes et duces inuenio declinaſſe: nam et Scipio ipſe prius Italia Hiſpaniaq; recuperata, cum Africam quoq; ſubegiſſet, Hannibale pulſo, nullo tamen ſucceſſu dominũ ſe paſſus eſt appellari niſi à Pœnis, qui p æquas cõditiones toties rupto fœdere fraudulenter iugũ abiecerant, nõ obtemperãtes, militia abiecit, quaſi reipub. hoſtes infamia notãs: Auguſtus quoque Romani decus imperii nec ſerio nec ioco ſe paſſus eſt à quoquã tali nomine appellari. Tertullianus in apologetico cõtra gẽtes, Auguſtus imperii formator, nec dominũ quidẽ dici ſe volebat. Et hoc enim dei eſt cognomen. Dicã planè imperatorẽ dominum, ſed more communi. Sed quãdo non cogar, dominũ dei vice dicã. Hoc cũ declinaret Auguſtus, meruit profecto patris patriæ cognomen, quod vniuerſi repẽtino maximoq; conſenſu ei detulerunt, q; gratius eſſet pietatis nomen quàm poteſtatis, vtq; ſciret datã ſibi poteſtatem patriæ, quæ temperãtiſſima eſt, liberis conſulens. Quid autẽ inter patrem et dominũ interſit, oſtẽdit probè Terẽtianus ille Mitio, hoc patriũ eſt, inqt, potius cõſuefacere filiũ ſua ſpõte recte facere, q; alieno metu, hoc pater hoc dominus inteſt.

Dux à ducendo dictus, esse enim debet præ cæteris dux in ducendo agmine præcipue solers, vbi iter quòpiam fecerit, & cum ad difficilem transitu saltũ venerit,contemplari secum animo ab omni parte loci naturã,comites deinde veteranos si quos habet,quęrere & percunctari si hostes eo loco, quid si à frõte,quid si à latere, quid si à tergo adorirentur capiendum consilii foret, vtrũ ne pergeret qua occœpisset ire viã,an eã qua venisset repetere satius esset. Castris autẽ deligendis quãtum muniměto loci cõplexurus, quà opportuna aquatio,quà pabuli lignorũq; copia, quà comeatus expedire,quo tẽpore pugnam inire,aciem struere, subsidiis firmare,magnifice adhortari, perterritos milites à metu reuocare, nec verbis tantum ferocem & strenuum esse,sed operum militarium haudquaquam expertem,qui & ipse,cũ opus sit,tela tractare,procedere ante signa,versari in media mole pugnę sciat,sciat quoque consilia sua celare,tacere,dissimulare,insidiari,ab insidiis pręcauere,hostiũ cogitationes pręripere,speculari & explorare eorũ vbi copiæ sint, quãtæ quóve genere armorum, plurimum enim interesse vsuris, quæ deinde turba inermis,quę leuis armaturæ,quę impedimenta, quanto ea aut quali præsidio custodiant, deinde dicta nõ tam quàm facta milites sequi iubere, nec disciplinam modo sed exẽplum. Quod diligentiæ genus rectissima fortasse ratione probabitur,quoties licebit: verum si mutabitur natura loci, si mons occurret,si flumẽ obstabit, si collibus,syluis,asperitateq; alia ꝓhibebitur,mutabit hostiũ genus imminentis conditio discriminis, & nunc acie directa,nunc cuneis,nunc auxiliis,nunc legione pugnabitur. Ad hæc insuper intueri & scire quo auspicio ineunda pugna sit,nec deesse fortunę præbenti sed oblata casu flectere ad consilium debet. Illud ad postremum prę cęteris in animis ducũ habendum, nihil in bello debere contemni, neq; sine causa dici,matrẽ timidi flere non solere. Horũ igitur omniũ qui sunt memores & vsu & experientia cõpotes,eos duces dixerim, cæteris iure prætulerim modo à populo non à militibus creati sint.

Comes,socius,sodalis,comisq; & collega in quo conueniant,quóve differant, auctorum sententiis illustrium ex his accipe. Comitem dicere debemus auctore Vlp. ac Labeone eum qui comitetur & sequatur,quiq; frequentandi cuiuscunque gratia vt sequeretur destinatus est. Minores etiam comitem & ducem habent, vt Cicero non comitẽ se,inquit,sed ducem præbuit,& alibi: Neq; princeps tunc ad salutẽ esse potuissem, si esse alii comites voluissent: Socius verò nõ minor sed par est, ideoq; duces in bello quoties milites alloquũtur conciliandæ beniuolentiæ gratia,non ferè appellant comites sed socios,cõmunicãtes quodammodo eorũ dignitatem cũ illis,vt ediuerso,cum eosdẽ commilitones vocãt,communicantes eorum cõditionẽ atq; sortem cum ipsis: neq; enim dux cõmilito est militum,sed milites inter se cõmilitones, vt apud Virgiliũ Aeneas de militibus suis, O socii, auctor ipse in sua persona loquens de Achimenide Comes infœlicis Vlyssi,& iterũ,vno graditur comitatus Achate. Neq; scite dixisset de Vlysse & Aenea hunc esse comitem Achatæ,illum Achimenidis,idem tamen ait, Arma deosq; parant comites,et iterum, Sacra deosq; tibi commendat Troia penates. Hos cape fatorũ comites Nunquid dii erant comites Gręcorũ atq; Aeneæ, an duces? Certe dii penates comites erant confessione tum Aeneæ,tum ipsorum

rum quoque deorum: nam lib.i. Aeneas ait,victos qui ab hoſte penates claſſe veho mecum:& in iii, Dii aiunt, Nos te Dardania incenſa tuáque arma ſecuti. Nos tumidũ ſub te permenſi claſſibus æquor,ſub te,id eſt,te duce,et te ſecuti ſumus,id eſt,tui comites fuimus. Idem de Græcis quidem dicẽdũ & de eorum deis. Idem etiã de Sibylla & Aenea, quanquã modo hic modo ille dux erat aut comes,quia ſequebatur Aeneę voluntatẽ Sibylla,et quaſi miniſtram ſe præbuit, comes erat: quia verò ducebat præmonſtrans iter & declarans ea quæ ille ignorabat,dux eadem dicitur,tametſi aliquãdo comitem pro ſocio dicimus, vt Cicero in rhetoricis, de viatore qui cum ante lucem ſurrexiſſet comitem,inquit,ſuum inclamauit,& ſemel ſępius cum de eodem antea dixiſſet in itinere quidẽ proficiſcẽtem ad mercatum quendã,& ſecum aliquãtum nummorum ferentem eſt comitatus,id eſt,ſecutus. Quare in prefatione artis grammaticę Priſcianus monitus in primis aliosq; monẽs, monẽdus tamen plurimũ in hæc verba ad Iulianũ ſcribẽs, Tibi ergo hoc opus deuoueo,omnis eloquẽtiæ præſul,vt quãtũcunq; mihi deus annuerit,ſuſcepti laboris gloria te comite quaſi ſole quodã dilucidius creſcat: Sed quid magis delirũ abſurdumq;,q̃ quem dicas tuum ſolẽ,eundem appellare comitẽ tuũ, hoc ipſo q; ſol eſt. Eſt præterea alia inter comitẽ et ſocium differentia,quòd comes eſt quicũq; ſequitur alterius ductum,ſocius plerunq; in negotiis ſeriisq; rebus & fortunæ arbitrio ſubiectis. Cæſar in cõmẽtariis,Itaq; Androſthenes prætor Theſſaliæ cum ſe victoriæ Pompeii comitẽ eſſe mallet q̃ ſocium Cęſaris in rebus aduerſis,omnem agris multitudinem ſeruorũ ac liberorum in oppidũ coëgit. Verũ huiuſmodi differẽtia apertior inter ſociũ et ſodalem eſt,ſodalis enim propriè in rebus leuioribus ac ſæpe voluptuoſis. Quintilianus, Quo tãdem patereris animo,ſi delicatus adoleſcẽs,præſertim ſplendidis opibus, vel ex ætate mores vel ex fortuna traxiſſem,& tempeſtiua cõuiuia & puigiles iocos ad vocata ſodaliũ turba ſolutus atq; affluẽs agerẽ. M. T. Epulabor modicè cũ ſodalibus,ſodalitates enim me quęſtore ſunt inſtitutę. Idẽ alibi, Ego Plautiũ Laterenſem & ipſum gratioſum dico & habuiſſe in petitione multos cupidos ſui gratioſos,quos tu ſi ſodales vocas,officioſam amicitiã nomine inquinas vitioſo. Caius autẽ ſodales,inquit,ſunt,q eiuſdẽ collegii ſunt,quos græci συλλόγους vocant à quo nõ ſane diſcordat M. Antonius qui Norbanũ quæſtorem ſuum appellat ſodalem: at collegarũ appellatione hi continentur qui eiuſdem poteſtatis ſunt. Comis verò benignus eſt homo & facilis, qui aliis non ægre inſeruit.

Chiliarchę qui ſingulis militũ milibus præerãt: Curt. hiſt. iiii. His inq̃t cõpoſitis, in regionẽ quæ Satrapone vocatur puenit,fertilis terra , copia rerũ et omni cõmeatu abundans: itaq; diutius ibi ſubſtitit, ac ne deſides otio dimitteret animos,iudices dedit , præmiaq; propoſuit de virtute militari certantibus: nouem fortiſſimi iudicati cũ eſſent ſingulis militum milibus præfuturi ,Chiliarchos vocabant,tunc primum in hunc numerum copiis diſtributis,nanq; antea quingenariæ cohortes fuerant ,nec fortitudinis pręmia geſſerant.

Centurio is erat,vt inquit Liuius. vii. ab vrbe cond. quem nunc primipilum appellãt,& auctore Feſto qui nũc cẽturio antea cẽturionus dicebatur,à centũ dictus,vt inquit Varro,q; cẽtenarius eius iuſtus ſit numerus. Quintilianus libro pri

mo inſti. Diu deinde reſeruatū ne conſonantibus aſpirarent, vt in Graccis et in triumpis erupit breui tempore nimius vſus, vt choronæ chenturiones adhuc quibuſdam inſcriptionibus maneant.

Succenturiati milites ſunt non qui in prima ſed qui in ſecunda cēturia ſunt, vt ſi prima defecerit iſti quos ſubeſſe diximus, laborantibus primis ſubueniant, vnde ad inſidiandum ponitur ſuccenturiatus quaſi armis doloſis inſtructus. Terentius in eunucho, Ego in ſubſidiis ero ſuccenturiatus.

Decuriones ſunt, qui denis præſunt equitibus, quidā dictos aiunt ex eo quòd in initio cum coloniæ deducerentur decima pars eorum qui ducerentur, cōſilii publici gratia ſcribi ſolita ſit. Alii proinde dictos putāt, quòd ſint de ordine curiæ cuius officium adminiſtrarent. Decuriæ pluribus diſtinctæ nominibus fuere tribunorum & iudicum, propter hoc nongenti vocabantur, ex omnibus ſelecti à cuſtodiēdo ſuffragiorum ſcita in comitiis, & diuiſus hic quoq; ordo erat ſuperba appellatione nominum, cum alius ſe nongētum, alius ſelectum, alius tribunum appellaret.

Quaterniones à quatuor militū quibus præerant numero dicti. Actuum apoſtolorum. xii. tradens eum quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum.

Milites dicti quia mille erant ante in numero, quos Romulus primus ex populo ſumpſit & milites appellauit. vt in lib. primo hiſtoriarum inquit Eutropius. Varro milites dictos aſſerit quòd trium milium legio primo fiebat atque ſingulæ tribus Tatienſium Ramnenſium Lucerumq; milia militū mittebant. Vlpianus apud Iuſtinianum li. xxvii. Militem inquit quaſi milleſimum quemque dictum, hoc eſt, omnem qui ex millenario numero, ſint licet nonnulli noſtri temporis iuris periti, latini ſermonis ignari, qui dictum putāt ex mille maxime ſtrenuum. Alii inter idoneos rerum ſcriptores vt Helius à mollicie per antiphraſim dictum putant, eo quòd nihil molle ſed potius aſperum quid gerat, ſicut ludum dicimus in quo minime luditur, vel à græco verbo quod duritiem ſonat. Vnde Maro, Durum à ſtirpe genus natos ad flumina primū Deferimus, ſæuóque gelu duramus & vndis. Alii à multitudine vel à malo arcendo militem, militiámque quaſi malitiam, vel multitiam dictam rectè arbitrantur, cum eius muneris ſit multitudine malum malitiámque hoſtium arcere, tueriq; ciuilis potentiæ partes ac iura, ne quid mali ab illis ciuibus ſuis inferatur: ſicq; ille nō ſolum militat qui in acie ſtat & cornu dextrū læuúmve defendit, ſed qui portas tuetur & ſtatione minus periculoſa, nō otioſa tamen fungitur, vigiliáſque ſeruat, et armamento præeſt: quæ miniſteria quamuis incruenta ſint, in numerum ſtipendiorum tamen veniunt. Illud nec obruendum ſilentio, vniuerſos qui erant in exercitu qui pedibus & equo merērent, ſine diſcrimine veteres appellaſſe milites, & communi genere protuliſſe nonnunquam: quanquā qui equo non milites modo ſed equeſtri gradu & honore præſtarent: cuius rei fidem facit, quòd milites dicimus etiā non ſatis honeſto exercitio præditos, vt qui reos cuſtodiunt & qui ad ſupplicium ducunt. Valerius Max. lib. ix. Cn. Carbo magnæ verecundiæ eſt latinis annalibus tertio in conſulatu ſuo iuſſu Pompeii in Siciliam ad ſuppliciū ductus, petiit à militibus demiſſè & flebiliter ſibi aluum leuare prius quàm expiraret

raret liceret,quo miſerrimę lucis vſu diutius frueretur. Vnde & illud etiam,mili tem & reum eadem ſtringit cathena : quare apud omnes propemodū inuulga- tum videmus vt miles peditem deſignet,eques autem cum honore dicatur.

Tumultuarii milites dicti à tumultu id eſt Italico bello vel Gallico, quando vicinum periculum & ſubitum,& improuiſum bellum ingruit & non eſt ſpati um nec tēpus cōſilii,quod ſingulos iurare patiatur, vt inter Fabios fuit,ſed prin- ceps patratus ſiue conſul intrat templū & arripit vexillū & inquit,Qui remp. ſal uam vult me ſequatur . Euocati milites non ſunt,verū pro milite cū ingruit ne- ceſſitas et proprię vires non ſuppetunt,aliunde euocātur. De his Criſpus,Ne quis miles,neu quis pro milite & ab his alibi omnes euocatos & centuriones.

Auxiliares dicuntur in bello ſocii Romanorum externarnm nationum,dicti ex græco vocabulo quod nos dicimus rerum creſcentium auctionem.

Sacramento rogati hi ſunt,qui plenam militiam habent & xxv.annis in mi litia tenebantur,quique in temp.iurant ſe non redire,niſi prȩcepto conſulis poſt completa ſtipendia,id eſt,militiæ tempora.

Legimus apud Iul. Cęſarem aliud militiæ genus in Gallia fuiſſe pecunia con ductum,Solidurios ipſi vocant,qui neq; nunc ibi neq; alibi vſquam ſunt: horum conditio eiuſmodi erat,vt cum his quorum amicitiæ ſe deuouiſſent omnem ſu- bire fortunam,& ad vltimum etiam mori vellent,nec poſt ipſos vitam vllam pa ti poſſent,quin ſi aliter mori non daretur,mortem ſibi manu propria conſciſce- rent.Mirum genus militum,his noſtris temporibus aduerſum,neq; quiſquam ex eo numero inuentus à ſeculis ferebatur,qui hoc facere renuiſſet.

Mercenarii à mercede dicti,vt hi quos anno ab vrbe cond.circiter.d.xl: Sem- pronio Graccho Fabioq; Maximo cōſulibus Scipionis fratres res in Hiſpaniis gerētes,ex Celtiberis militibus pecunia ſolicitatis ab hoſtium ſocietate in ſua ca ſtra traduxere. Quo primum tēpore externa manus in caſtris Romanorum cœ- pit haberi: nihil enim Liuio teſte in Hiſpania memorabile geſtum præter quàm quòd Celtiberum iuuentutem eadē mercede,quæ facta cū Carthaginenſibus erat, imperatores Romani ad ſe perduxerunt & nobiliſſimos Hiſpanos ſupra trecen tos inde in Italiam ad ſolicitādos populares qui inter auxilia Hannibalis erant, miſerunt: id modo eius anni in Hiſpania ad memoriam inſigne eſt,quòd mer- cenarium militem in caſtris neminem antequam tum Celtiberos Romani ha- buerunt.

Equites dicti quòd eis in legationes ituris equi dabantur de publico, vel cum militandum foret,vt non pedites ipſi,quemadmodum plebs ſordida reliqua,ſed digniori militiæ genere maiorique honore regē ac imperatorem in bellum eun- tem equites ſequerentur. Liuius,hæc vbi inter ſigna peditum dicta dedit, aduo- lat deinde ad equites,agite iuuenes,inquit,præſtate virtute peditē,vt honore atq; ordine præſtatis. In his quoq; qui ad equitatum trahebantur, nomen ſæpe vari- atum inuenio. Prius enim ſub Romulo regibusq; appellati ſunt celeres,vel à cele ritate vel à duce Celere, qui dicitur Remum occidiſſe, in cuius gratiæ vicem à Romulo fieri tribunus militum meruit: hique trecēti fuere,quos Romulus tum bello tum pace ad ſui cuſtodiam corporis habuit: hi deinde flexumenes dicti,po

ſtea

ſtea Troſuli, cum Troſulum oppidū in Tuſcis citra Vulſinos ſine vllo peditum auxilio cepiſſent, huiuſq; nominis appellatio durauit vltra C. Gracchum: Iunius poſtea qui ob amicitiam eius Gracchianus eſt appellatus, ſcriptum reliquit his verbis, Quod ad equeſtrem ordinem ſpectat, antea Troſulos, nūc equites vocant, ideóque quia non intelligunt troſulus nomē quid valeat, multos pudet troſulos vocari. Quo autem honore equeſter locus vel gradus apud maiores fuerit oſtendit M. T. Cicero in oratione ad iudices pro Plancio, Video inquit quid dicam, hic familia cōſulari eſt, ille prętoria, reliquos video eſſe in equeſtri loco, ſunt omnes ſine macula, ſunt æquè boni viri atque integri, ſed ſeruari neceſſe eſt gradum, cedat conſulari generi prætorium, nec contendat cum prętorio equeſter locus: idem Cicero, Demum equeſtre nomen in cōſulatu ſtabiliuit ſuo Catilianis rebus ex eo ſe ordine profectū eſſe celebrans, quo tempore hoc. iii. corpus in rep. ſtatutum factumq; eſt, cœpitq; adiici ſenatui populóq; Romano & equeſter ordo.

Deſultor is eſt q de vno equo ad aliū ſe tranſfert. Liuius ii. belli pu. lib. iii, Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, ſed quibus deſultorū in modum binos trahentibus equos, inter acerrimam ſæpe pugnam in recentem equum ex feſſo armatis tranſultare mos erat, tāta velocitas ipſis, támque docile equorum genus, cum hoc modo inſtructi ſtarent.

Procurſatores à procurrendo dicti. Liuius belli punici ſecundi lib. ix. Velites ſubſidio miſit, à quibus vbi per procurſatores commiſſa pugna miſſa eſſet, Lęlium cum equitatu impetum ex occulto facere iubet.

Pedites quòd pedibus non equis inniterentur dicti, horū nomen ſemel tantum variatum inuenio, & ab Iphicrate Athenienſe, qui multa in re militari noua attulit, multáq; meliora fecit: nanq; pedeſtria ille arma mutauit, & cum ante illum imperatores maximis clypeis, breuibus haſtis, minutis gladiis vterentur, è contrario ille peltam pro parma fecit, à quo poſtea Peltaſtæ pedites ſunt appellati, vt ad motus concurſūsque eſſent leuiores.

Accenſus, Q. Aſconio teſte, nomen eſt ordinis & promotionis in militia, vt nunc dicitur princeps & cornicularius. Accenſos Cato adminiſtratores eſſe ſcribit: alii accenſos militię genus eſſe adminiſtrantibus proximū perhibēt. Varro, vt coſſ. vt prætores, qui ſequuntur in caſtra accenſi dicti, quòd ad neceſſarias res ſæpius acciantur velut accerſiti, quos nunc dicimus deputatos: vel accenſi dicebantur qui in locum mortuorum militum ſubito ſubrogabantur, ita dicti quòd ad cenſum adiiciebantur.

Adſcriptitii veluti quidam ſcripti dicebantur, qui ſupplendis legionibus adſcribebantur: hos et accenſos dicebant, quòd ad legionum cenſum eſſent adſcripti, vel quòd olim inermes armatis militibus adſcribebantur, qui ſuccederent ſi quis eorum deperiſſet.

Leuis armaturæ ſiue leues, viii. ab vrbe condita teſte Liuio, qui haſtam tantum geſſāque gererent, vocabantur.

Expediti & impediti ab eodem denominationem ſibi vendicāt, aut ex ſolutis militibus aut illigatis. Siſenna hiſtor. lib. iii. Inermes armat impeditos expediti ſine vllo ſuorum vulnere cunctos interficiunt, vel expediti & impediti dicti, quòd

milites

milites ac bellatores expeditos curis & domeſticis affectibus abſolutos eſſe opor tet & impeditos ac ligatos.

Ferentarii qui leui ſunt armatura milites inſtructi ad bellum, vt fundis & lapidibus,enſe,telis & his armis quæ feruntur non quæ tenentur; Saluſtius in Catilinario,Poſteaquam eò ventum eſt vt à Ferentariis prælium committi poſſet,maximo clamore cum infeſtis ſignis concurrunt, pila emittunt & gladiis res geritur: hos Varro à ferendo etiam dictos putat, verũ eodem teſte equites dicti ſunt ferentarii, qui eo modo habebant arma quæ feruntur,vt iaculum , eiuſmodique equites pictos vidiſſe inquit ſe in Aeſculapii æde vetere , & ferẽtarios aſſcriptos: Cato autem eos referentarios dixit,quòd tela ac potiones militibus pugnantibus miniſtrabant.

Pygmæos montana Indiæ incolentes quibus eſt vicinus oceanus exiguę adeò proceritatis homines eſſe quidam auctores non leues tradidere, vt cubitalẽ menſuram non excedant,belligeros tamen: hos enim aiunt arietum caprarúmq; dorſis armatos inſidentes continuum bellum gerere cum gruibus .Iuuenalis,

Ad ſubitas Thracum volucres nubémque ſonoram,
Pygmæus paruis currit bellator in armis
Moxq; impar hoſti,raptusq; per aëra curuis
Vnguibus à ſæua fertur grue,ſi videas hoc
Gentibus in noſtris riſu quatiere: ſed illic
Quanquam eadem aſſidue gerantur prælia,ridet
Nemo,vbi tota cohors pede non eſt altior vno.

Arimaſpi hominũ in Ponto genus vno oculo in fronte media cum gryphis aurum cuſtodiẽtibus aſſidue bella gerentiũ, quosq; fama eſt non incelebris Pompeii contra Cęſarem Philippicis in campis partes ac ſigna ſecutos fuiſſe , Vnde Lucanus in tertio,

Hinc & Sydoniæ gentes,auroq; ligatas
Subſtringens Arimaſpe comas.

Amazones Scythicæ mulieres bellicoſiſſimæ quę excidio coniugum & pactum armis quęſita ne genus interiret concubitum finitimorum ineant,ſi qui mares naſcantur interimant,virgines in eundem ipſis morem non otio neque lanificio,vt cæteræ mulieres,ſed armis,equis, venationibus exerceant, inuſtis infantium dextris mammillis,ne ſagittarũ iactus impedirentur. Vnde & à Græcis eo quòd mammis careant Amazones appellantur . Curtius lib.quarto , veſtis non toto Amazonũ obducitur corpori: nam læua pars ad pectus eſt nuda,cętera deinde velantur: nec tamen ſinus veſtis modo colligunt,infra genua deſcẽdit,alterna papilla intacta ſeruatur,qua muliebres ſexus alant , aduritur dextra vt arcus facilius intendant & tela vibrent: nam vt poëta meminit,

Pulſant & pictis bellantur Amazones armis.

Argyraſpides ob arma deargentata ſic dicti milites, qui ſub Alexandro militabant . Oroſius tertio hiſtoriarum , Quare vltimo conſilio Argyraſpidas ob arma argentea ſic dictos,hoc eſt, milites qui ſub Alexandro militauerant in auxilium rogat. Iuſtinus in epitome Trogi Pompeii.xii.cui gloriæ vt etiam exercitus

citus ornamenta cõuenirent,phaleras equorum & arma militum argento inducit, exercitúmque ſuum ab argẽteis clypeis Argyraſpides appellauit. Liuius ab vrbe cõdita xxxvii. Ab eadem parte paulum prorupto cornu regia cohors erat, argyraſpides à genere armorum appellabantur.

Capitecenſi milites vocabantur, qui nullo vel qui q̃ paruo ære cenſebantur: hi nanq; niſi in tumultu maximo & aſperis reip. temporibus, cum iuuẽtutis inopia eſſet,in militiam tumultuariam legebantur,armaq; his ſumptu pub. præbebantur, & non capitis cẽſione, ſed proſperiore vocabulo à munere officióq; prolis edendę,proletarii appellati ſunt,quòd cum re familiari parua haudquaquam poſſent remp. iuuare, ſobolis tamen gignendæ copia ciuitatem frequentarẽt. Capitecẽſos primus C. Marius,vt quidam ferunt,bello Cymbrico,vel potius, vt inquit Criſpus bello Iugurthino milites ſcripſiſſe traditur,cũ factum antè in nulla memoria extaret.

Cataphracti equites hi dicuntur,qui & ferro muniti ſunt,& equos ſimiliter munitos habent. Liuius xxxv. ab vrbe cõdita, His,vt plerique quos opes alunt,vaniloquiis maria terráſque inani ſonitu verborum compleuit, equitum innumerabilẽ vim traiici Helleſponto in Europã,partim loricatos quos cataphractos vocant. Idem xxxvii, Prẽter rectorem quaterni armati ad latus dextrum phalangitarum mille & quingentos Gallogrẽcorum pedites oppoſuit: his tria milia peditum loricatorum,quos cataphractos ipſi appellant,adiunxit.

Geloni,vt inquit Pom. Mela Coſ. lib. ii. Non loricis ſed hoſtiũ cutibus equos ſeq; velabant,illos reliqui corporis,ſe capitum.

Cetrati à cetris,hoc eſt,breui ſcutorum genere muniti & armati milites dicti. Liuius ab vrbe condita xxxv, Nauigia parua in ſtationem occultam agri Argiui contraxit, in ea expeditos milites cetratos pleroſque cum fundis & iaculis & alio leui genere armaturæ imponũt. Idem in eodem, Cetrati itaq; quantum latitudo vallis patiebatur inſtructi ſederent,vt facile per interualla ordinum fugientes ſuos acciperent.

Pilani teſte Varrone dicti quòd pilis à principio pugnarent,pòſt commutata re militari minus illuſtres facti. Ouidius .iii. faſtorum,

Inde patres centum denos ſecreuit in orbes,
Ꝛomulus haſtatos inſtituítq; decem:
Et totidem princeps,totidem pilanus habebat,
Corpora legitimo quiſq; merebat equo.

Velites expediti & leui armatura milites à volitando ob celeritatem dicti,teſte Oroſio libro quarto hiſtoriarum: vel à grẽco βάλλειν,id eſt,iaciẽdo,hi tripedalem parmam habent & in dextra haſtas quibus eminus vtuntur, gladio Hiſpanenſi accincti, cum armis ſuis poſt terga equitum conſidebant, continuóque pedites ipſi ex alia parte equitibus per quos aduecti fuerant dimicãtibus,hoſtem perturbabant: Quod ſi pede collato pugnandum ſibi erat,tranſlatis in læuã haſtis,gladium ſtringebant,vt velites etiam in legionibus eſſent. Auctorem peditum equitibus immiſcendorũ cẽturionẽ Q. Neuium ferunt eo bello primũ,quo Capuam nobiliſſimã ac potentiſſimã quondam vrbẽ Fuluius Flaccus imperator obſedit.

Velatos

Velatos appellant veſtitos & inermes milites,qui exercitum ſequebantur quiq; in mortuorum militum locum ſubſtituebantur.

Volones dicti ſunt milites qui poſt Cannenſem plagã vſq; ad octo milia,cum eſſent ſerui,voluntariè ſe ad militiam obtulerunt,& cum ſponte hi vellent, volones appellati.

Tituli milites proinde ſic appellantur, quòd patriam tuerentur,vnde & Titi prænomen ortum eſt. Titulum autem dici ait Numa Pompilius de pontificalibus ſcribẽs pallium quo ſacerdotes caput tutabant,cum ad ſacrificium acceſſiſſent,ſicut & Virgilius,

Et caput ante aras phrygio velamus amictu.

Rorarii milites qui leui armatura primi prælium committebant, quòd vt ros ante imbrem,ſic illi ante grauem armaturam prodibant,Rorarii dicti.

Beneficiarii dicebantur milites,q vacabant muneris beneficio,ſicut cõtrà munifices vocabantur qui non vacabant,ſed munus reip.faciebant,vel beneficiarii militũ genus qui ex eo ita appellantur quia promouentur ad honores beneficio tribunorum,vt inquit Vegetius,idq; confirmatur auctore Cæſare in commentariis ſuis,cuius verba hæc ſunt,Hæc erant milia xlv.euocatorũ circiter duo,quæ ex beneficiariis ſuperiorũ exercituũ ad eũ cõuenerãt,quæ tota acie diſperſa erãt.

Dupliciarii milites dicti,vt Varro inquit, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur inſtitutum eſt.

Latrones conducti milites vocantur: Moris enim erat vt hos imperator circa ſe haberet,& primò mitteret ad omne diſcrimen,et quanquam græcum eſt nomen, Varro tamẽ dicit hoc poſſe habere etiam latinam etymologiam,vt latrones dicti ſint,quòd circa latera erant regi quaſi laterones, atq; ad latera habebãt ferrum,quos poſtea à ſtipatione Stipatores adpellarunt,& quia conducebantur, & ea merces dicitur μισθὸς ab eo veteres poëtæ nonnunquam milites mercenarios appellant latrones, aut quòd latrocinari militare eſt mercede, aut q̃ latent ad inſidias faciendas,quos nunc Satellites vocant.

Sicarii latrocinantium genus ſicas & gladios ſub veſte deferentium.Ioſephus bello iudaico libro ii. Sic enim regione purgata aliud genus latrocinantium in Hieroſolymis oriebatur, hi autem ſicarii vocabãtur,die claro & in media ciuitate paſſim quoſque interficientes, potiſſimum verò diebus feſtiuis miſcebantur vulgo,& ſicas ſub veſte geſtantes his diuerſos quoſque interficiebant, ac deinde collapſis hominibus,illi inter reliquos de ſcelere quærebant, qua fraude extra ſuſpicionem manebant.Idem in eodem, Inter infirmiorem autem vulgum multi irrumpẽtes ſicariorum,ſic enim vocant latrones,gladios in ſinibns gerentes, audaciſſime vtebantur opere quod adorti erant.

Deſiderati milites ſecundum conſuetudinem deperditi vel qui perierunt, vel ſecundum rationem dictos puto, quòd abſentium rerum necdum inuentarum ſint deſiderium.Cicero pro A.Cluentio,Aſinius verò breui illo tempore quaſi in hortulos iret,in harenarias quaſdam extra portam Eſquilinam perductus occiditur, qui cum vnũ iam & alterũ diem deſideraretur,neq; in his locis in qbus ex conſuetudine quærebatur inueniretur, &c. Cæſar ſiue alius pro eo xi. Duobus

his vnius

his vnius diei præliis Cæsaris desiderati sunt milites. dcccclx. Idē li. xii. Eodém que die Lariſſam peruenit, in eo prælio non amplius trecentos milites desiderauit. Q. Curtius quarto, Cecidere Persarum quorum numerum victores finire po tuerunt milia xl. Macedonum minus trecenti desiderati sunt. Idem in transitu Tigris, Nec quicquam præter paucas sarcinas disideratum est.

Triarii milites teste Varrone sic dicti, quòd in acie tertio ordine extremis sub sidio ponebantur, quódque hi subsidebant ab eo subsidiū dictum. Plautus, Agite nunc subsidite omnes triariis. Liuius ad vrbe condita xxxvii, Hastatorū prima signa, deinde principū erant, triarii postremos claudebant. Idem in octauo, Triarii sub vexillis considebāt siniſtro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas surrecta cuspide in terrā fixas, haud secus quàm quæ vallo septa acies inhorreret tenentes: si apūd principes quoq; haud satis prosperè esset pugnatū, à prima acie ad triarios rediisse, cum laboratur, prouerbio increbuit.

Retiarii nomē ab armaturæ genere ortum perhibetur: contra enim pugnantem Mirmillonem retiarius ferebat occulte rete, quod iaculum appellatur, vt aduersarium cuspide insistentem operiret, implicitumq; viribus superaret: huic retiario pugnanti aduersus Mirmillonē, cantabatur non te peto, piscem peto, quid me fugis galle: quia mirmillonicum genus armaturę gallicum est, ipsíq; Mirmillones antè Galli appellabantur, in quorū galeis piscis effigies inerat: quod genus pugnę institutum est à Pittaco ex septē sapientibus vno, & exercitus imperatore, qui aduersus Phrynonem Atheniēsium ducem qui pancratiastes et olympioni ces fuerat dimicaturus, propter controuersias finium quæ erant inter Atticos & Mitilenos, rete sub clypeo occulte lato impediuit Phrynonen, & dum non cauit inuoluit.

Gregarii humilis militiæ ac vulgatæ milites qui ex minoribus & extraordinariis sunt, cū alii maiores & ordinarii dicantur. Iustinus epit. trog. Pomp. xiii. Prima Ptolomæo Aegyptus Aphricæ Arabięq; pars sorte venit, quem ex Gregario milite Alexander virtutis causa prouexerat. Idem xxxviii, His auditis Antiochus occupandum bellum ratus, exercitum quem multis finitimorum bellis indurauerat aduersus Parthos ducit, sed luxurię non minor apparatus quàm militiæ fuit; quippe octoginta milia armatorum secuta sunt trecenta lixarū ex quibus coquorum, pistorum, scortorumq; numerus fuerit maior: argēti certe auriq; tantum, vt etiam Gregarii milites auro caligas fingerent proculcarentq; materiam, cuius amore populi ferro dimicant.

Optiones appellantur hi milites quos decurio aut centurio optat sibi rerum priuatarum ministros, quò facilius obeat publica officia: optiones autem dicti ꝙ sint electi, nā optare, est eligere: sicut est illud, Optauítq; locū regno, id est, elegit.

Optices quoque ab optādo appellati eò quòd antecedentibus ægritudine præpeditis tanquam adoptati eorum atq; vicarii, solent vniuersa curare.

Excubitores dicti pro eo quòd excubias semper agunt, sunt enim ex numero militum.

Procubitores autem dicuntur, qui noctu custodiæ causa ante castra excubabant, cum castra hostium in propinquo essent.

Strenuus,

Strenuus,efficax,gnauus,vigilans,fortis ſic dictus,quòd ſternendo aduerſa re nuat. Liuius viii. ab vrbe cõdita,Cn. Cornelio C. Lentulo. P. Philone iterũ coſſ. Palæpolim ad res repetendas miſſis,cum relatũ eſſet à gręcis,gente lingua magis ſtrenua quàm factis ferox reſpõſum. Iuſtinus epi. Trog. Pomp. xii. Nam & manu ſtrenuus,& in concionibus perfacundus habebatur.

Tranſfuga, Vlpiano teſte,nõ eſt ſolus accipiendus,qui ad hoſtes in bello trãſfugit, ſed et qui per inducíarum tempus, ad eos cum quibus nulla amicitia eſt, fide ſuſpecta,tranſfugit.

Fugitiuus, vt Oſilius inquit, is eſt qui extra domini domũ fugæ cauſa,vt ſe à domino celaret,mãſit. Cęlius autẽ fugitiuum eſſe ait eum,qui ea mente diſcedat, ne ad dominũ redeat,tametſi mutato conſilio ad eũ reuertatur. Nemo enim tali peccato inquit pœnitẽtia ſua nocẽs eſſe deſinit. Caſſius quoqꝫ ſcribit fugitiuum eſſe q certo propoſito domũ relinquit. Apud Iul. item relatũ eſt fugitiuũ ferè ab affectu animi intelligendũ eſſe: nõ vtiqꝫ à fuga. Nam eũ qui hoſtem aut incendium,latronẽ,ruinámve effugeret quàmuis fugiſſe eſt verũ, nõ tamẽ fugitiuũ eſſe. Apud Labeonem & Cæliũ quæritur,ſi quis in Aſylum cõfugerit aut eò ſe conferat quò ſolent venire qui ſe vænales poſtulãt,an fugitiuus ſit? Ego puto nõ eſſe eum fugitiuũ,qui fecit id quod publicè facere licere arbitratur,nec eũ quidem qui ad ſtatuam Cęſaris confugit,fugitiuum arbitror, nõ enim fugiendi animo hoc fecit. Idem puto et in eum qui in Aſylũ vel quid aliud ſimile confugit,quia non fugiendi animo hoc fecit: ſi tamẽ antè fugit,& poſtea ſe contulit ,non ideo magis fugitiuus eſſe deſinit. Item Cælius ſcribit placere eum quoqꝫ fugitiuum eſſe,qui eò ſe conferat vnde eum dominus recuperare non poſſit , multoqꝫ magis illum fugitiuum eſſe qui eò ſe conferat,vnde abduci non poſſit.

Tyrones dicuntur fortes pueri,qui ad militiã deliguntur atque armis gerendis habiles exiſtunt,vnde et Tyrones dicti. Tyro etiam rudẽ & ignarum ſignificat. Proinde Cæſar Tyrones neque in ludo neqꝫ p laniſtas,ſed in domibus per equites romanos atque etiam per ſenatores armorum peritos erudiebat: hi enim antea probantur,ſicut mos fuit Romę puberes exercere armis,& ſub cuſtodibus eſſe,poſtea militare, de quibus poëta nobiliſſimus, Et primo flore iuuentus. Inde Tyrunculus per diminutionem paruus Tyro dicitur.

Veterani legionarii dicuntur,quique iam in vſu prędii non ſunt,póſtque multos militiæ labores quietis ſuffragium conſequuntur . Veteranus etiam Modeſtino auctore eſſe creditur,non ſolum legionarius, ſed omnis qui qualitercunqꝫ militauerit,& honeſtè eſt ipſe abſolutus.

Emeriti dicũtur ſoluti militia,& quia merere militare dicitur ob ſtipendia. ſ. quæ merentur , ſicut emeriti ſtipendii,vel emeritæ militiæ qui militia perfuncti ſunt nominãtur: qui extra meritũ ſtipendii & militię poſiti,ſicut miles olim poſt lx. vel lxx. annum qui à labore ſolutus nõ cogebatur militare,agro vel villa donatus: Nonnullarũ enim rerũ publicarum hic mos eſt,vt poſt ſexageſimũ ad militiã nemo cogatur,in pluribus detur remiſſio iuſta poſt lxx. Iuſtinus epi. Trog. Pomp. lib. xi. Alexander cũ contra Perſarum tam periculoſum bellũ,exercitum legeret,nõ iuuenes robuſtos,nec primum florem ætatis,ſed veteranos,pleroſque

etiam emeritos militiæ,qui cum patre & patruis militauerant,elegit.Quintilianus,Emeritis hinc bello ſtipendiis:& per tranſlationem à poëta præclaro emeriti boues dicuntur in georgicis quoque.

Armiger eſt qui tela gerit,& arma tantum domini ſui,vt ſcutum, pilum,arcum,cæteraq; id genus, vt quidã perhibent,qui eos imperitiæ quoq; arguũt,qui armigerũ vocant armatũ equitẽ,quod à clariſſimis rerum geſtarum ſcriptoribus haudquaq; obſeruatũ inuenio, Liuius ab vrbe cond.xxii. Donec inſuper eques cui Ducario nomen erat,facieq; noſcitans coſ.inquit, hic eſt cum popularibus ſuis qui legiones noſtras cecidit,agrosq; & vrbem eſt depopulatus, iam ego hãc victimam manibus peremptorum fœdè ciuiũ dabo, ſubditisq; calcaribus equo, per confertiſſimam hoſtium turbã impetum fecit,obtruncatoq; prius armigero qui ſe infeſto venienti obuiam obiecerat,cõſulem lancea tranſfixit,ſpoliare cupientem &c. Curtius, Atarras antè cum trecẽtis armatis intrauerat regiam,huic decem ſatellites traduntur,quorum ſingulos deni armigeri ſequebãtur,hi ad alios coniuratos comprehendendos diſtributi. Seneca tragicus in Hippolyto de Amazonibus,Et prorſus iſte gẽtis armigerę furor odiſſe Veneris fœdera,& caſtum diu vulgare populis corpus. Suetonius in vita Octauiani, Cæterum numerum partim in vrbis, partim ad ſuam cuſtodiam adlegit, dimiſſa Calliguritanorum manu,quam vſq; ad deuictum Antonium,item Germanorum,quã vſq; ad cladem Variam inter armigeros circa ſe habuerat.

Lixæ qui exercitum ſequuntur quęſtus gratia,dicti quòd extra ordinem militię ſunt,eisq; liceat quod libuit. Alii eos à Lixa appellatos dicunt q; & ille Herculẽ ſit ſecutus,vel quòd lixæ militibus aquã ad caſtra vel tentoria ſolerent ferre, quam lixam veteres dixere,quamq; coctam,elixam dicimus: quidã à liguriendo quæſtum. Liuius.xxiii. Lixę calonesq; & alia turba cuſtodiæ impedimẽtorum oppoſita, vt paucitatem maxime ſpernentibus Pœnis, ingẽtis repente exercitus ſpeciem fecerit. Calones Nonio teſte militũ ſerui,dicti quòd ligna militibus ſubminiſtrent,ſiue ligneas ferant clauas.

Cacula etiam militis ſeruus. Plautus, Video caculam militarem: & dicitur à græco κάλον quòd fuſtibus clauiſque ligneis ad tutelã dominorum armari ſoliti ſunt,iſque qui huiuſmodi claua & teli genere vtitur,Clauator appellatur.

Auctoratus miles is dicitur,qui obligatus & ſubiectus eſt. Sueto.lib.iii. De legendo vel auctorãdo milite ac legionum et auxiliorũ deſcriptione: ex quo fit auctoramentum,quod quaſi obligatio eſt rerum,vel ſtipendium quoddam,vel precium cuiuſdam militiæ ac pugnæ actioniſque.

Exauctoratus inſignibus militaribus amotus : exauctorare enim eſt inſignia militaria detrahere,auctore Vlp.Si enim Iuliano accedimus, ſi quis militẽ exauctorauit,inter infames effecit,licet nõ addidiſſet ignominię cauſa eũ exauctoraſſe:exauctorare quoq;,Iuliani pace dixerim,eſt non ſolũ infamem militẽ reddere, verum ducẽ ab imperio ſuo dimittere,vel miſſum militẽ facere,illumq; honeſta miſſione militiæ plerũq; donare. Liuius ab vrbe cond.lib.xxix. Vbi ex his vnus auſus eſt dicere ſe prſus ſi ſibi vtrũq; velit liberũ eſſe,nolle militare,tũ Scipio,Ex quo igitur adoleſcẽs quid ſentires nõ diſſimulaſti, vicariũ tibi expedi iã cui tu

arma

arma equũq; et inde cætera inſtrumẽta militiæ tradas, & tecũ hinc extẽplo domum ducas,exerceas,docendum cures,equo armisq; lęto conditionẽ accipienti vni ex ccc.quos inermes habebat tradidit: vbi hoc modo exauctoratũ equitem cũ gratia imperatoris cęteri viderũt,ſe quiſq; excuſare & vicariũ accipere.Iulius Frontinus ſtratag.quarto,Diuus Auguſtus Veſpaſianus cũ quendã adoleſcentẽ honeſtè natũ,militię inhabilẽ, anguſtiarũ rei familiaris gratia eductum, ad longiorẽ ordinẽ erexiſſet,cenſu cõſtituto honeſta miſſione exauctorauit. Iam hucusq; perductus liber iſte claudendus eſt, eiusq; prolixitatis modus adhibendus: verùm quia nonnulla etiam mihi in hoc adhuc video ponenda eſſe,quæ ſint illa proximus liber cõmodius indicabit,ne hunc tam prolixum vlterius onerem.us.

ROBERTI VALTVRII AD ILLVSTREM HEROA SIGISmundum Pandulphum,de re Militari Liber Nonus.

Quid quotuplexq; bellum, & unde cætera bellici exercitus uocabula, acierum, ſingularumq; denominationum cauſæ.

QVoniam ſuperiori volumine,Sigiſmunde Pandulphe,vocabula militaris ac publici honoris priſca et præclara p varias corũ origines & officia monſtrauimus, bellici nũc exercitus intactũ ne quid aliorum relinquatur is ſequẽs liber patefaciet,cauſasq; ſingulorum ac denominationes ſeorſum aperiet et explicabit.

Bellum quod eſt multiplex,ſuisq; diſtinctũ nominibus,cum aliud internum ſit,aliud externum,aliud ſeruile vel ſociale vel pyraticum,vt antè diximus, dictum à belluis quòd belluarũ ſit pernitioſa diſſenſio, vel vt Seruio placet,ſicut à lucendo lucus dictus eſt, ſic à nulla re bella bellum, eò quòd contrà ſit horridum et peſſimum,vnde bella horrida bella:alii à Belo qui primum gladium ferreũ produxit.Caſſi. primo hiſt.Poſtea Belus ferreum gladium primus produxit,à quo bellum placuit denominari:& eſt bellum tempus omne quo pręparatur aliquid pugnæ neceſſarium illis quo pugnetur,vel bellum eſt totũ tempus quo in militia ſumus,quod indocti noſtri temporis Guerram vocant,vt bellum Gallicum,bellum Punicum,bellum Macedonicum.

Duellum bellum videlicet,quòd duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur,vt inquit Feſtus.Bellum enim ante duellũ vocatum,vt alii perhibent, eò quòd duæ ſint partes dimicantium, vel quòd altera faciat victorem, altera victum: poſtea verò mutata & detracta litera dictũ eſt bellum. Horat .prim.epiſt.

Græcia Barbariæ lento colliſa duello,
Stultorum regum & populorum continet æſtum.

Ouidius vi.faſtorum,

Hac ſacrata die tuſco Bellona duello, Dicitur, & latio proſpera ſemper adeſt. Liuius primo ab vrbe condita, Dic, inquit, ei quẽ primum ſententiam rogabat, quid cenſes? Tum ille puro pioq; duello quærendas cenſeo. Idem. xxxvi. Si duellum, quod cum rege Antiocho ſumi populus iuſſit, id ex ſententia ſenatus, populique Romani confectum erit, tum tibi Iupiter Populus Rom. ludos magnos dies decem continuo faciet.

Tumultus grauius vrget quàm bellũ: poteſt enim teſte Cicerone eſſe bellum ſine tumultu, tumultus eſſe ſine bello non poteſt. Quid eſt enim tumultus niſi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur: vnde etiam nomẽ eſt dictum tumultus. Itaq; maiores noſtri tumultũ Italicum, quòd erat domeſticus, tumultũ Gallicum quòd erat Italiæ finitimus, præterea nullũ tumultum nominabãt: grauius autem tumultum eſſe quàm bellum hinc intelligi licet, quòd bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent, ita fit quemadmodum dixi, vt bellum ſine tumultu eſſe poſſit, tumultus ſine bello eſſe non poſſit.

Turbam appellari Labeo ait, ex genere tumultus, idq; verbũ ex græco cõtractum: turbã autem ex quo numero admittimus, ſi duo rixam cõmiſerint vtique non accepimus in turba id factũ, quia duo turba nõ propriè dicuntur: enimuero ſi plures fuerint decẽ aut quindecim homines turba dicetur: quid ergo ſi tres aut quatuor? turba vtiq; nõ erit, & rectiſſimè Labeo inter turbã et rixã multum intereſt, ait nanque turbam multitudinis hominum eſſe perturbationem & cætum, ſed rixam duorum.

Prælia congreſſiones armatorũ, certamina belli pugnæq; partes dicũtur. Lucilius. xxvii. Ro. po. victus vi & ſuperatus præliis ſæpe eſt multis, bello verò non vnquã. Liuius ab vrbe cond. ix. Quantalibet magnitudo hominis cõcipiatur animo, vnius tamẽ ea magnitudo hominis erit collecta paulò plus decẽ annorum fœlicitate, quam qui eo extollunt, quòd po. ro. & ſi nullo bello, multis tamen præliis victus eſt. Dicitur autẽ prælium ab imprimẽdo hoſtes, vnde præla ligna quibus vua premitur vel à præludendo, bellũ enim quaſi præludendo incœptabant.

Pugna à bello differt & prælio: eſt enim vnius diei & belli pars, vt Cannenſis, Cremerenſis, multaq; continet prælia, cũ aliud in cornibus, aliud in media, aliud in extrema acie geritur, & à pugnis dicta, vel quòd ab initio vſus fuiſſet in bello pugnis cõtendere, q; primo bellũ pugnis incœptabant. Lucretius li. iii. rerum na. Arma antiqua manus, vngues, dẽtesq; fuerunt: Caſſio. li. i. hiſt. Inter ipſos quoque aduerſarios, vt ſcitis, nõ erant plus armata certamina, ſed pugnis ſe feruida quælibet laceſſebat intentio, vnde & pugna nomen accepit. Pugnare etiã eſt manus cõſerere, expugnare verò pugnando vincere, expugnare nauẽ ſimiliter, teſte Calliſtrato, eſt eã aut ſpoliare, aut mergere, aut diſſoluere, aut pertũdere, aut funes eius excidere, aut vela cõſcindere, aut anchoras inuoluere de mari, quo equidem miror illud Pſalmographi Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrahel, etenim non potuerũt mihi, pro eo quod eſt oppugnauerunt ſiue impugnauerũt: ſi enim nõ potuerũt mihi, profecto nõ expugnauerũt ſed oppugnauerũt: græcè autẽ magis eſt oppugnauerunt ſiue impugnauerunt q̃ expugnauerũt, pro eo ſignificato accepit interpres, niſi librariorum vitio ita ſcriptum ſit.

Gymnicum

Gymnicū certamen velocitatis eſt ac viriū gloria,cuius locus gymnaſiū dicitur, vbi exercẽtur Athletæ,& curſorū volocitas cõprobatur , hoc alii veterū Pentathlum , alii Quinquertum dixerũt: id autem genus exercitationis in his quinq; artibus conſtat,iactu diſci,curſu,ſaltu,iaculatione,lucta. Ouidius in faſtis,

Ceſtibus & iaculis et miſſo pondere ſaxi Brachia per luſus experienda dabant.

Luctatio laterum complexus,quibus cominus certantes vtuntur.

Exercitum militum copiã dicimus nõ vnã cohortẽ tãtum, neq; vnam alam, ſed numeros multos militum, legionum vel legiones cũ ſuis auxiliis continentem: nomen autem exercitus ab exercitatione traxit, vel vt Varroni viſum eſt, exercitus quòd exercitando melior fit.

Copias plurali tãtum numero de exercitu: copiam verò aliarũ dici rerum teſtis eſt Seruius cõment. ii. æneid. in hoc tamẽ numero cõtra Seruium vſus venit eruditorũ. Saluſtius in Catili. Poſtremo ex omni copia Catilinæ,neq; in prælio, neq; in fuga quiſq; ciuis ingenuus captus eſt. Idem in eodẽ,Dum ea Romę gerũtur Catilina ex omni copia,quã & ipſe adduxerat & Manlius habuerat,duas legiones inſtruit. Idem in eodẽ,Sed ex omni copia erat quarta pars inſtructa militaribus armis. Liuius bel. Mace. li. v. Ipſe paucos poſt dies ſex milia ſuorum militum,ex ea copia quæ Lamiæ repẽte colligi potuit,non ita multos Aetholos ducit. Statius. vii. Theb. Premit indigeſta ruẽtes copia,& quę ſit mecũ,teſte Virgi. copia luſtro. Teren. in eunucho teſte Donato in cõment. ſex homines copias ducit militem ſcilicet,Paraſitum,Doracẽ,Siriſcum, Simalionem,Sangam,cum inquit,militem ſecum ad te quantas copias adducere.

Expeditio dicta quòd milites ac bellatores expeditos curis & domeſticis affectibus abſolutos eſſe oportet.

Legionis proprietatẽ vt ab eligẽdo vel ab electione militũ maximè & Seruius & Varro de vita patrũ libro tertio dictã,interpretãtur,ita circa eius numerũ omnes penè variãt. Seruius in primis nobilis grammaticus,variis in locis Virgilii mentẽ interpretãdo. Nam in legione,inquit,nõ niſi ccc. equites erant. Virgi. in ſeptimo,Equos numero pater eligit omni,Stabãt trecenti nitidi in præſepibus altis. Vnde & alibi, Trecẽti ſcutati omnes noti, Idẽ Legiones propriè peditũ ſunt, turmæ verò equitũ. Virgilius in nono,Cætera tũ legio cãpis inſtructa moratur. Varro de lingua latina,milites dicti quòd triũ miliũ primo legio fiebat,atq; ſingulæ tribus Tacienſiũ,Ramnẽſium,Lucerũ milia militũ mittebant. Cintius autem de re militari libro ſexto auctore Gellio no. atti. xvii. ita ſcriptũ reliquit,In legione ſunt cẽturię ſexaginta,manipuli triginta,cohortes decem. Flauius Vegetius. ii. de re militari,Macedones,Græci,Dardani phalanges habuerũt, in vnáq; phalãge nouẽ milia armatorũ cenſebãtur, Galli Celtiberi pluresq; barbaræ nationes cateruis vtebãtur,in quibus ſena milia armatorum erãt. Romani legiones habent quibus ſingulis ſena milia & eo amplius, interdum eo minus cẽſuerunt eſſe. Plutarchus in vita Romuli, Legiones ſingulæ ſex miliũ peditũ & ſexcentorum equitum cõplebant numerum. Liuius li. xxxviii. ab vrbe cond. Cum eas legiones quatuordecim ſcripſiſſent,quòd plus q̃ quinq; milia peditũ trecẽti equites in ſingulis legionibus eſſent . Idem in eodem , Ob ea nouos exercitus conſcribi placuit,

placuit quatuor legiones in Ligures, vti singulę quina milia & ducentos pedites ccc. haberet equites,sociorũ item Latini nominis quindecim milia peditũ addita & octingẽti equites. Idem trigesimosexto , Romana acies vnius propè formæ & hominum & armorum genere,duæ legiones Romanæ, duæ sociûm ac latini nominis erant,quina milia & quadrigenos singulæ habebant. Idem lib. octauo, Scribebantur quatuor ferè legiones quinis milibus peditum, equitibus in singulas legiones trecentis. Idem lib. xl,Et prętera supplemento adducta quo amplius duabus legionibus,quàm.x.M.& quadringenti pedites sexcenti equites essent,& socium latini nominis duodecim milia sexcenti equites, quorum forti opera duobus aduersus Celtiberos prælis vsus Q.Fuluius esset, quos si videretur secũ deportaret . Legionem autem sex milium & ducentorum hominũ primus C.Marius,Pomp.Festo teste descripsit, cum antea quatuor milium fuisset, vnde etiam vocabatur Quadrata . Eusebius in ecclesiastica historia, Nostrorũ verò & Tertullianus hæc memorat,& apud Grȩcos Apollinaris,qui etiam ipsam legionem pro insignis facti miraculo mutato nomine vocitatam dicit ad imperatore fulmineam. Tertullianus verò M. impe. epistolas nunc etiam haberi dicit , quibus de his apertius indicadit . Vnde autem tanta inter doctissimos rerum gestarum scriptores varietas oborta sit,Seruius in comment.xi.lib.ęnei.à seipso penè dissentiẽs his verbis ostendit,Legio autẽ habebat duodecim cohortes,sexaginta cẽturias,licet in his rebus accessu temporis,ducum varietas semper immutauerit militiæ disciplinam. Vnde Liuius belli Punici libro secundo,Numero peditũ equitumq; legiones auctas,milibus peditum & cẽtenis equitibus in singulas adiectis .

Legio Linteata Samnitum fuit sic dicta,q; Samnites intrãtes singuli ad aram velis linteis circundatam,non cessuros se Romano militi iurauerunt. Liuius lib. decimo, Primoribus Samnitum eâ destinatione obstrictis, decem nominatis ab imperatore eis dictum vt ius visum legerent,donec xvi.M.numerũ confecissent, eò legio linteata ab integmento consepta,quo sacrata nouitas appellata est.

Phalanx lingua Macedonum legio est,teste Seruio in comment.lib.ii. Aenei. Liuius ab vrb.cõd.xxxii,Et cohortes inuicẽ sub signi sq; cuneũ Macedonũ,Phalangem ipsi vocant,si possent vi perrumperent,emittebant. Idem xxxvii. Decem & sex milia peditum more Macedonũ armati fuere,qui Phalangitę appellantur.

Agmen ordinata propriè multitudo dicitur, vt est ambulantis exercitus ab agendo, id est, eundo dictum: neq; enim in vno loco stans agmen vocatur, aut si inuentum fuerit,vsurpatum est.

Cohors,inquit Varro,quòd vt in villa pluribus tectis cõiungitur,ac quiddam fit vnum,sic ex manipulis pluribus copulatur cohors,à cohærendo quòd cohęreat cuncta quę interius sunt,vt in villa quòd circa eum locũ pecus cogeretur,vel q; coẽrceat obiectu suo extraneos,& adire prohibeat: huius numerum varium esse inuenio. Plutarchus in vita Pelopidæ , Primus Gorgias ex quadringentis electis viris, quibus ciuitas exercitationẽ dietamq; in arce Thebana militantibus præbuit,sacram cohortem,vt ferunt,ordinauit,& propter hoc cohortem ex ciuitate vocauerunt. Ephorus autem cohortem quingẽtos esse viros affirmat: Callisthenes verò septingẽtos, quidam alii quod Polybius sensit, nonaginta milium idoneum

neum numerũ perhibent,alii aliter.Ioſephus belli Iudaici lib.iii, Decem autem cohortum ſingulæ mille pedites habebat: in cæteris verò xiii.ſexcenti pedites,& centeni viceni equites erant.

Cohors prętoria eſt dicta,quòd à prętore non diſcedebat: Scipio enim Aphricanus primus fortiſſimũ quemque delegit qui ab eo in eo bello non diſcederet, & cætero munere militiæ vacaret, & ſexquiplex ſtipendium acciperet.

Manipulus ducentorum militum eſt, & militum parua quoq; manus ſex vel ſeptem in vnũ collecti viri qui vnũ ſignum ſequuntur,ſic dicti ſiue q; bellum primo manu incœptant,vel quòd antequã ſigna eſſent,manipulos, id eſt, faſciculos alicuius herbę ꝓ ſignis habebãt, à quibus Manipulares milites poſtea dicti ſunt.

Globus,vt inquit Vegetius tertio de re militari,is dicitur,qui à ſua acie ſuperatus vago ſuperuẽtu incurſat inimicos,cõtra quẽ alter populoſior vel fortior mittitur globus.Liuius lib.ii.ab vrbe cond.In eum hæc gloriantem cum globo ferociſſimorum iuuenum Romulus impetum fecit.Idem lib. xxi. Alii fugientes pugnantium globo illati hęrebant,alios redeuntes in pugnam auertebant fugientium agmen.

Cuneus eſt collecta in vnum militũ multitudo: vnde propter quòd in vnum coit huiuſmodi coitio in vnum,cuneus quaſi coneus, quòd in vnum omnes coẽant atq; cogantur,in tria milia, ea nec eſt equitum ſed peditum multitudo quæ iuncta cũ acie ptimo anguſtior, deinde latior procedit,& aduerſariorũ ordines prorumpit: quia à pluribus in vnum locum tela mittuntur, nec eſt cunei determinatus militum numerus,ſed ordinatio acierum in modum cunei.

Cuniculum autem foramen dicimus ſubterraneum occultũ,aut à cuneorum ſimilitudine omnem materiam nodoſam quam ſubintrant ſcindentium,aut potius ab animali quod eſt lepori perſimile appellatum, quod ſub terra foſſa latere ſolitum eſt.

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris, Martialis:
Monſtrauit tacitas hoſtibus ille vias.

Sunt qui non cuniculum ſed cuniculos plurali tantum dici numero debere arbitrentur, quod à quodã noſtrę huius ętatis aliàs doctiſſimo hiſtoriarũ ſuarum libris, contra multorum vſum eruditorum depromptum admiror.Vegetius, Inuentum eſt remedium,per noctem ſub fundamentis muri cuniculum fodi.Item alibi, Aliud genus expugnationis eſt ſubterraneum atq; ſecretum,quod cuniculum vocant,à leporibus qui cauernas ſub terris fodiunt, ibíque conduntur. Sic & Cæſar ſcriptor elegantiſſimus.De tertia vigilia animaduerſum eſt aggerẽ fumare,quem cuniculo hoſtes ſuccenderant.Sic Liuius belli Macedonici lib.viii. Ibi commiſſis operibus cum è foſſa cuniculum patéret iter. Sic Curtius, Vltima peſtis vrbis fuit cuniculo ſubruptus murus,per cuius ruinas hoſtis intrauit: Qd' vt nequeat, Apollonia nobilis quondam ciuitas documento nobis ſit.Nam cum ingenti admodum obſideretur exercitu, & cuniculis milites minus ambigerent intra mœnia penetrare, id cum Apolloniatibus per ſpeculatores denũciatũ eſſet, eiuſmodi nuncio perturbati,conſternatiq; ſunt omnes,quòd nec tempus nec locum ſcire poſſe videbãtur,quo emerſuri forẽt hoſtes:tunc verò Trypho Alexandrinus

drinus qui ibi fuerat ingenio ſummo intra murum plures ſpecus deſignauit, & fodiendo terram,progrediebatur extra murum dūtaxat per ſagittæ emiſſionem, & in omnibus vaſa ænea ſuſpendit,ex his in vna foſſura quæ contra hoſtiū ſpe-, cus fuerat vaſa pendentia ad plagas ferramentorum ſonare cœperunt, ita ex eo tumultu intellectum eſt,qua vrbis parte aduerſarii cuniculos agentes intrà penetrare cogitabant, ſic liniatione cognita temperauit ænea feruentis aquæ & picis, deſuper & ſtercoris humani & arenæ coctæ candētis,deinde noctu pertudit crebra foramina, & per ea repente perfundendo qui in eo opere fuerunt hoſtes omnes necauit. Maſſilienſes ſimili modo per cuniculos obſeſſi cum numero ſupra triginta ſpeculatum miſiſſent, ab his eo percepto loco quo cuniculi agebantur, intra murum baratrum ampliſſima longitudine & amplitudine vti piſcinam fecerunt,eamq; è puteis & è portu impleuerunt, ita cum ſpecus eſſet repente naribus apertis,vehemens aquę vis immiſſa ſupplātauit fulturas,quíq; intra fuerant & ab aquæ multitudine & à ruina ſpecus ſunt oppreſſi. Ambrachienſes pauidi ne etiam ſubrutis muris facta in vrbem via per cuniculū eſſet,ſilentio facto pluribus locis aure admota ſonitum fodientium captabant, quem vbi acceperunt aperuere rectam in cuniculū viam,nouáque haud magni operis aduerſus hoſtes qui in cuniculo erant excogitata res eſt. Doliū enim ferreum à fundo pertuſum quo fiſtula modica & ferrea inſeri poſſet,operculúmq; etiam ferreū,etiam ipſum pluribus locis perforatum fecerunt, tenuíque pluma completum ore in cuniculum verſo poſuerunt per oculíque foramina pręlongæ haſtæ ad ſubmouendos hoſtes eminebant, ſcintillam leuam ignis plumæ inditam folle fabrili ad caput fiſtulę impoſito flando accenderunt,inde non ſolum magna vis fumi,ſed acrior etiam fœdo quodam odore ex aduſta pluma cum totum cuniculum adimpleſſent,haud durare conſiſtereq; quiſquam intus potuerat.

Forficem ordinationem militarem vocant cuneo oppoſitam, nam ex lectiſſimis militibus in .v. literam ordo cōponit,& illum cuneum excipit atq; ex vtraque parte concludit, frons dicta quòd aduerſus hoſtes ſpectat, hæc in pugna publica ſi ſapienter diſponitur plurimum iuuat: ſi imperitè quanquam optimi bellatores ſunt mala ordinatione franguntur.

Serra pręliari dicitur cum aſſidue accedítur recedítúrque neque vllo tempore conſiſtitur,dictáq; proinde ſerra: hæc à ſtrenuis direpta ante frontem opponitur hoſtibus,vt turbata acies reparetur.

Alæ exercitus ordines qui circum legiones dextra ſiniſtráque tanquam alæ in auium corporibus locabantur, Vt lib.vi.de re militari apud Cintium ſcriptū eſt, Vir.iii.ænied.Dum trepidant alæ ſaltusq; indagine cingunt.
Liuius ab vrbe condita xxviii. Siniſtra ala ab Romanis & cohortes quæ admiſerant ſigna in prima acie pugnabāt,& ſunt alæ xxx.equites in exercitu, ſint licet qui pluribus quàm xxx.equitibus alam cōſtitui cenſeant. Liuius ab vrbe cond. xxxviii.His ala mille fermè equitum,hoc gemmam vocant.

Turma teſte Feſto & Varrone quaſi terna,e in v abiit,quòd terni eqtes ex tribus tribubus Ticienſiū, Ramnenſiū & Lucerū fiebant. Romani enim equites in vna tribu trecenti fuere. De ſingulis enim cēturiis decem dabantur,& fiebat tur

ma,

ma, itaq; si Pomponio credimus singularũ decuriarũ decuriones dicti: quidam volunt, quorũ est Fronto decurionem esse turmæ, quę constat ex duobus & xxx. equitibus. Cyaxares autem primus, Herodoto teste, Asianos dicitur per turmas diuisisse: iussisseq; sagittarios ab equitibus, aliósq; ab aliis seorsum esse, antea cum permixti & confusi essent.

Nodus propriè est densa peditum multitudo, sicut turma equitũ, vt lectum est in disciplina militari, sic dictus pro difficultate quòd vix possit resolui.

Acus exercitus instructio dicitur, quòd ea pars militum vehementissima est ad hostem vulnerandum acumine telorum.

Acies exercitus instructus dicta, quòd ferro armata sit, & acumine telorum.

Classes equites dicebãtur, ob diuisionem exercitus, qui postea Manipuli dicti, vel pro turmis equestribus à quibusdam classicis quæ habent, vnde non ab re à nobili poëta dictũ, Classibus hic locus est. Classes etiam partes populi. Liuius primo ab vrde condita, Tum classes centuriásque & hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum vel bello, ex his qui centum milia æris aut maiorem censum haberent. lxxx, fecit centurias quadragenas seniorum ac iuniorũ: prima classis omnes appellati, seniores ad vrbis custodiam vt præsto essent, iuuenes vt foris bella gererent. Classici, vt inquit Gellius vii. noct. Atti. dicebantur non omnes qui in classibus erant, sed primæ tantum classis homines, qui centum xxv. milia æris amplissimè censi erant, infra classem autẽ appellabantur, secundæ classis cæterarumq; hominum qui minore summa æris quàm supra dixi censebantur. Columella, classes non maiores quàm denum hominum faciundę, quas Decurię appellant antiqui. Quintilianus primo insti. Non inutilem scio seruatum esse à præceptoribus meis morem, qui cum pueros in classes distribuerent, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant. Classes nauium postea subiere, vetustiusq; fuit, Pomp. auctore, multitudinem hominũ quàm nauiũ classem appellari: Diodoro enim teste, ab ipso orbis primordio animãtia omnia esse generata, eodémque modo & homines à principio genitos dicunt, in agris pastum quærẽtes syluestri & incondita vita vixisse, quibus herbæ & arborum fructus vltro victum præberent: belluas insuper his fuisse infensas, quibus vt obsisterent, classes & cœtus hominũ ob timorem factos aiunt communis vtilitatis gratia, auxiliaq; inuicẽ prębita, & loca habitaculis quęsita. Classes clypeatas antiqui dixere, quas nunc Exercitus vocamus, classis verò ꝓcincta exercitus instructus & paratus ad bellũ maximè cũ exercitus cinctus erat Gabino ritu siue cinctu, cõfestim pugnaturus.

Castra pro exercitu tantum pluraliter. Liuius punici belli lib. v. Valerius Ancias vna castra Magonis capta tradit. Idem in eodem, Exuitur castris atque ita nocte ac die bina castra hostiũ oppugnata, bina proinde non duo castra dixit. Idem lib. ix. Sed cum vna castra in fines, altera in finitima terra Hetruria propè in conspectu habebant, castra autem quasi casta ob hoc dicta quòd illic castretur libido. Quòd si ab ea origine ortum traxerit, apud nostros inane nomẽ esse quis dubitat? Quotus enim inter hos homines inuenitur, qui pudorem pudicitiam castitatemq; colat, qui non prorsus cupiditatibus cuncta irrideat atque contemnat? quotus qui non prostibulo congredi malit, quàm cum hoste manus conferere

ſerere? quotus qui non libentius de expugnanda adoleſcẽtulorũ pudicitia,de virginibus violandis,de vi inferenda ingenuis,de ſuis ſtupris,ſceleribus,flagitiis ſermonem conferat,quàm de hoſtibus inuadendis,de excipiẽdis vulneribus,de morte pro dignitate appetenda,de ignominia fugienda,de gloria comparanda,de tolerantia,de patientia,& de labore? Quòd ſi quando forte cõtigit,vt te,quiſquis es lector,in horum hominum caſtra vel potius luſtra conferas,videbis ibi ſuper lectulis non continẽtiſſimos duces Fabricium,Aemilios,Scipiones,Hannibalem, Alexandrum,ſed militares homines,& eos qui cæteris dignitate excellunt,iuxta meretrices exoletas,ſcorta,& pueros meritorios accubantes,molliſſimis verbis & flagitioſiſſimis,& ad concitandam Venerem nedum caſtrandam accommodatis,inter ſe colloquentes: Vbi autem calere iam res cœperit, hic alius ructet,& vomat: mingat alius & pedat: ibi luditur,hic bibitur,atq; vt ex huiuſmodi euenire ſolet ſæpenumero rixa exorta eſt. Nullus,vt ſummatim reliqua cõplectar,pudor in eorũ verbis,nulla in rebus temperantia,nulla religio,nulla modeſtia,nullũ conuiuio maiorũ dignũ ſilentiũ,ſed ſumma obſcœnitas,blaſphemię,clamor,cõfuſio, perturbatioq; rerum omnium: quod veterum diſciplina nefas quidem erat, aut delicatum, aut parũ pudicum inferre ſermonem, ibi nõ modo verbis non abſtinent turpibus,ſed cętera etiam faciunt quę à verecũdo homine dici non poſſunt.

Metari caſtra diuidere, & loca militibus in caſtris aſſignare,vel ponere caſtra, vel mutare. Lucanus in primo,

Audax Heſperios veniam metator in agros.

Tabernę appellatio, Vlpiano teſte,declarat omnẽ vtile ad habitandum ędificium,non ex eo quòd tabulis claudatur, inde tabernacula & contubernales. Tabernam etiam domicilii genus antiquiſſimum Romanis fuiſſe, teſtimonio ſunt exteræ gentes, quæ adhuc tabulatis habitant ædificiis: vnde etiam tecta caſtrenſia,militumq; tentoria quibus ſolis ardores tempeſtatesq; imbriũ,ac frigoris iniurias vitant,quàmuis pellibus tegerentur,tabernacula dicta ſunt. Liuius belli Macedonici lib.iii. Tabernaculum regium pro vallo in conſpecto maximè tumulo vt terrorem hoſtibus ſuisq; ſpem & fidutiam faceret,poſitũ . Cicero in Verrem act. vii. Nam in ipſo aditu atq; ore portus, vbi primum ex alto ſinus ad vrbem ab littore inflectitur,tabernacula carbaſeis intenta velis collocant.

Tentoria pro eo dicta , quòd tendantur funibus atq; palis,vnde & hodie prætendere dicitur vt olim. Ouidius in Heroi.

Illic Aeacides,illic tendebat Achilles.

Virgilius in primo æneidos,

Nec procul hinc Reſi niueis tentoria velis
Agnoſcit lachrymas.

Papyliones tentoria dicuntur,auiculæ prouolantis ſimilitudine. Helius Spartianus in vita Seueri ſeptimi ,Idem in omnium expeditione ante omnes militarem cibum ſumpſit ante papylionem.

Hybernacula caſtrenſia ad obſidionem potius quàm ad oppugnationem hyemando ædificia. Liuius libro quinto ab vrbe condita, Cum ſpes maior imperatoribus Romanis in obſidione quàm in expugnatione eſſet, hybernacula etiã res noua militi romano ędificari cœpta, cõſiliũq; erat hyemãdo cõtinuare bellũ.

Impedimenta caſtrenſem ſupellectilẽ dixere: impedire enim quaſi irretire eſt, & in pedicam trahere. Liuius vigeſimonono, Interim Romani impedimentis quoq; omnibus traductis contractisq; in vnũ locum, quia iam moueri videbant hoſtem, nec ſpatium erat caſtra communiendi, aciem inſtruxerunt. Idem vigeſimotertio, Lixæ caloneſq; & alia turba cuſtodiæ impedimentorum oppoſita.

Commeatus pro cibariis ad alimoniã reipublicæ, aut exercitus, aut alicuius multitudinis commeantis dicimus. Liuius trigeſimoſexto ab vrbe cõdita, Cum exercitibus cõmeatus quoq; omnis generis ex Aſia venturos in præſentia curæ eſſe Aetolis debere, vt copia frumenti ſuis & annona tolerabilis rerum aliarum ſuppeditentur. Cõmeatus priuatim etiam dicitur. Cicero pro lege Manilia, Iam cõmeatu & priuato & publico prohibemur. Ab imperatore etiam militibus

cõmeatus

commeatus dari dicitur,id eſt,tempus quo ire & redire commodè poſſint,vel facultas ad tempus à militia recedendi eundique quò velint,ad pręſcriptum diem reuerſuri.

Munimenta munitiones ſunt caſtrorum cæterarúmq; rerum quæ contra aduentum hoſtium muniunt,ſiue vallo & foſſa,ſiue alio quouis modo quo ſint milites ab hoſtium,vt dixi,aduentu vel incurſu muniti.

Monumenta i mutata in v & v in o,ſepulchra,ſtatuæ,tituli,libri,cæteraq; quę nos alicuius rei præteritæ moneant recordari : nam quòd de futuro quidam volunt ideo ſepulchra appellari monumenta,quòd noſtræ mortis moneant falſum arbitror : in honorem enim mortui illa tantummodo fiunt , non in publicam præceptionem.

Athleta vir fortis venatórque qui perũcta corporis flexibilitate cũ beſtia dentata luctatur, vt motibus ſuis ſpectantibus placeat , & ſanguine ſuo voluptatem populo præſtet. Liuius belli punici lib. xi. Athletarũ quoq; certamẽ tum primo Romanis ſpectaculo fuit,& venatio data leonum & pãtherarum, & propè huius ſæculi copia ac varietate ludicrum celebratum eſt. Sabinus autem & Caſſius & generaliter omnes,artem ludicram non facere Athletas opinantur. Horum ſpectaculum fabricis tam clarum & actione tam tetrum, in honorem Scythicę Dianæ quæ ſanguinis effuſione gaudebat,ab Athenienſibus repertum eſt,damnoſa profecto publicè priuatímque nocens delectatio,quod facile colligi poteſt ſi in mentem venerit ex hiſtoriis rei huius initium progreſſúſque,apud noſtros quãto publici cenſus impendio,quantáque inſaniæ proxima dictu cura,quãto demum populi ſtudio,plauſu ac labore conſtiterit, tot milibus ſimul gladiatorum paribus,tanto elephãtorum precio , tigrydumq; & leonum ac pardorum gregibus, onagrorum quoq; , equorum ferocium atq; animaliũ diuerſi generis è toto orbe terrarum omnium tranſmiſſis , ſyluis omniúmque gentium venatibus romano famulantibus theatro: adde illam ædificandi luxuriem cunctas terra pelagóque marmoreas columnas in ludorum vſum & artificum ſummis ingeniis expolitas,cuius princeps inſaniæ haud conticendus eſt Scaurus is qui ædilis in theatri ſcænam opus dierum paucorũ , & quod paucis lignis ac funibus attolli poterat, ſuffecturũ oculis populi talibus gaudentis, trecentarũ ſexaginta talium monſtra columnarum intulit, fecitq; opus, vt ſcriptum eſt,maximum omnium quæ vnq; fuere humana manu facta . Curionẽ quoq; ex ſuperioris æui monumentis accepimus, qui ciuili bello pro Cæſaris partibus in Aphrica occubuit , vt Scaurum quem opibus ęquare non poterat ſuperarit ingenio,non marmoreum vt ille, ſed ligneum theatrum,duplex tamen ac penſile meditatus,populum victorem gentium, ludis victum & periculis plaudentem ſuis mira arte ſuſpendit, vt ridentes interius ſtupentésque ipſi exercitus ſpectatoribus riſui fierent & ſtupori . Iam inde ab exordio primus regum noſtrorum Romulus fuit, omnem qui in his rigidam , tetricamq; illam Sabinorum pudicitiam circumuenit , inde porrò Titi potentia,principali diuitiarum perfuſo flumine cogitauit ædificium fieri,vnde caput vrbium cerni potuiſſet,cum theatrum quod eſt hemiſphærium græcè dicatur ἀμφιθέατρον,quaſi in vnum iuncta duo viſoria, conſtet eſſe nominatum,ſpe

ciem

ciem eius area concludens,vt & currentibus aptum daretur ſpatium,& ſpectantes omnia facilius intuerentur, dum quædam prolixa rotunditas vniuerſa colligeret : quæ autem latini certamina,Agones alii vocant,ab à quod ſine ſonat & γωνία angulus,quia,vtFeſto placet,locus in quo huiuſmodi ioci facti ſunt ſine angulo ſint. Alii aliter atq; aliter dici putant. Ouidius primo faſtorum,

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia celitibus quo feriente cadit.
Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper agat ne roget,nec niſi iuſſus agat.
Pars quia non veniant pecudes,ſed aguntur ab actu,
Nomen agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc feſtum priſcis agonalia dictum,
Vna ſit vt proprio littera dempta loco.
An quia præuiſos in aqua videt hoſtia cultros,
An pecoris lux eſt ipſa notata metu.
Fas etiam fieri ſolitis ætate priorum
Nomina de ludis græca tuliſſe diem:
Et prius antiquus dicebat agonia ſermo,
Veráque iudicio eſt vltima cauſa meo.

Bellona Martis ſoror & bellorum dea cui proprio ſanguine ſacerdotes ſacrificabant,Lactantius atq; Lucanus teſtes ſunt,tunc quo ſectis Bellona lacertis ſæua mouet cecinere deos : & eſt dicta à bello Bellona, quæ nunc duellona à duello vt inquit Varro.

Minerua virtutum præſul quam principem & inuentricem belli ferunt,dicta quòd bene moneat: hanc enim pagani pro ſapientia ponebant. Cornificius verò quòd figuretur pingatúrq; minitans armis eandem dictam putat, galeatã enim haſtam tenet & clypeum: alii nõnulli vel quòd minueret vel minueretur dictam putant: quamobrem eadem Capta ſiue capita dicta ſit,incertum eſt. Varię enim ſunt huius nominis cauſæ. Ouidius tertio faſtorum,

Cælius ex alto qua mons deſcendat in ęquum,
Hic vbi non plana eſt ſed propè plana via eſt.
Parua licet videas Captæ delubra Mineruę,
Quæ dea natali cœpit habere ſuo.
Nominis in dubio cauſa eſt,Capitale vocamus
Ingenium ſolers,ingenioſa dea eſt,
An quia de capitis fertur ſine matre paterni,
Vertice cum clypeo proſiliiſſe ſuo?
Aut quia per domitis ad nos captiua Faliſcis
Venit & hoc ſigno ſyllaba prima docet:
Aut quòd habent legem capitis quæ pendere pœnas
Exilio iubeat furta reperta ſuo.
A quacunque trahas ratione vocabula,Pallas
Pro ducibus noſtris ægida ſemper habet.

Hæc eadem & tritonia dicta est, quòd tẽporibus Ogygis ad lacũ vel ripam Tritonis fluminis in virginali fertur apparuisse habitu.

Pallas autem secundum Victorinum à Pallene insula Thraciæ, vel à gigante quem occidit dicta est: & sanè duo hæc Antonomasia sine proprio sunt nomine nonnunquam à poëtis prolata. Virgi. ii. æneid. Tritonia respice Pallas Insedit nymbo effulgens & Gorgone sæua.

Mars ab eo quòd maribus præest in bello, vt Varroni placet, licet tria sint genera consuetudinũ, sicut apud Iaxamathas Tanais fluminis hostio proximos, vbi easdem artes fœminæ quas viri exercent, adeò vt ne militiæ quidem vacent: viri enim pedibus inhęrent, sagittísque depugnant: illæ equestre prælium ineunt, nec ferro dimicant, sed quos laqueis intercepere trahendo conficiunt: vel apud Amazones vbi solæ fœminæ, vel apud Romanos aliasq; gentes multas vbi soli mares dimicant: vel Mars dictus quòd Sabinis arreptus vbi & Mamers idẽ est osca lingua quod Mars: etenim cum sæuit, gradiuus dicitur: cum trãquillus est, dicitur esse Quirinus. Huius in vrbe duo erant templa, vnum Quirini intra vrbem quasi custodis, id est, tranquilli: alterũ in Appia via extra vrbem propè portam, quasi bellatoris, id est, gradiui: in bello enim gradum inferunt qui pugnant, aut impigrè gradiuntur. Ac sicut Epaminũdas Bœotium agrum Martis Orchestram, & Xenophon Ephesum belli officinam appellat, sic Romani tunc bellige ri templum Martis quem ferociſſimum omnes deum & armigerum dicunt, & ob id bellis armisq; prœesse, hunc & Liberũ vnũ eundemq; demũ arbitrãtur nonnulli, Romaniq; vtrunque patris appellatione venerantur: alterũ Liberum patrem, alterũ Marspitrem, id est, Martẽ patrem cognominantes. Hinc etiam Liber pater bellorum potens probatur, quòd eum primum ediderũt auctorem triumphi: hoc etiam apud Lacedęmonios simulachrũ eius hasta insigne non thyrso demonstrat, sed cum thyrsum tenet quid aliud q̃ latens telum gerit, cuius mucro hædera lambente protegitur? quod ostendit vinculo quodam patientiæ obligandos impetus belli. Habet etiam hædera vinciendi obligandique naturam, nec non & calor vini cuius Liber pater est auctor, homines ad furorem bellicum vsque propellit: propter cognatum ergo vtriusque effectus calorem, Martem ac Liberum vnum eundemq; deum esse voluerunt.

Mauors figuratũ est vt induperator, auctore Seruio in cõmento primi æneï: ab aliis quòd magna vertat sic dictus.

Gradiuus mars siue mauors dictus est, à gradiendo, eò quòd in bello gradum inferant qui pugnant, aut impigrè gradiãtur: vel à gradiẽdo in bella vltro citroq;, siue ab vibratione hastę qđ Gręci dicũt πραστάνω: vel ut alii, qa gramine sit ortus, qđ interpretanť quia corona graminea in re militari maximę est honorationis.

Feretrius iupiter dictus est à ferendo, quòd pacem ferre putaretur, ex cuius templo sumebant sceptrum per quod iurarent, & lapidem silicem quo fœdus ferirent. Alii cum Acron Cecinensium rex à Romulo victus & infesto telo traiectus esset, eiusq; spolia, Ioui votis nuncupatis, Romulus ad vrbem reuersus dicaret, hoc tropheum Ioui statutum cognomen deo addidit feretrio Ioui à feriendo hostem: est & à ferendo vt antè diximus. Propertius,

Nunc

Nunc ſpolia in templo tua condita cauſa Feretri
Omine quòd certo dux ferit enſe ducem.
Seu quis victa ſuis humeris hæc arma ferebat,
Hinc feretri dicta eſt ara ſuperba Iouis.

Ianus faciendis fœderibus præeſt. Nam poſtquam Romulus &, T. Tatius in fœdera conuenerunt, Iano ſimulachrum duplicis frontis effectum eſt, quaſi ad imaginem duorum populorum. Ganius Baſſus in eo libro quem de diis compoſuit, Ianũ bifrontẽ fingi ait, quaſi ſuperũ atq; inferum ianitorem.

Ouidius in faſtis,

Quicquid vbiq; vides, cœlum, mare, nubila, terras,
Omnia ſunt clauſa noſtra patentq; manu.
Me penes eſt vnum vaſti cuſtodia mundi,
Et ius vertendi cardinis omne meum.
Omnis habet geminas hinc atq; hinc ianua frontẽs,
E quibus hæc populum ſpectat & ille larem.
Vtq; ſedet veſter primi quoq; limina tecti,
Ianitor egreſſus introitusq; videt.
Sic ego proſpicio cœleſtis ianitor aulæ,
Eoas partes heſperiasq; ſimul.

Eundem quadrifrõtem legimus, quaſi vniuerſa climata maieſtate complexum: Nec mirum ſanè apud aliquos bifrontem, quadrifrontem apud alios eſſe: nam alii præter hæc eum dici deum volunt, in quo ortus eſt & occaſus. Horatius,

Matutine pater, ſeu Iane libentius audis.

Alii anni totius deum, quem in quatuor tempora conſtat eſſe diuiſum: anni autem eſſe deũ illa res probat, quòd ab eo prima pars anni nunc nominatur: Hunc chaos, Patulicum & Clauſium etiam appellauit antiquitas. Ouidius in faſtis,

Me chaos antiqui, nam ſum res priſca, vocabant.
Nomina ridebis modo nanque Patulicus, idem
Et modo ſacrifico Clauſius ore vocor.

Horum duorum nominum ratio hæc eſt, quia bello valuæ eius patent, pace claudũtur. Huius etiã rei hęc cauſa narratur, cũ bello Sabino quod virginũ raptarũ gratia commiſſum eſt, Romani portam quæ ſub radicibus collis viminalis erat, quæ poſtea ex euentu Ianualis vocata eſt, claudere feſtinarent quia in ipſam hoſtes irruebant, poſtquã eſt clauſa mox ſponte patefacta eſt: cumq; iterũ ac tertiò idem contigiſſet, armati plurimi pro limine quia claudere nequibãt cuſtodes ſteterunt, cumq; ex alia parte acerrimo prælio certaretur, ſubitò fama pertulit fuſos à Tatio Romanos, quam ob cauſam qui aditum tuebantur territi profugerunt, cumq; Sabini per portam patentem irrupturi eſſent, fertur ex æde Iani per hanc portam magnam vim torrentium vndis ſcatentibus erupiſſe, multáſque per duellum cateruas aut exutas feruenti, aut deuoratas rapida voragine deperiſſe: ea re placitum vt belli tempore velut ad vrbis auxilium profecto deo, fores reſerarentur. Ianualis porta vt alii perhibent ab Iano dicta, ideóque ibi poſitum iam ſignum, & ius inſtitutum à Pompilio, vt ſcribit in annalibus Piſo,

vt ſit aperta ſemper,niſi cum bellum ſit: nuſquam tamen traditum eſt memorię, vt inquit Varro, Pompilio rege fuiſſe apertam,ſed poſt eius regnum, teſte Liuio, T.Manlio coſ. bello Carthaginẽſi primo cõfecto,bello itẽ Actiaco finito ab imperatore Cæſare auguſto,pace terra marique parta. Hunc autẽ apud nos Ianum omnibus præeſſe ianuis nomen oſtendit: quod eſt veriſimile, nam & cum claui & virga figuratur,quaſi & rector viarum & omnium portarum cuſtos: belli licet geminæ ſint. Virgilius in primo æneid.

Sunt geminæ portæ belli ſic nomine dicunt
Relligione ſacræ & ſæui formidine Martis.
Centum ærei claudunt vectes æternáque ferri
Robora, nec cuſtos abſiſtit limine Ianus.
Has vbi certa ſedit patribus ſententia pugnæ,
Ipſe quirinali trabea cinctúque gabino
Inſignis referat ſtridentia limina conſul,
Ipſe vocat pugnas,ſequitur tum cætera pubes,
Aereaque aſſenſu conſpirant cornua rauco.
Hæc & tum æneadis indicere bella Latinis
More videbatur triſtesq; recludere portas.

Pactum à pactione dictum auctore Vlpiano, inde & pacis nomen appellatum eſt: ſed eſt pactum duorum cõſenſus atq; conuentio, pactio verò duorum pluriúmve in vnum placitum atq; conſenſus. Liuius libro ſexto ab vrbe condita,Cuius ſpei moram pati cum fortuna obſeſſorum non potuiſſet,confectáque paucitas oppidanorũ,opere,vigiliis,vulneribúſq; ſemper eoſdẽ vrgebat,per pactionem vrbe hoſtibus tradita,inermes cum ſingulis emiſſi veſtimentis,miſerabili agmine penates reliquerant.

Pax ſignificationis notam habet. Virgil.in ſeptimo,

Pars mihi pacis erat dextram tetigiſſe tyrãni. Pax venia, Idem in iii.ænei.
Sed votis precibusq; iubent expoſcere pacem.

Pax propiciatio.Idem in eodem,Exorant pacem diuûm.Pax beniuolẽtia.Idem in iiii.Pacemq; per aras exquirunt.Pax quoq; teſte Priſciano lib.v.tam ſingulariter quàm pluraliter prolata idem poteſt ſignificare, ſed pluraliter non vtimur, quia auctoritas deficit: quod à grammaticorũ principe dictum non parum admiror,maximè cum apud nonnullos & quidem probatos & ſumma auctoritate præcellentes latina lingua viros,pluraliter prolatũ inueniam.Lucretius rerum naturalium libro quinto,Ventorum pauidis paces animasq; ſecundas.

Varro de vita patrũ lib.iii. Animaduertendũ primũ quibus de cauſis & quẽadmodũ conſtituerunt paces,ſecundũ qua fide & iuſticia eas coluerint. Hor.i.epi.

Bella queis & paces longum diffudit in æuum. Idem lib.ii.
Hoc paces habuere bonæ ventîque ſecundi.

Hoc de pacis vocabulo et eius vſu dictum ſatis ſit impræſentiarum.Effectus autem ſunt,vt in ea populi proficiant,vtilitas gentiũ cuſtodiatur: vt hæc bonarum artiũ decora ſit mater,hęc eadẽ mortaliũ genus reparabili ſucceſſione multiplicans,facultates ꝓtendat,mores excolat,tãtúmq; boni in ſe cõtineat vt terrenis in

rebus

rebus nihil gratius ſoleat concupiſci,nihil deſiderabilius, nihil poſtremò melius poſſit inueniri : proinde non ab re poſt triumphos & Romani imperii firmiſſimum ſtatum,D.Veſpaſianus tranquillitatis,pacis & concordiæ templum ędificare decreuit,in quo ea diuitiarum largitate vſus vt omnia in illud phanum collecta eſſent,quorũ viſendorũ ſtudio per orbẽ totũ q ante eũ fuerant vagabantur.

Fœdus lex, nonnunquam pax quæ fit inter diſſidentes , ſic dictum vel ꝙ inter fœdera interponatur fides:vnde Varro, Per hos etiam nũc fit fœdus quaſi fidus. Ennius ſcribit dictum in re militari vel à fœcialibus,id eſt,ſacerdotibus per quos fiunt fœdera,vel ab hyrco vel hœdo,f,litera addita quod veteres in graui ſignificatione ponebant,vt,Sanguine fœdantem quos ipſe ſacrauerat ignes:vel à porca fœde & crudeliter occiſa lapidibus, cuius mors optabatur ei qui à pace reſiliſſet: vnde poëtarum doctiſſimus:

Pòſt inter ſeſe poſito certamine reges
Armati Iouis ante aram paterasq; tenentes,
Stabant & cæſa iungebant fœdera porca.

Arabum in huiuſmodi iungendis fœderibus non porcam ſed interiorẽ manus partẽ iuxta pollicẽ incidere mos fuit, acciperéq; ex vtriuſq; veſte filũ , & ex vtriuſq; ſanguine lapides ſeptem in medio iacẽtes perungere, Dionyſiũ ac Dianam inuocantes , hiſq; peractis denique hoſpites eos vel amicos nuntiare . Scythæ & Lydi in huiuſmodi ſimiliter,Herodoto teſte, ſe ſauciant haụſtúque mutuo ſanguinis fœdus fulciunt , non ſuo tantũ more ſed Mœdorum quoq; vſurpata diſciplina: bello enim quod geſtũ eſt anno poſt Ilion captũ ſexcenteſimoquarto inter Illyricem Lydum & Aſtiagem Medię regem,hoc pacto confirmata ſunt fœdera . Romanis autem cum Aetolis his legibus fœdus ictum eſt, Imperium maieſtatémque populi romani genus Aetolorũ conſeruato ſine dolo malo , ne quem exercitum qui aduerſus ſocios amicóſque eorum ducet per fines ſuos tranſire ſinito, néve vlla ope iuuato, hoſtes eoſdẽ habeto quos populus Ro. armáq; in eos ferto,bellumq; pariter gerito,perfugas fugitiuos,captiuos reddito romanis ſociíſque, præterq; ſiqui capti cũ domos rediiſſent iterũ capti ſunt,aut ſiqui eo tẽpore ex his capti ſunt qui tũ hoſtes erant Romanis cũ inter præſidia romana Aetoli eſſent: aliorũ qui cõparebũt intra dies centũ Corcyræ eorũ magiſtratibus ſine dolo malo tradãtur.Qui non cõparebũt,quando quiſq; primus eorũ inuẽtus erit reddatur.Obſides xl.arbitratu cõſulis romani dato,ne minores duodecim annorum neu maiores xl.Obſes ne eſto prætor,præfectus equitũ, ſcriba publicus, neu quis qui antè obſes fuerit apud Romanos.Cephalania extra pacis leges eſto. De pecuniæ ſumma quam pẽderent penſionibusq; eius nihil ex eo quod cũ conſule cõuenerat mutatũ: pro argento ſi aurũ dare mallent,dare cõuenit:dũ pro argenteis decẽ,aureus vnus valeret. Quæ vrbes, qui agri,qui homines Aetolorũ iuris aliquãdo fuerũt,qui eorũ, T.Quintio,Cn. Domitio coſſ. pòſt eos coſſ.aut armis ſubacti,aut volũtate in ditionẽ populi ro.venerũt, ne quæ eorũ Aetoli recepiſſẽt vel in Aetolia decẽ vrbes agrosq;,Acarnanũ ſunto. Alia etiã inſigni fœderis forma,auctore Liuio,ex decẽ legatorũ ſentẽtia in hæc verba cũ Antiocho cõſcripta eſt, Amicitia Regi cũ populo Romano his legibus & cõditionibus eſto,ne quem

exercitum qui cũ populo Romano ſociísve bellũ geſturus erit Rex p̃ fines regni, eorúmve qui ſub ditione eius erunt tranſire ſinito,ne cõmeatu,neu qua alia ope iuuato.Idem Romani ſociíque Antiocho & his qui ſub imperio eius erunt prę ſtent, belli gerendi ius Antiocho ne eſto cum illis qui inſulas colunt,néve in Eu ropã tranſeũdi gratia excedito vrbibus,agris,vicis,caſtellis.Cis Taurũ montem vſq̃ ad Tanaim amnẽ, et à valle Tauri vſq̃ ad iuga qua in Lycaoniã vergit,ne qua arma efferto: ex his oppidis,agris,caſtelliſq̃ q̃bus excedat,ſi qua extulit,quæ quoq̃ oportebit recte reſtituito,nec militẽ neu quẽ aliũ ex regno Eumenis recipi to, ſi qui earũ vrbiũ ciuéſq̃ abſcedũt regno cũ rege Antiocho vltrà q̃ fines regni eius ſunt, Apameã omnes ante diẽ certã redeant: q̃ ex regno Antiochi apud Ro manos ſocióſque ſunt,his ius abeundi manendíque eſto,ſeruos fugitiuos,ſeu bel lo captos,ſeu quis liber,captus,aut tranſfuga erit reddito. Romanis ſociíſq̃ ele-phantos tradito omnes,neque alios parato: tradito & naues longas armamentá que earum,neu plures quàm decem naues,nec vllam quæ plus quàm triginta re-mis agatur habeto,néve minorem ea: belli cauſa quod ipſe illaturus erit,ne naui gato citra Calicandrum, neu Sarpidonium promontoria , extra quæ ſi qua na-uis pecuniam,ſtipendium,aut legatos,aut obſides portabit,milites mercede con ducendi ex his gentibus quæ ſub ditione populi Ro. ſunt Antiocho regi ius ne eſto,ne voluntarios quidẽ recipiendi,& Rhodiorum ſociorúmve quæ ædes ædi ficiáque intra fines regni Antiochi ſunt,quo iure ante bellum fuerũt, eo Rhodi orum ſociorúmve ſinito: ſi q̃ pecunię debentur,earum exactio eſto: ſi quid ab-latum eſt,id conquirendi,cognoſcendi,repetendíque idem ius eſto: ſi quas vrbes quas tradi oportet hi tenent quibus Antiochus dedit,et ex his prę ſidia deduci-to vtíque recte tradantur curato,argenti probi talenta attica xii. milia dato in-tra duodecim annos pẽſionibus æquis,talentũ néve minus põdo lxxx. Romanis põderibus pẽdat,& tritici xl. milia modiũm Eumeni regi,talẽta cccl. intra quin quennium dato,& pro frumento quod æſtimatione fit,talenta cxxvii, obſides ro manis xx. dato, & triennio mutato, ne minores octodenũm annorum,neu ma-iores quàm quadragenũm: ſi qui ſociorum populi Romani vltro bellum inferrent Antiocho,vim vi arcendi ius eſto,dum ne quam vrbem aut belli iure tene-at,aut in amicitiã accipiat: controuerſias inter ſe iure ac iudicio diſceptẽt: aut ſi vtriſq̃ placebit,bello: de Hannibale Pœno & Aetolo, Thoante,& Miluna, Sym-macho,& Acarnane,& Chalcidẽſibus Eubolida & Philippomene dedendis,in hoc quoque fœdere conſcriptum eſt,vt ſi quid poſtea addi immutaríve placuiſ-ſet,vt id ſaluo fœdere fieret. Eſſe etiam tria fœderum genera quibus integrè pa-ciſcerentur amicitias ciuitates regéſque, apud probatiſſimos auctores inuenio. Vnum cum bello victis dicerentur leges: vbi enim omnia ei qui armis plus poſ ſet dedita eſſent,q̃ ex his habere victor quibúſq̃ mulctari eos velit,ipſius ius at-que arbitrium eſſe. Alterum cum pares bello æquo fœdere in pacem atque amici tiam venirent: tunc enim repeti reddíq̃ per conuentionem res,& ſi quarum tur bata bello poſſeſſio ſit,eas aut iuris antiqui,aut partis vtriuſque commodo com-poni. Tertium eſt genus cum qui nunquàm hoſtes fuerint ad amicitiam fœciali fœdere integrè iungendã coëant,eos neque dicere, neque accipere leges, id enim

victoris

victoris & victi esse : & quanquam auctore Liuio, nulla vetustior fœderis memoria sit, quàm eius quod inter Albanos Romanósque ictum est, Theseum tamen primo fœdera inuenisse. vi. natur. histor. lib. testis est Plinius.

Sancta propriè dicimus auctore Vlpiano quæ nec sacra neq; prophana sunt, sed sanctione quadam sunt confirmata, vt sanctæ leges, sanctione enim quadam subnixæ sunt : quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi deo non sit consecratum.

Sanctum, teste Martiano, est quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est. Liuius belli maced. lib. ix. Iam ne à legatis quidem qui iure gentium sancti sunt violandis abstinere insidias positas eundi ad T. Quintium: sanctum autem dictum est à sanguinibus.

Sagmina autem dicebant herbas verbenas quę ex loco sancto carpebantur, legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellumq; indicendum. Liuius lib. .i. ab vrbe cond. Iubente rege, sagmina, inquit, te rex posco. Rex ait, purã tollito: fœcialis ex arce graminis herbã puram attulit. Idem belli punici lib. x. Fœciales cum in Aphricam ad fœdus feriendum ire iuberentur, ipsis postulantibus senatus consultum in hæc verba factum est, vt primos lapides siliquos primasq; verbenas secum ferrent, vt vti Po. Ro. his imperaret ita fœdus ferirent: illi prætorem sagmina poscerent, herbæ id genus ex arce sumptum dari fœcialibus solet. Has etiam herbas legati Po. Ro. solebant ferre, vt ab his defensi atque muniti essent, ne quis eos violaret: sicut legati Gręcorũ ea ferebant quę Ceritia vocabãtur.

Obsides ab obsidio, quia propriè ab obsessis dantur : vel obsides pro obsides, quòd ob fidem patriæ præstandã dantur, teste Festo. Vas idem quod obses à vado dictus, quia dato vade licet abire & vadere : inde vadatus dicitur obstrictus vel sub fidei iussione ambulans, sicut Fenestella ait, Penes quem vadatus amicitiæ nodulo tenebatur.

Hostis apud antiquos peregrinus dicebatur, & qui nũc hostis perduellio. Varro, Hostis antè eo verbo dicebãt peregrinum qui suis legibus vterentur: nũc dicunt eum quem tunc dicebãt perduellem. Cicero primo officiorum, Ex quo etiam illud animaduerto q̃ qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, verbi lenitate rei tristitiam mitigante: hostis enim apud maiores nostros is dicebatur quem nunc peregrinum dicimus, indicant duodecim tabulæ, aut statutus dies cum hoste, itémq; aduersus hostem æterna auctoritas, quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum quo cum bellum geras, tam molli nomine appellare? quanquam id nomẽ durius efficit iam vetustas: à peregrino enim recessit, & propriè in eo qui arma contrà ferret remansit. Caius de verborum significatione, Quos nos, inquit, hostes appellamus eos veteres perduelliones appellabãt, per eam adiectionem indicantes cum quibus esset bellum. Vlpianus verò vbi ad legem Iuliam maiestatis. Plane quisquis, inquit, lege Iulia maiestatis reus est, hostili animo aduersum rempub, vel principem animatus est: hostes etiam dicuntur & sunt qui nobis, aut quibus nos publicè bellũ decreuimus, cæteri prædones aut latrones appellantur. Hostire æquare est, hostimentum æquamentum, vnde & hostes dicti sunt quia ex æqua causa pugnam adeunt.

Hecatombe

Hecatombe Iul. capitol.teſte, Sacrificium eiuſmodi eſt,Centum arę vno loco ceſpititię extruuntur,& ad eas centum ſues centumq; aues mactabantur.Iam & imperatorum ſacrificium ſit,centum boues,centum aquilæ,ſi cętera huiuſmodi animalia centena feriuntur,quod quidem etiam Græci quondam feciſſe dicuntur cum peſtilentia laborarent.

Hoſtiæ ſacrificia dicũtur quæ antè ab his fiunt qui in hoſtem pergunt,dictæ ab eo quòd & hoſtire eſt ferire . Harum gratia Trebatius lib .i. de religionibus docet eſſe duo, alterum in quo voluntas dei per exta diſquiritur , alterum in quo ſola anima deo ſacratur,vnde & aruſpices animales hoſtias vocant, vtrunq; hoſtiarum genus diuino carmine ſuo Virgil. oſtendit,& primò quidem id quo voluntas numinum per exta monſtratur, Mactat, inquit, lectas de more bidentes: & mox,pecudumq; recluſis Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta. Alterum id eſt,in quo hoſtia animalis dicitur quo his tantũ anima ſacratur oſtendit,cum facit Entellum victorem Erici mactare taurum ,Nam vt exploret animalis hoſtiæ cauſas,ipſo vſus eſt nomine,Hãc tibi Erix meliorem animã pro morte Daretis,& vt nũcupata vota ſignificaret,ait,perſoluo,quod de voto propriè dicitur: vtq; oſtenderet perſolutũ diis,ſignificauit dicens, Sternitur, exanimiſq; tremens procumbit humi bos.Idem circa hoſtiam animalem,Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras,Sanguine quęrendi reditus animáque litandum argolica.Nam cum animam,id eſt,hoſtię nomen poſuit,& litare,ſignificat ſacrificio facto placaſſe numen.

Victimæ verò ſacrificia quæ poſt victoriam fiunt dictæ ſunt,vel quòd vinctæ ad aras ducebantur,vel quòd ictu percuſſæ victriciq; dextra cadebant: de hoc,ſuperioréq; vocabulo licenter plerũq; cõfidit auctoritas. Ouidius primo faſtorum, Victima quę dextra cecidit victrice vocatur,Hoſtibus à domitis hoſtia nomẽ habet. De altero tantum. Liuius ab vrbe cõdita xxii,Donec inſuper eques cui Ducario nomen erat facieq; noſcitans cõſulẽ,inquit,Hic eſt cũ popularibus ſuis qui legiones noſtras cecidit,agróſque & vrbem eſt depopulatus: iam ego hanc victimam manibus peremptorum fœde ciuium dabo.

Poſtliminium Scæuola. P. filius iunctum eſſe putat verbũ, vt ſit in eo & poſt & limen, vt quæ à nobis aliena ſunt cum ad hoſtem peruenerint, & ex ſuo tanq; limine exierint,hinc cũ redierint,pòſt ad idẽ limẽ poſtliminio rediiſſe videantur.

Præda teſte Varrone ab hoſtibus capta,quòd manu capta,dicta quaſi parida.

Manubiæ,vt Q. Aſconio Pediano placet,ſunt præda imperatoris pro portione de hoſtibus capta: manubias autem à præda , vt in libris rerum verborumq; veterum ſcriptum eſt,in hoc diſtare exiſtimauerunt,vt ſit præda ipſa rerum quę captæ ſunt,Manubiæ verò appellatæ ſint non præda ſed pecunia per quęſtorem Po.Ro.ex præda vendita,contracta: per quæſtorẽ autem,quod dictum eſt,oportuit pręfectum ærarii ſignificari,nã cura æraria à quęſtoribus ad pręfectos tranſlata eſt. Liuius ab vrbe cõd. xxxvi.P.Cornelius Scipio Galliã puintiã ſortitus, priuſquam ad bellum quod cum Bois gerendum erat proficiſceretur , poſtulauit à ſenatu vt pecunia ſibi decerneretur ad ludos,quos prætor in Hiſpania quum eſſet inter ipſum diſcrimen puguæ vouiſſet, nouum & iniquum poſtulare

ſtulare eſt viſus. Cenſuerunt ergo quos ludos inconſulto ſenatu ex ſua vnius ſententia vouiſſet, eos vt idem manubiis ſi quam pecuniam ad id reſeruaſſet vel ſua ipſe impenſa faceret. Eſt tamen nonnunquã inuenire ita ſcripſiſſe quoſdam non ignobiles ſcriptores, vt aut temere aut incurioſe prędam pro manubiis, et manubias pro pręda poſuerint: aut tropica quadã figura mutatione vocabuli fecerint, quod facere conceſſum eſt, ſcitè id periteq; facientibus: ſed qui propriè atque ſignatè locuti ſunt, ſicuti plures, & M. T. auctor diligentiſſimus in oratione quam dixit de lege Agraria, manubias pecuniam dixerunt. In libris quoq; Etruſcorum lectum eſt iactus fulminum manubias dici. Manubies denique dicuntur ornamenta regum, vnde & Petronius Arbiter, Tot regum manubies penes fugitiuum repertæ.

Reſignatum æs dicitur militi, cum ob delictũ aliquod iuſſu tribuni militum, ne ſtipendium ei detur in tabulas refertur: ſignare enim dicebant pro ſcribere.

Aerarii milites ab ære dicti, teſte Varrone, quòd ſtipendia facerent: hinc ipſum ſtipendium à ſtipe dictum, quòd æs quoque ſtipem dicebant: & milites ſtipendiarii ideo quòd eam ſtipem pendebant. Ab eo etiam Ennius, Pœni ſtipendia pendent: ſtipem autem eſſe nummum ſignatum teſtimonio eſt, & pro eo q̃ datur in ſtipendium militi, et quòd ſpondetur pecunia, quod ſtipulari dicitur.

Pecunia quam belli neruos eſſe non dubium eſt, vt inquit Cic. teſte Varrone dicta, quòd in pecore cum paſtoribus conſiſtebat. Plinius natur. hiſt. xxxiii. Seruius primus ſignauit æs, ſignatúmque nota pecudum, vnde & pecunia appellata. Caſſi. li. vii. Pecunia à pecudis tergo nominata, Gallis auctoribus ſine aliquo adhuc ſigno ad metalla tranſacta.

Aes alienum miles etiam habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedæmonios fuit quod vſum numeratæ pecuniæ pręſtabat, vt de beneficiis libro quinto inquit Seneca.

Denarii quaſi deni, teſte Varrone, quòd denos æris valebãt, ſicut quinarii qui quinos. Victruuius Archi. lib. iii. Noſtri autem primo fecerunt antiquum nummum, & in denario denos æreos conſtituerunt, & ea re compoſitio nominis ad hodiernum diem denarium retinet. Didymus autẽ à decima libella dictum putat. Plinius nat. hiſto. xxxiii. Et placuit denarius pro decem libris ęris, quinarius pro quinque, ſeſtertium pro dipõdio & ſemiſſe: libræ autem pondus ęris imminutum bello Punico primo cum impenſis reſpub. non ſufficeret, conſtitutúmq; vt aſſes ſeſtario pondere ferirentur: ita quinta parte facta lucri, diſſolutúmq; æs alienum. Nota æris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera roſtrum nauis: in triente verò & quadrante as, quadrans antè triuncis vocatus à tribus vnciis. Poſtea Hannibale vrgente, Q. Fabio Maximo dictatore, aſſes vnciales facti, placuitq; denarium xvi aſſibus permutari, & quinarium octonis, ſeſtertium quaternis, ita respub. dimidium lucrata eſt: in militari tamen ſtipendio ſemper denarius pro decem aſſibus datus. Nota autẽ argenti fuerunt bigæ atq; quadrigæ, & inde bigati quadrigatiq; dicti: paulò pòſt lege Papyriana hemiũciales aſſes facti. Licinius Druſus in tribunatu plebis octauã partem ęris argento immiſcuit, qui nunc Victorianus appellatur, lege Clodia percuſſus eſt: antea enim hic nummus

ex Illyrico

ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur:est autem signatus victoria,& inde nomen Aureus nummus post annum sexagesimum secundum argenteus,auctore incerto,percussus est,q anno vrbis quingentisimo octuagesimoquinto, Q.Fabio cos. quinque annis ante bellum punicum signatus est,eóque Po. Ro.ne quidem ante Pyrrhum regem deuictum vsus fertur fuisse. Etiam aurei nummi, & argentei,& ærei apud alias gētes vsum & originē Lucanus his verbis expressit.

Primus Thessaliæ rector telluris Ionis
In formam calidę percussit pondera massæ,
Fudit & argentum flammis aurúmque moneta
Fregit,& immensis coxit fornacibus æra.

Nummus,non à numero,nec à Numa Pomp.dictus, sed à nomen quòd principum nominibus prisco more effigietur,vel potius, Aristotele. v.Ethi.teste,ob hoc vocatur,quòd non à natura,sed à lege quæ νόμῳ dicitur est inductus.

Sestertius teste Pris.de figuris numerorum & ponderibus,Nummus est duarum semis librarum,vnde sestertius dicitur quasi semistertius: de quo Aruntius, Sestertius olim dupōdius & semis quasi semistertius, quo tempore denarius decussis precium valebat. Varro de lingua latina lib.v.Sestertius quòd semis tertius,dupondius enim & semis antiquus sestertius est. Victruuius lib.iii. archi. Quod efficiebatur ex duobis assibus & tertio semisse,sestertium vocauere.Plinius natur.hist.xxxiiii.Et placuit denarius ꝑ decē libris ęris,quinarius ꝑ quinq;, sestertius pro dupondio ac semisse. Plutarchus in vita M. Antonini xxv. Milia romani decies sestertiūm appellāt. Helius Spartianus in vita Heliogabali,Idem nunquam minus centum sestertiis cœnauit,hoc est,argenti libris triginta.

Talentum quanti sit quia de eo variant scriptores,necessarium existimaui diuersorum auctorum dicta subiicere. Liuius.xxxiiii.ab vrbe cōdita,Ingens numerus bello Punico captiuorū, quorum Hannibal cum ab suis nō redimerētur vænundederat,multitudinis eorum argumētum est quòd Polybius scribit centum talentis eam rem Achæis stetisse,cum quingentos denarios precium in capita quot redderentur dominis statuissent: mille enim ducētos ea ratione Achaia habuit captiuos Italicos. Adiice nunc pro portione quot verisimile sit Gręciam totam habuisse, qua ratione ostenditur sex milia denariorum habere talentum:nam quinquageni denarii pro mille ducentis captiuis dati, colligūtur sexcenta milia denariorum,centum ea ostendit fuisse talēta: centesima autem pars sexcentorum milium,sex milia inueniūtur: denarii autem illo tempore nummi argentei erant,quod in eodem ostendit Liuius, Signati,inquit,argenti lxxxiiii. milia fuere Atticorū Tetradrachma vocant: trium verò denariorum argenti in singulis est pondus.Idem Liuius xxxvii. Ostenditur magnum talētum atticum lxxx. habere libras & paulò plus, cum supradictorum computatio manifestet lxxxiiii. libras & quatuor vncias habere talentum,quod est sex milia denariorum,Liuius,Talentum ne minus pondo lxxx.Romanis ponderibus pendebat. Simili modo Aegyptium,vt Varro & Plinius inquit xxxiii.natur.hist.Idem Liuius, Sic decreuit senatus vt non plusquàm ternæ libræ & quaternæ vnciæ singulis desint talentis: & sciendum secundum Liuii computationem,quòd centum Minæ

tum Minæ atticæ quarum ſingulæ lxxxv . drachmas habent, faciunt talentum magnum: nam minas lx. habet ſecundum Dardanum: quòd autẽ eſt magnum & minus oſtendit Terentius in Phormione, Si quis daret talentũ magnum. Seneca in x. epiſt. xxiiii . ſeſtertia, id eſt, talentum atticum paruum. Priſcianus de põderibus, Talentum Athenienſe paruum, minæ lx: Magnum, minæ lxxxiii. & vnciæ quatuor. A. Gelius noct. att. lib. iii. Ariſtotelem quoq; traditur libros pauculos Speuſippi philoſophi poſt mortem eius emiſſe talẽtis atticis tribus: ea ſumma fit nũmi noſtri ſeſtertia duo & ſeptuaginta milia. Idem libro quinto, Equus Alexandri regis & capite & nomine bucephalus fuit: emptũ Cares ſcripſit, talentis. xiii. et regi philippo donatum, æris noſtri ſumma eſt ſeſtertia. ccc xii. Seruius autem in cõmento. v. æneid. Talentum ſecundũ varias gentes variũ pondus eſt. Apud Romanos eſt ſeptuaginta librarum, ſicut Plautus oſtẽdit in Muſtel. qui ait duo talenta eſſe. cxl. libras. Legimus etiam talentum eſſe paululum: nam Homerus in ludis funebribus Patrocli vltima prę̃mia dicit duo talenta, quod cogit nos aliquid minimum intelligere: nam ſicut primus victor bouem accepit, conſequens non eſt vt dicamus quòd vltimus magnum accepit.

Pondo ſingulari numero caret teſte Foca . Dicimus tamen duo pondo, tria pondo, non bina pondo, aut terna. Quintilia. lib. primo inſtit. Quid quòd quę̃dam ſingula proculdubio vitioſa ſunt, iuncta ſine reprehẽſione dicuntur: nam duo, tres, & pondo diuerſorum generum ſunt. Barbariſmi autem duo pondo, & tripondo vſque ad noſtram ætatem ab omnibus dictum eſt, & recte dici Meſſala confirmat, & idem eſt duæ, tres, quatuor libræ quod duo tria & quatuor pondo, vt quidam volunt, & ex multis colligitur, quod quidam auctores non vſquequaque probant. Liuius. xxii. lib. Argenti pondo bina & ſex libras in militem præſtaret. Idem libro tertio, Dictator coronam auream libræ pondo ex publica pecunia populi iuſſu in capitolio Ioui donum dedit.

Spolia cum propriè ea tantum ſint quibus hoſtis ſpoliari poteſt, vt lorica, vel veſtis, abuſiue tamen ſpoliũ dicitur quicquid ab hoſtibus tollitur. Liuius, Marcellus captis Syracuſanis cum cætera in Sicilia tanta fide & integritate compoſuiſſet vt non modo ſuam gloriam, ſed etiam maieſtatem Po. Ro. augeret, ornamenta, ſigna vrbis, tabulaſque quibus abundant Syracuſę̃ Romam deuexit, hoſtium quidem illa ſpolia & parta belli iure, cæterum inde primum initium mirandi græcarum artium opera, licentiæq; hinc ſacra prophanáque omnia vulgo ſpoliandi, factum eſt.

Opima ſpolia ſunt quæ dux duci detrahit, dicta ab ope, vt inquit Varro, vel ab opere vt alii ferunt , & quidem doctiſſimi, cum ſit opus egregium & clariſſimum, belli ducem parem ſibi ductorem ſuperare.

Exuuias, & ſpolia, & hominum tegmina, aut veſtes dici poſſe, Virg. autor eſt, Exuuias, inquit, indutus Achilli: & cum de ſerpente in Geor. ſimili modo, Compoſitis nouus exuuiis nitidaq; inuenta luuoluit. & Lucretius,
Nam ſæpe illorum ſpoliis volitantibus auctus.

Excubiæ diurnę̃ ſunt, vigiliæ autem nocturnę̃, quas primo Palamedes Troiano bello auctore Pli. natur. hiſto. vi. inueniſſe traditur.

Inducię

Inducię quid ſint duobus modis M. Varro in libro hiſtoriarũ qui eſt de bello & pace diffinit, Inducię, inquit, ſunt pax caſtrenſis paucorum dierum. Idem alio in loco, Inducię, inquit, ſunt belli feriæ ſed lepidæ magis atque iocundę breuitatis. Vtraque diffinitio quàm plana aut approbata eſſe videtur: nam neque pax eſt inducię, bellum nanque manet, pugna ceſſat, nec in ſolis caſtris, nec paucorum tantum dierum inducię ſunt. Quid enim dicemus, ſi induciis immenſum aliquid factis caſtris concedatur, nónne ideo inducię non ſunt? aut rurſus quid eſſe id dicemus quod in primo annali Quadrigarii ſcriptum, Cn. Põtium Samnitem à dictatore romano ſex horarum inducias poſtulaſſe? Quid eſſe id dicemus quod à Liuio ab vrbe cond. x. ſcribitur, Tres validiſſimæ vrbes Etruriæ captę, Volſcum, Peruſia, Aretium pacem petiere, & veſtimentis militum frumẽtoq; pacti cum cõſule vt mitti Romam oratores liceret, inducias in quadraginta annos impetrauerunt? Quid illud quoq; eiuſdẽ libro primo, Eaq; clade haud minus quàm aduerſa pugna ſubacti Veientes, pacem petitum oratores Romam mittunt, agri parte mulctatis in centum annos inducię datæ, ſi inducię tantum paucorum dierum appellãdæ ſunt? Græci autem ſignificantius conſignantiusq; ceſſationem illam pugnæ dixerunt: nam quòd eo tempore non pugnetur & manus cohibeantur ἐκεχειρίαν appellauerũt: ſed profecto id non fuit Varroni negotium vt inducias ſuperſtitioſe diffiniret, & legibus rationibusq; omnibus diffinitionum inſeruiret. Induciarũ autem vocabulũ qua ſit ratione factum, ex multis quæ iam legimus, probabilius id quod dicam videtur, Inducias ſic dictas arbitror quaſi tu dicas indicta ocia, vt in diem certum, vel in certum tempus non pugnetur nihilq; incommodi detur, atque is dies, idve tempus vbi venit, inde vti iam pugnetur, idcirco ex his quibus dixi vocibus, quaſi per quẽdam coitum & copulam nomen inducіarum connexum eſt. Aurelius autem Opilius muſarum lib. i. Inducię dicuntur, inquit, cum hoſtes inter ſeſe vtrinq; alteri ad alteros impunè & ſine pugna ineunt: inde ab eo inquit nomen eſſe factum videtur, quaſi iniæ. Has Lycaonem inueniſſe Troiano bello auctor eſt Plinius. vi. natur. hiſto.

Suppetiæ illa ſunt auxilia quæ maxime petuntur ab aliis, quæ præcipuè dantur iis qui ſub aliorum detinentur poteſtate. Suppetias etiam, auctore Fabio Placiade, auxilium vel adauxilium dicimus. Meuius in tragœdia Herculis, Ferte inquit ſuppetias optimi milites. Suetonius de Veſpaſiano, Legatum inſuper Syrię conſularem ſuppetias ferentẽ rapta aquila fugauerũt. Plautus in Epid. Sed memento ſi quid ſæuiunt ſenes, ſuppetias mihi non ſorori ferre. L. Apuleius libro ſexto metam. Et occipit ſtatim clamans vlulatibus auxilium validioris manus implorare, ſed fruſtra fletibus tumultum commouebat: quippe cum nullus aforet qui ſuppetias ei ferre poſſet, niſi ſola virgo illa captiua. Auguſtinus. viii. de ciuitate dei. Qui huic deferunt petitiones noſtras, inde referunt deorum ſuppetias ad auxilium. Cæſ. xii. commen. Et nunciabantur auxilia magna equitatus oppidanis ſuppetias venire. Idem in eodẽ, Suisq; rebus timens elephantisq;. xxx. relictis ſuis finibus oppidi ſq; ſuppetias profectus eſt. Idem quoq; in eodem, Atque ſuis fugientibus ſuppetias ire contendit.

Stringa caſtrenſe vocabulum, interuallum turmarũ in quo equi ſtringuntur:

vel

vel ſtringæ appellantur ordines rerum inter ſe continuatæ collocatæq; à ſtringendo dictę, vnde & ſtrigoſi nominantur, vt aiunt, corpore macilenti: vel ſtrigoſus apud veteres morbus dicitur iumentorũ, qui corpora ſtringit, aut fame, aut alterius vitii cauſa quaſi ſtringoſus. Maſurius Sabinus lib. xxvii. Cẽſores, inquit, P. Scipio Naſica, & M. Pompilius cum equitũ cẽſum agerent, equum nimis ſtrigoſum & male habitũ, ſed equitem eius vberrimũ & habiliſſimum viderunt. Liuius. xxvii. Moram pugnæ attulit, q; Haſdrubal prouectus ante ſigna cum paucis equitibus ſcuta vetera hoſtium notauit, quæ antè nõ viderat, & ſtrigoſiores equos, multitudoq; maior ſolito viſa eſt. Stringere in re militari etiã nudare eſt, vnde enſem ſtrictũ, id eſt, nudatum dicimus. Liuius ab vrbe cond. vii. Pilóq; poſito, ſtricto gladio in hoſtẽ impetũ facit. Idem in nono, Fluctuantemq; & inſtabilem aciem reddẽte grato clamore, ſtrictis gladiis haſtati, & principes inuadãt. Suetonius de Cæſare, Vtq; animaduertit vndique ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caputobuoluit.

Defendere & offendere non ex vulgari conſuetudine, ſed admodũ propriè & latine accipienda: & eorũ alterũ ſignificat incurrere in aliquid & incidere, alterũ eſt auertere atq; depellere: quod hoc in loco à Quinto Claudio dicitur, Cum à Pœnis, inquit, hoſtes defendebãt facillime. Cernere dicebant antiqui cũ aliqui pugnarent inter ſeſe de re aliqua quã quiſq; ſuã diceret, Virg. Ingentis genitos diuerſis partibus orbis Inter ſe coiiſſe viros, & cernere ferro: quod nunc clariſsimo teſte ad Luciliũ Seneca, Decernere dicimus, ſimplicis illius verbi vſu amiſſo.

Recipere recuperare vel periculo liberare. Cicero in Catone, Nã niſi tuã amiſiſſes, ego nunq; recepiſſem. Virg. Frugéſq; receptas, & torrere parant flãmis. Receptus is dicitur quò ſe exercitus recipit, vnde & ſigna receptui canere dicuntur. Liuius. xxxvii. ab vrbe cond. Coactus ergo periculo militũ prætor, receptui cani iuſsit, ne obiiceret incautos furentibus deſperatione ac rabie.

Prandium tametſi ex græco eſt ductũ, cũ meridianũ cibum cœnã vocarent, negare nõ poſſum aliũde à pleriſq; dici, & à parãdo maximè, quaſi parãdium, quòd milites ſiue bellatores ad bellũ vel pugnam paret: huic rei argumentum eſt præter auctorem comprobatũ vetus illud Leonidæ elogiũ: Hic enim Lacedæmoniorũ dux clariſsimus cũ eſſet in bello aduerſus Xerxem, quod ſupremũ ſibi atq; hoſtibus fuit, cũ ſexcentis ſuis famoſiſsima illa incitamenta dixit, Prandete commilitones tanq; apud inferos cœnaturi. Cato in quinto orig. Exercitũ ſuum pranſum, paratum cohortatus eduxit foras atq; inſtruxit.

Sub pileis ſeruos vęnum ſolitos ire, quorũ nomine venditor nihil pręſtaret, Cęlius Sabinus ſcriptum reliquit. Cuius rei cauſam eſſe ait, quòd eiuſmodi conditionis mancipia inſignita eſſe in vendendo deberẽt, vt emptores errare & capi non poſſent: neq; lex vendẽdi operienda eſſet, ſed oculis iam perciperẽt quodnam eſſet iam mancipiorũ genus, ſicuti, inquit, antiquitus mancipiorũ iure belli capita coronis induta veniebãt, & iccirco dicebãtur ſub coronis vęnire: namq; vt ea corona ſignum erat captiuorũ vænalium, ita pileus impoſitus demonſtrabat eiuſmodi ſeruos vænundari, quorum nomine emptori venditor nihil pręſtaret. Eſt etiam alia rationis opinio cur dici ſolitum ſit, Captiuos ſub corona vænun

dari, quòd milites cuſtodiæ cauſa captiuorum vænalium greges circundarent, eáque circunſtatio militum,Corona appellata ſit: enimuero id magis verum eſt quod ſupradixi ,quod Cato in libro quem compoſuit de re militari docet. Catonis verba hęc ſunt,Vt populus ſua opera potius ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat,quàm re male geſta coronatus væneat.Iuſtinus epit. Trog. Pomp.xxxiiii. Vrbs ipſa Corinthus diruitur,populus omnis ſub corona venditur, ne hoc exemplo cæteris ciuitatibus metus nouarum rerum incuteretur,ſerui ex eo deinde appellati de hominum ſtatu Floro auctore,quòd imperatores captiuos vendere iuberent, & per hoc ſeruare neq; occidere ſolerent. Auguſtinus ciuitatis dei libro vndeuigeſimo,Origo autem vocabuli ſeruorum in latina lingua inde creditur ducta,quòd hi qui iure belli poſſent occidi à victoribus conſeruabantur,ſeruiq; fiebant à ſeruando appellati , ſub haſta captiui væniebant, haſtæq; ſubiiciebantur ea quæ publice vænundabant.Liuius ab vrbe cond.iiii. Hoſtes præter ſenatores omnes vænundati ſunt,prędæ pars ſua cognoſcentibus Latinis atque Hernicis reddita,partem ſub haſta dictator vendidit.Sub iugum mitti dicuntur hoſtes,cum duabus haſtis in terrã defixis tertiaq; ſuperligata inermes,diſcinctis pectoribus terrã tenus ſub ea tranſire coguntur.Liuius ab vrbe cond.ix. Siquidem etiam quod quibuſdam in annalibus inuenio, Pontius Herennius Samnitum imperator vt expiaret conſulis ignominiam, ſub iugũ cum cæteris eſt miſſus. Sub vitem præliari dicuntur milites, cum ſub vinea militari pugnant. Lucilius,Neque prodire in altum,præliari procul ſub vitẽ. Sub vitem haſtas iacere eſt,cum eas ſub manu miles ſurſum mittit . Lucilius,Vt veles bonus ſub vitem qui ſubmiſit haſtas.Sub vineam iacere dicuntur milites,cum centurionibus aſtantibus iacere coguntur ſudes.

Deditio eſt quando victi hoſtibus ſe tradunt.Spontanea traditio,in qua rex ſi Liuio credimus, interrogabat, Eſtísne vos legati oratoréſque miſſi à populo Collatino,vt vos populúmq; Collatinum dederetis? illis annuentibus, tum rex, Eſtne populus Collatinus in ſua poteſtate?ita eſſe illis denuò reſpondẽtibus,ſubiungebat rex,Deditísne vos populumq; Collatinum , vrbem,agros, aquam,terminos,delubra,vtenſilia,diuina humanaq; omnia in meam populiq; Ro.deditionem?cum omnia hæc illi dederent,tunc ille demum,At ego recipio:& hæc ſecundum veteres in re militari deditionis formula.

Victoria dicta,q; vi,id eſt,virtute adipiſcatur: nam victoria dolo quæſita turpis eſt, & apud veteres maximi habebatur. Iuſtinus epit. Trog. Pom.xv. Et vt apparet,nõ odii ſed dignitatis gloria accenſos,donis,muneribusq; inter ipſa bella contendebant: tanto honeſtius tunc bella gerebant, quàm nunc amicitiæ coluntur.Hanc quoque victoriam & virginem & deam communem cum Bellona & Marte finxit antiquitas,q; hi in bello vtriq; parti poſſent fauere. Claudianus,

Ipſa duci ſacras victoria panderet alas,
Et palma viridi gaudens & amica tropheis,
Cuſtos imperii virgo quæ ſola mederis
Vulneribus nullumq; doces ſentire laborem.

Tibullus elegiarum ſcriptor,

Ecce

Ecce ſuper feſſas volitat victoria puppes,
Tandem ad Troianos diua ſuperba venit.
Ouidius viii. metamorph.
Et pendebat adhuc belli fortuna diuq̃
Inter vtrumque volat dubiis victoria pennis.

Armiluſtrum teſte Varrone ab ambitu luſtri, locus, id eſt, circus maximus, dictus q̃ circũ ſpectaculis ędificatus ibi ludi fierent, & quòd ibi circum metas ferretur pompa & equi currerent & ludentes ancilibus armati: luſtrũ autem, vt idem inquit, nominatum tempus quinquennale, à ludendo, id eſt, ſoluendo, quòd quinto quoq̃ anno vectigalia, & vltro tributa per cenſores perſoluebantur.

Armamentarium, vbi tormenta, & arma, & tela quæcunque ſint illa, ponũtur ac ſeruantur. Liuius xxxi. Aucto etiam tumultu, quòd circa forum ignis tectis iniectus erat, conflagrauerunt, & tota regia & armamentariũ cũ ingenti apparatu machinarũ, & tormentorum. Idẽ vigeſimonono, Torm̃eta machinasq̃ aduexerat ſecum, & ex Sicilia miſſa cum cõmeatu erant, & noua in armamentario multis talium operum de induſtria incluſis, fiebant.

ROBERTI VALTVRII
AD ILLVSTREM HEROA SIGISmundum Pandulphum, de re Militari Liber Decimus.

De Militari cultu qui pro conſuetudine gẽtium & inuentu hominum uarius reperitur. Cap. I.

RElatis in militiam honore pub. dignis, Sigiſmũde Pandulphe, & p virili mea eorum ac totius exercitus muneribus expreſſis, ſui ſinguli cultus ornamenta reddemus, & primo quidem quæ à maioribus circa hoc tradita ſunt ornamentorum genera, armorum deinde, tormentorum, machinarumq̃ rationes, materias, genera, ſpecies, & formas: ſigna porro cognoſcendi in bellis quę ſuperiori etiam tempore in vſu fuere, & intellectum & ſignificationẽ quampiam videãtur habere. Gradus igitur honorum ordinumq̃, ac magiſtratuum diuiſiones habitus ipſe ſecernit, qui pro conſuetudine gentium & hominum inuentus varius reperitur. Apud Romanos toga veſtis erat qua primum ſexus omnis & omni tempore interdiu & noctu vteretur, ſiue ſicut in conſuetudine habebatur quia in foro amicirentur, & à tegendo dicta quòd exterior ac longa veſtes alias tegeret. Eius forma rotũda erat & fuſiore & quaſi inundãte ſinu, & ſub dextro veniens ſuper humerum ſiniſtrum obuoluta ponebatur, vt in operimentis ſimulachrorum Romæ eſt aſpicere, vtq̃ à Valerio Maximo de Scipione Naſica in Mutium Scæuolam literis traditum eſt, Quoniam, inquit, conſul dum iuris ordi

nem ſequitur,id agitur vt cum omnibus legibus romanum imperium corruat, egomet me priuatus voluntati veſtræ ducem offero: ac deinde læuam manum apertæ togæ circundedit,ſublataq; dextra proclamauit, Qui rempublicam ſaluam eſſe vult,me ſequatur.

Toga candida eademq; cretata,in qua cãdidati,ideſt, magiſtratum petentes ambiebãt,addita creta quo candidior inſignioríq; eſſet,vtq; magiſtratuũ huiuſmodi cõpetitores innocentes videretur ex habitu & nõ per ambitionẽ velle magiſtratus expoſcere. Gabinus cinctus eſt toga ſic reiecta vt vna eius lacinia reuocata hominẽ cingat. Hoc autem veſtimenti genere vtebatur conſul bella indicturus,ideo quia quum Gabii Cãpanię ciuitas ſacris operaretur bellum ſubitò euenit, tunc ciues cincti togis ſuis ab aris ad bella profecti victoriam adepti ſunt: vnde is ortus eſt mos. Virgilius,Ipſe quirinali trabea cinctúque gabino Inſignis reſerat ſtridentia limina conſul.

Toga palmata ea dicebatur qua triumphãtes & qui palmã meruerũt vtebantur: vocatur & toga picta eo q; victorias cum palmis intextas haberet. Hanc palmatam tunicã & togam pictam,vt inquit Iulius Capitolinus,Gordianus ſenior primus Romanorũ priuatus ſuam propriam habuit,cum ſuperiori tempore etiam imperatores de capitolio acciperent, vel de palatio. Prætexta & toga picta quæ inſignia quondã magiſtratuum Etruſcorum erant,primus Tullus Hoſtilius rex Romanorũ tertius, debellatis Etruſcis vt Romæ haberentur inſtituit,ſed prætextam illo ſæculo puerilis non vſurpabat ætas: erat enim,vt cætera quę enumeraui,honoris habitus,ſed poſtea Tarquinius Demarathi exulis Corinthii filius Priſcus, quẽ quidam Lucinonẽ vocatũ ferunt, rex tertius ab Hoſtilio,quintus à Romulo, de Sabinis egit triumphũ, quo bello filiũ ſuum annos xiiii: natũ quòd hoſtem manu percuſſerat,& pro concione laudauit, & bulla aurea prætextaq; donauit,inſigniens puerũ vltra annos fortem præmiis virilitatis & honoris. Alii putãt eũdem Priſcum,cum is ſtatum ciuiũ ſolertia prouidi principis ordinaret,cultũ quoq; ingenuorũ puerorum inter præcipua duxiſſe,inſtituiſſéq; vt Patritii bulla aurea cũ toga cui purpura prętexitur vterẽtur,dũtaxat illi quorum patres currulẽ geſſerãt magiſtratũ,cęteris autẽ vt prętexta tantũ vterẽtur indultũ, ſed vſq; ad eos quorũ parẽtes equo ſtipẽdia iuſta meruiſſent: libertinis verò nullo iure vti prætextis licebat,ac multo minus peregrinis quibus nulla eſſet cũ Romanis neceſſitudo, ſed poſtea libertinorũ quoq; filiis prętexta cõceſſa eſt ex cauſa tali,quã M. Lælius augur refert,q; bello punico ſecũdo duumuiros dicit ex ſenatuſcõſulto propter multa prodigia libros Sibyllinos adiiſſe,et inſpectis his nũtiaſſe in capitolio ſupplicãdum,lectiſterniũq; ex collata ſtipe faciendũ,vt libertinæ quoq; quę lõga veſte vterẽtur in eã rẽ pecuniã ſubminiſtraſſent. Acta igitur obſecratio pueris ingenuis,itẽq; libertinis,ſed et virginibus, patrinis matriníſq; ꝓnũciãtibus carmẽ,ex quo conceſſum vt libertinorũ quoq; filii q; ex iuſta dũtaxat matrefamilias nati fuiſſent, togã prętextã & lorũ in collo ꝓ bullę decore geſtarẽt. Valerius Flaccus ait,Cũ Po. Ro. peſtilẽtia laboraret,eſſétq; reſpõſum,id accidere q; dii reſpicerẽt anxiã vrbem fuiſſe ob nõ intellectum oraculum, euenifſétq; vt in Circenſium die puer de cœnaculo pompã ſuperne diſpiceret & patri

referret

referret quo ordine secreta sacrorum in arca Pilentia cõposita vidisset: qui quũ rem gestam senatui nuntiasset,placuisse velari loca ea qua pompa veheretur,atq; ita peste sedata puerũ qui ambiguitatem sortis absoluerat,togę prætextæ vsum impetrasse. Vetustatis peritissimi referũt in raptu Sabinarum vnam mulierem nomine Hersiliã dũ adhęreret filię simul raptam,quam quũ Romulus Osco cuidam ex agro latino qui in asylũ eius confugerat virtute conspicuo vxorẽ dedisset,natum ex eo puerum antequam vlla alia Sabinarum partum ederet, eumq; quòd primus esset in hostico procreatus, Oscum Hostilium à matre vocitatum, & eundem à Romulo bulla aurea ac prætextæ insignibus honoratum: is quum raptas ad cõsultandũ vocasset, spopondisse fertur se eius infanti quæ prima sibi ciuem romanũ esset enixa,illustre munus daturum. Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum vt cordis figuram in bulla ante pectus annecterent,quã inspicientes,ita demum se homines cogitarent si corde pręstarent,togãq; prætextam his additam vt ex purpuræ rubore,ingenuitatis rubore tegerentur.

Paludamẽtum vestis quæ nunc chlamis dicitur insigneq; pallium ducum & imperatorum,albo vel colore sanguineo purpureum & auro distinctum. Hoc belli tempore imperatores indui mos erat, proinde teste Varrone sic dictũ quòd eo indutus palàm faceret bellũ futurũ. Paludati armati et etiam ornati, omnia enim militaria ornamenta paludamenta vocabant.

Trabeæ vestes regiæ: harum tria esse genera Suetonius in libro de genere vestium auctor est,vnũ purissima purpura, tãtum diis sacratũ: aliud regiũ,quod est purpureum,habet tamen albi quippiam: tertium augurale,croceo & purpura.

Læna vestimentũ militare quod super omnia vestimẽta sumitur, & q; de lana sit,teste Varrone,sic dicitur: quidã Thuscè appellatã existimãt, quidã gręcè,quã chlenam dicunt: obbas non lęnas, sed chlenas esse ait: cuiusmodi enim vestis genus,quóve colore sit ostendit his verbis Maro, Tyrioq; ardebat murice lęna.

Sagum,sagam,siue sagulum, vestem breuem & idoneam bello constat ac militiæ. Liuius lib. octauo ab vrbe cond. Non omnia sagulo regali amictus,centurionibus item manipulariũ militum habitu ductis,ne ducẽ circumuenire hostes notarẽt perlustrauit. Liui. xxi. de Hannibale,Multi sæpe,inquit,militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationesq; militum cõspexere, vestitus nihil inter æquales excellens,arma atque equi conspiciebantur. Sunt & qui militare pallium quadratũ, & à Gallorum sagacitate cõtra aëris intemperiem inuentum sic dictum appellant.

Penulam militare pallium,pendentibus cum fimbriis,sic dictam quidam volunt,quòd à Pœnis initium habuerit qui tali veste maximè vtebantur. Seneca ad liberalem de benefi. lib. v. Meministi quidem sub quadam arbore minimum vmbræ spargente quum velles residere feruentissimo sole,et esset asperrimus locus in quo è rupibus acutis vnica illa arbor eruperat, quendam ex commilitonibus,penulam suam substrauisse. Spartianus in vita Adriani, Penulis vti tribuni plebis pluuiæ tempore solebant,imperatores autem nunquam: vnde imperatores sine penulis à togatis videntur. Helius Lampridius in vita Alexandri Seueri, Penulis intra vrbem frigoris causa vt senes vterentur permisit, quum

id veſtimenti genus ſemper itinerarium aut pluuiale fuiſſet. Iuuenalis in primo,
Scilicet hoc fuerat, propter quod ſæpe relicta
Coniuge per montem aduerſum gelidasq; cucurri
Exquilias, fremeret ſæua cum grandine vernus
Iuppiter & multo ſtillaret penula nymbo.
Lacerna pallium fimbriatum quo olim ſoli milites vtebãtur, vnde in diſtinguẽda caſtrenſi vrbanaq; turba hos togatos, illos lacernatos vocabãt, indeq; lacernę quaſi amputatis fimbriarum capitibus dictæ.
Maſtruca, vt Conſentius inquit, eſt Sardorum veſtis quę fit ex pellibus ferinis, ſic dicta, vt quidam volunt, quaſi monſtruoſa: quia quiſquis ea induitur, quaſi fera monſtratur. Cic. pro Scauro, Quem purpura regalis non commouit, eum Sardorum maſtruca mutauit ex induſtria: quod ſardum illudens Cic. maſtrucam dixit teſte Quintiliano.
Stragulas veſtes pellicias nonnulli licet habeant, veluti etiam Sarmatarum populi qui pellibus teguntur, nec dubium ſit, vt Labeo inquit, quin ſtragula veſtis ſit omne palliũ, magnopere me mouet Pomponii & Caſſii multorúmq; auctoritas, vt ſtragula veſtis ſit nec ſordida quidem ſed precioſa, vt Liuius bel. macedonici. libro iii, Quum tibi, inquit, viro liceat purpura in veſte ſtragula vti. Idem in eodem lib. ix. Luxurię peregrinæ origo ab exercitu Aſiatico inuecta in vrbẽ eſt, lectos auratos, veſtem ſtragulam precioſam. Cicero in Verrem actione iiii. Dicebat ſcyphorum paria complura, hydrias argẽteas, precioſam veſtem ſtragulam. Valerius maximus lib. iiii. Age, ſi quis hoc ſæculo vir illuſtris pellibus pro ſtragulis vtatur. Horat. ſecundo ſermonum
Vnum de octoginta annos cui ſtragula veſtis.
Rectius tamẽ & propriè magis arbitror, Varrone opulentiſſimo teſte, vbi de culcitra loquitur, in lingua latina, quicquid inſternebant â ſternendo ſtragulum appellari. Seneca lib. epiſto. xv. Culcitra in terra iacet, ego in culcitra: ex duabus penulis altera ſtragulum, altera opertoriũ facta eſt. Val. Martialis in apophoretis,
Stragula purpureis lucent villoſa tapetis.
Stragulas etiam & Baſionica, quæ equis inſterni ſolẽt puto veſtes eſſe. Eſt ſua etiam apud Lacedæmonios tunica quã nonnulli Puniceam dicunt, nonnulli Coccineam. Hanc ab his repertam conſtat ad celandum coloris ſimilitudine ſanguinem, quotiens quis in acie vulneraretur, ne contemplanti aduerſario animus augeſceret. Hac ſub conſulibus Romani vſi ſunt. Vnde ſolebat etiam pridie quàm dimicandum eſſet ante principia præponi, quaſi admonitio & indicium futuræ pugnæ eſſet, quod ita eſſe Plutarchus in vita Fabii Maximi auctor eſt, Hannibali, inquit, quum apud Aufidum fluuiũ caſtra haberet prope Cannas, orto die extemplo belli ſignum extulit: nam erat rubra quędam veſtis ſupra conſulis tentorium protenſa, quare Carthaginenſes proſpecta imperatoris romani & audacia & copiarum multitudine, quum ipſi haud ad medium numerum attingerẽt, principiò ingenti trepidatione perculſi ſunt. Idem in vita Pompeii, Tum Cæſar exoptatum inquiens adueniſſe diem in qua cum viris non cum inedia, non cum egeſtate pugnandum eſſet, extemplo coram contubernio tunicam rubram

poni

poni iussit: hoc enim Romanis pugnæ signum erat.

De armis & unde dicta sint, Cap. II.

RE ipsa, nunc graui labore monemur armorum species vniuersas, instrumentorum, tormentorumq; muralium ignorãtibus circumscripte monstrare: & quoniam sua cuiq; gentiũ placita sunt, & artificum recentia ingenia, nouis semper inuentis gaudent, proinde singula pro virili nostra prosequemur, nusquam ingeniis hominum præscribentes, quin licet at cuique & referre quæ viderit, & suis inuentis gratulari. Arma vt inquit Cic. tuscula. lib. primo, membra militis esse dicuntur: quæ quidem ita gerũtur aptè, vt si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis vt mẽbris pugnare possint. Lucretius libro quinto de rerum natura.

Arma antiqua, manus, vngues, dentesq; fuere,
Et lapides, & item syluarum fragmina rami,
Et flammæq; ignes, postquam sunt cognita primùm,
Posterius ferri vis est æriscq; reperta,
Et prior æris erat quàm ferri cognitus vsus.

Arma, Vlpiano teste, sunt omnia tela, hoc est, fustes & lapides, nõ solum gladii, hastę, & frameæ, id est, rompheæ. Caius de verborum significatione, armorum appellatio non vtique scuta & gladios significat, sed fustes & lapides: & quoniam his arceri potest hostis, arma ab arcendo dicta censeri possunt: vel arma dicuntur ab armis propriè, id est, humeris dependentia, vt scutum, gladius, pugio, sica, cũ ea quibus ꝓcul præliamur tela dicãtur. Cic. pro Au. Cecinna, Armatos, si latine loq volumus quos appellare vere possimus? opinor eos qui scutis telisq; parati armatiq; sint. Quid igitur? si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo pręcipitem egeris, iussúsque sis quem hominibus armatis deieceris restituere, restituisse te dices? Verba si valent, si causę non ratione sed vocibus põderantur, me auctore dicito, vinces profectò non fuisse armatos eos qui saxa iacerent, quæ de terra ipsi tollerent, non esse arma cespites neq; glebas, non fuisse armatos eos qui prętereuntes ramum defringerent arboris, arma esse suis nominibus, alia ad nocendũ, alia ad tegendum, quæ qui non habuerint, eos inermes fuisse vinces.

De armis quibus tegimur. Cap. III.

DE his igitur quibus tegimur primo dicendũ, nec temerariũ superioris temporis patrium quendam Gallorum morem tuum est imitari, qui corporis viribus fidentes, tanquam glorioſius dimicaturi, nunq; nisi in pugna nudabantur, nudiq; versabãtur in acie, vnde multa pericula probatissimis contigerunt. Arma igitur quibus tegimur sunt cassides, tunicæ varii generis, clypei & id genus plurima. Ferrum autem in arma cõuertere, & armis corpus tegere, sunt qui Mineruæ, sunt qui Iouis, Thessaliæ regis ferant inuentum.

Silæ galeę dictę sunt à similitudine Sili: Silus enim, vt Festo placet, nasus appel laturſursum versus atque repandus. Est autem galea, quam Curetes reperisse perhibent, teste Diodoro, crista capitis de corio, quũ sit cassis de lamina: dictaq; galea, vt inquit Varro, à galero quo multi antiquorum vsi sunt: conum curuaturam

turam galeæ quæ in ea præeminet dicimus,ſuper quâ criſtę ſunt. Virg.iii.æneid.
Et conum inſignis galeæ,criſtaſq; comantes.
Buccula galeæ pars eſt. Iuuenalis in iii.
Et fracta de caſſide buccula pendens.
Comantẽ autem galeã quoq; legimus aut criſtatam, ꝙ de caudis animaliũ habeant criſtas: vt,Criſtaq; hirſutus equina: aut comas habentẽ. Statius,Non ergo in terga comantes Abãtiadas: & ibi deinde,Comantẽ Androgei galeam. Simili modo qui ſe de velocitate iactabãt,pinnas in galea ſua ponebant, in ſignum velocitatis,quas deuictis hoſtibus auferentes,collo ſuo in ſignum victorię ſuſpẽſas ferebant,maioremq; illis rapiendo profeſſi velocitatẽ, Pinnirapi appellati ſunt. Iuuenalis in primo, Inter Pinnirapi iuuenes,iuuenéſque laniſtæ.

Torques colli induuias & ornamenta, tam maſculino genere quàm fœmineo idoneos quoſdam,& præ cæteris illuſtres latinæ linguæ auctores protuliſſe inuenimus. Ouidius primo faſtorum,
Ex vno quidam celebres,aut torquis adempti.
Tul.iii.officiornm,Atq; T.Manlius is eſt qui ad Anienem galli quẽ ab eo prouocatus occiderat,torque detracto,cognomen inuenit. Liuius libro vii .ab vrbe condita,Iacens inde corpus ab omni alia vexatione intactum,vno torque ſpoliauit quem reſperſum cruore,ſuo collo circundedit. A.Gellius noct. atti.lib.ix. Vbi eum euertit,caput prȩcidit,torquem detraxit, eam ſanguinolentam ſibi in collum imponit. Hieronymus in expoſitione Danielis.ii.Rem quidem facio ridiculam, vt in expoſitione prophetarum de verborũ generibus quaſi grammaticus diſputem: ſed quia à quodam nihil ſciente, & omnia pollicente reprehẽſus ſum,quare torquem fœmineo genere tranſtulerim,breuiter annotabo quòd Cic. in Mario Torquẽ genere fœmineo, Titus Liuius maſculino dixerunt.

Armillas ex armo quas viri militares ab imperatoribus donati gerũt, dictas eſſe exiſtimant ꝙ antiqui humeros cum brachiis vocabãt armos,vnde arma ab his dependentia ſunt vocata: & ſunt armillæ humeralia ſiue ornamenta brachiorum,in circulorum modum,quæ græcè dicuntur βραχιονισπῆρες. A. Gellius noct. atti.lib.nono, Quos inter gallus quidam nudus, præter ſcutum & gladios duos, torque atq; armillis decoratus proceſſit. T.Liuius, Additur fabula quòd vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo gemmatosq; annulos habuerunt pepigiſſe eam ꝙ in ſiniſtris manibus haberent. Ouidius ii. faſtorum,
Fregerat armillas non illa ad brachia factas.

Cæſtus quũ pugilum arma ſignificat et quartæ eſt formæ, coriũ eſt cũ plũbo inſuto rigentiq; ferro, quo manus ſuas & brachia pugiles muniunt & vinciunt, & apud plurimas nationes, maximè Sauromatas,ſe inuicem pugnãdo cædunt, vnde & cæſtus nomen inditum. Cicer.ii.Tuſculan. Pugiles etiam quum feriunt aduerſarium,in iactandis cæſtibus ingemiſcunt, non quòd doleant animóq; ſuccumbant,ſed quia in profundenda voce,omne corpus incenditur,venítq; plaga vehementior. Virgi.in quinto,Sic deinde locutus,
In medio geminos immani pondere cæſtus,
Proiecit quibus acer Erix in prælia ſuetus,

Ferre

Ferre manum,durique intendere brachia tergo.
Obstupuere animi, tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferróque rigebant.
Ante omnes stupet ipse Dares,longeq; recusat, Idem in eodem,
Magnanimúsque Anchisiades & pondus,& ipsa,
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
Tum satus Anchisa cæstus pater extulit æquos, Idem in eodem,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplo arrectus vterq;,
Brachiáque ad superas intentus extulit auras.
Adduxere retro longe capita ardua ab ictu,
Immiscéntque manus manibus pugnámque lacessunt.
Idem in eodem, Durósque reducta,
Librauit dextra media inter cornua cæstus,
Arduus effractóque illisit in ossa cerebro.
Et didici quonam Pœni arma rotatu, Statius,
Quo massagetæ sua bella cient,quo turbine cæstum
Sauromatæ.

Isculponeas etiam dici voluerunt cæstus plumbo illigatos,vt & Neuius in Philẽporo comœdia, Isculponeis bactuẽda huic sunt latera plũbo. Plautus in Cassina,simili modo ait,Melius Isculponeis qbus bactuatur tibi os senex nequissime.

Pectorale ferreum pectoris tegimen. Pli. na. hist. xxxiiii. Fecit & Spurius Camillus Iouem qui est in capitolio,victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, è pectoralibus eorum ocreisque & galeis.

Thorax humanum pectus proprie, vel eius eminentior pars est. Plinius.xxvi. na. histo. Hyssopi quinque rami cum duobus rutę & ficis tribus decoctis thoracem purgant. Cęterum pro eo quod ferreum est,& quo velatur pectus & corpus, nonnunquam ponitur. Plutarchus in vita Luculli, Erat ipse thoracem ferreum indutus, splendidum atq; squamosum, quo super punicã gestabat ephestridem.

Tunicas quibus nudũ tegitur corpus pro vsu & existimatione pleriq; varias habent, serico vel byssо plurimis plicaturis impenetrabiles audio. Alii spumam ferri solutam in puluerẽ,& plicaturis iniectã,omnẽ ferri aciem repellere dicunt: nonnulli thuris puluerem probant,eo modo congestum: corium apud alios ceruinum succo maceratum, probari maxime comperio. Lanas denique aceto coctas ferro resistere in naturali historia auctor est Plinius. Proinde milites nullum pręsidium habẽtes in gladio, totum subsidium in huiusmodi tegimine ponunt, laminis ferreis & loricis vniuersum corpus tegentibus confisi.

Phaleræ & ephippia, equorum siue hominum vel bellorum munimenta siue ornamenta. Virgil. in quinto.
Primus equum phaleris insignem victor habeto.
Salustius in Iugurtha, Ac si repostulet hastas,vexillum,phaleras,& alia militaria arma. Virgil.in decimo
Cur tales phaleras damnetis & aurea bullis, Cingula.

Iuuenal

Iuuenalis in quinto Vt læti phaleris omnes & torquibus omnes.
Horatius in epistolis Optat ephippia bos,piger optat arare caballus.

Lorica quam Mydas Messenus reperisse dicitur, est propriè tegmẽ de loro factum,quo maiores dolo vti consueuerant. Varro de lingua latina,lorica quòd è loris de corio crudo pectoralia faciebant : postea succedit Chalybs ferro sub id vocabulum,ex annulisq; ferream tunicam fecere,quæ tantum pectora apud maiores tegebat, postea vniuersum corpus: vnde,

Triplici seruantur pectora ferro.
Nam tergo tunc nullus erat metus. & Lucanus vii.
Quærit iter quo torta graues lorica catenas
Oppositit,totoq; latet sub tegmine pectus.

Hæ pro diuitiis, materia vel opere pretiosæ,vt Maximiani adolescentis,& Ptolomæorum regum aureæ,quædã æneæ, & communes ferreæ. Simplices quidam habent bilices ac trilices,alii loricas squammatas iuncturis adopertis,siue plumatas alii probant,illisque teguntur. Crispus,Equis paria operimenta erãt,quę lintheo ferreis laminis in modum plumæ annexa erant, Virgil.quoq;,

Spumantémque agitabat equum quem pellis aënes
In plumam squammis auro conserta tegebat.

Iustinus epit. Trog.Pompe.lib.xli.Munimentum ipsis equisque loricæ plumatæ sunt,quæ vtrumque toto corpore tegebant.

Baltheus est non tantum militare cingulũ,siue cingulus militaris quo cingun tur milites,sed etiam à quo arma dependent: nec ad humilitatem solum, verum ad insultationem nonnunquam & iactantiam,vt Turnum habuisse constat.

Virgil.in xii. Infœlix humero quum apparuit alto
Baltheus & notis fulserunt cingula bullis,
Pallantis pueri victum quem vulnere Turnus
Strauerat atq; humeris inimicum insigne gerebat.

Clypei peditum tegmina sunt,scuta verò equitum. Virgil.in ix.

Et clypeum supèr intonat ingens:

aut,Ipse ingens clypeum supra ipsum. Lectum est autem et hoc clypeum,vt probat Caper,quòd magis debemus accipere,nam Homerum imitatus est : neutro nãq; genere et masculino à doctissimis artiũ scriptoribus vsurpatũ inuenimus. Trabellius Pollio,Illi clypeus aureus,vel vt grammatici loquuntur,clypeum aureum,senatus totius iudicio in romana curia collocatus est.Neutro quoque Liuius xxxv.ab vrbe cond. Aedilitas insignis eo anno fuit M. Aemilii Lepidi, & P. Aemilii Pauli,multos pecuniarios damnarunt,ex ea pecunia clypea inaurata in fastigio Iouis ædis posuerunt. Idem xxxviii . Et duodecim clypea aurata ab ædilibus currulibus P.Claudio, & P.Sulpitio Galbæ sunt posita ex pecunia qua frumentarios ad annonã comprehensam damnauerant. Pacuuius,Clypea currum reliquit chlamide cõtorta. Appellarũt quoq; clypeum antiqui ob rotunditatem & corium bouis in quo fœdus Gabinorum fuerat descriptum cum Romanis. Apud maiores enim fortium virorum picta erant scuta, ecõtra inertium& tyronum pura erant: vnde est,parmáque inglorius alba, id est,non picta. Scutis

etiam

etiã qualibus apud Troiam pugnatum eſt,auctore Plinio natu.hiſto.xxxv,continebantur imagines,vnde & nomẽ habuere clypeorum,non vt peruerſa grammaticorum ſubtilitas voluit à cluendo : cluere enim antiqui pugnare dicebant. Clypei maiora ſcuta ſecũdum Seruium ab eo dicta, quòd celent corpus,à græco κλέπτω: maſculino autem genere frequentiſſimè prolatũ inuenimus. Verum clypea,vt alii volunt,neutro ad imaginem,vel picturam,vel ornamentum: maſculino verò genere ad ſcuta referuntur . Clypeos Protus & Atrius inter ſe bellãtes, ſiue Calthus Athamantis filius inueniſſe prodũtur. Cares quoq; fuiſſe tradit Herodotus qui primi ſcutis ſigna fecerunt,& anſas quibus ſcuta tenẽtur, quum antea ſine illis,vterentur loris ex corio ad collum & ad ſiniſtrum humerum appendentibus. Horum autem materia commendatur ex forma. Pœni ex auro factita uere. M. Aufidius docuit maiores ſuos argenteos clypeos habuiſſe . Alexander rex Iudęorum octo milia pugnatorũ Ptolomæo oppoſuit, quos Hecatõmachos appellabat,hoc eſt,contra centũ pugnantes,eò q; clypeis æneis vterẽtur. Numidæ coriis elphantorum ſcuta feciſſe traduntur , impenetrabilia quidem iaculis , ſed ea caſu inutilia fiunt: corii nanq; ea natura eſt,vt imbrem ſpõgiæ modo ebibat, quo pondere preſſa circũferri non poſſunt. Ligneis faciendis præſtant ligna frigida,aquis innutrita,ac leuia,quorũ plaga contrahit ſe,protinúſq; claudit ſuum vulnus,& ob id contumacius tranſmittit ferrum : in quo ſunt genere fici, ſalix, tilia,ſambucus,populus: leuiſſima ſalix, ideo vtilior . Sed formæ placito ſingulis ceſſere: oblonga ſunt peditibus,nonnullis recurua teſtudinéſque vocant: aliis rotunda,vt cætra,pelta,vel parma.

Cætra ſcutum breue loreum,quo vtuntur Afri & Hiſpani.

Vırgilius, Læuas cætra tegit.

Pelta ſcuti genus breuiſſimi in modũ lunæ iam medię, cætræ haud diſſimile: vnde Maro, Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Parma ſcutum breue , etiam ſic dictum, teſte Varrone , quòd è medio in omnes partes ſit par.

Ancile ſcutum breue,cęlo,regnante Numa Pompilio,delapſum,ſic dictũ propter figuram: circulus enim non eſt, neq; veluti pelta circunferentiam reddit,ſed exciſuram habet lineæ helicoidis , cuius apices curuaturam habẽtes, & denſitate in ſe conuerſi,ancilię figuram faciunt. Ancile etiam ſcutum breue,inquit Feſtus, quod ideo ſic appellatur, quia ex vtroq; latere erat reciſum,vt ſummum infimũq; eius latus medio pateret: vel dictũ ancile ab ambeciſu, teſte Varrone, q; ea arma ab vtraque parte vt thoracum inciſa ſunt: vel vt Seruio placet in commento lib. viii æneid. Ancile ſcutum breue atque rotundum, ſic dictum,vel quòd vndique circumciſum eſt,aut à græco ἀμφίκελον,id eſt,vndiq; labrũ habens. Ouidius iii. faſtorum, Atq; ancile vocant quòd ab omni parte reciſum eſt,

Quòdq; motis oculis angulus omnis abeſt.

Alii ex an quod eſt circum,& κυλίω, voluo dictum putant,aut propter ἀγκῶνα , id eſt,cubitum ad quem circumferunt: hoc enim Iobbas inquit , cupiens nomen à græco deducere,Poſſet primũ hoc cognomẽ ab eo vel motu vel impetu deſcẽdere qui ἄνωθεν , id eſt,ſuperne factus ſit: ſiue ab ægrotantium curatione quæ ἄκεσις,dicitur

citur,aut ab ἀγχίνου λύσεως,hoc eſt,ſcita ſolutione,præterea à triſtiũ amotione quã ἀνάχησιν vocant, ex quo Caſtorem & Pollucem ἄναχας Athenienſes appellant: ſi quidem in græcum eloquium deducendũ ſit ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος,hoc eſt,à cubito quo deferri conſueuerunt poſſe vocari etiam aſſerunt.

Sariſſa clypeus æneus. Q. Curtius libro ix,Ingens hic militum multitudo,inter quos erant Græci qui Dyoſippo ſtudebant: Macedo iuſta arma ſumpſerat,ęneum clypeum,quem Sariſſam vocant,læua tenens,dextra lanceam, gladióque cinctus veluti cum pluribus dimicaturus. πόλος græcum eſt,& proprie veluti ſcutũ breue quod in medio tecto eſt,in quo trabes coëunt,& ad quod dona ſuſpẽdi cõſueuerant. Statius ſecundo Thebaid.

Hic ego maiorum pugnas vultusq; tremendos,
Magnanimûm affigam regum,figamque ſuperbis
Arma tholis quæq; ipſe modo quæſita reuexi
Sanguine,quæq; dabis captis Tritonia Thebis.

Vmbo ſcuti pars media quaſi vmbilicus: vmbo etiã ſcutũ ſæpe ſignificat. Nam à parte totum intelligimus. Virgilius in decimo

Inde aliud ſupérque aliud figítque volatq;,
Ingenti gyro ſe ſuſtinet aureus vmbo.

Ocreę crurum tegmina,quòd opponebãtur ob crus dictæ. Liuius ix.ab vrbe condita,Et ſiniſtrum crus ocrea tectum, galeæq; criſtatæ quæ ſpeciem magnitudini corporum adderent. Eas verò & criſtas galearum feruntur Cares tradidiſſe, ſed galeam Lacedæmonii inuenerunt.

Pero ruſticum calciamentũ, à Græciæ more vbi hoc armorum fuerat genus tractum,& Hernicis à poëta nobiliſſimo aſſignatum vnde iſti trãſierant: proinde ſunt in lib. vii. Virgilii illi verſus, quibus Hernici populi & eorum nobiliſſimi vt tunc erat ciuitas Anagnia,enumerantur:

Quos diues Anagnia paſcit,
Quos Amaſene pater,non illis omnibus arma,
Nec clypei currúsve ſonant,pars maxima glandes
Liuentis plumbi ſpargit,pars ſpicula geſtat
Bina manu,fuluóſque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti,veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis,crudus tegit altera pero.

Hunc morẽ in Italia fuiſſe vt vno pede calciato, & altero nudo iretur ad bellum, nuſquam adhuc,quod ſciam, reperi, ſed eam Gręcorũ nonnullis cõſuetudinem fuiſſe, locupleti auctoritate iam palam faciam: in qua quidem re imitari eſt poëtæ inclyti occultiſſimam diligentiam, qui quum legiſſet Hernicos quorum eſt Anagnia à Pelaſgis oriundos, appellatosq; ita à Pelaſgo quodam duce ſuo qui Hernicus nominabatur,morẽ quem de Aetolia legerat Hernicis aſſignauit,qui ſunt vetus colonia Pelaſgorum. Et Hernicum quidem,hominem pelaſgum, ducem Hernicis fuiſſe, Iulius Higinus in libro ſecundo vrbium non paucis verbis probat: Morem verò Aetolis fuiſſe, vno tantummodo pede calciato in bellum ire,oſtendit clariſſimus Euripides ſcriptor tragicus, in cuius tragœdia quæ Meleager

leager inſcribitur,nuncius inducitur deſcribens quo quiſq; habitu fuerit ex ducibus qui ad aprum capiendum conuenerant,in qua animaduertitis,diligentiſſimè verba Euripidis à Marone ſeruata: ait enim ille, & eũdem pedem nudum. Virgilius quoque dixit, Veſtigia nuda ſiniſtri Inſtituere pedis.In qua quidem re quo nobis ſtudium noſtrum magis comprobetur,non reticebimus rem pauciſſimis notam , reprehenſum Euripidem ab Ariſtotele ſecũdo de poëtis libro,qui ignorãtiam iſtiuſmodi Euripidis fuiſſe contendit: Aetolos enim non læuum pedem nudum habere,ſed dextrum: quod ne affirmem potius quàm probem, Ariſtotelis verba ſunt in eo libro,quem de poëtis ſecundo ſcriptum reliquit, in quo de Euripide ea locutum inuenies . Hæc quum ita ſint, Virgilium tamen Euripide auctore,quàm Ariſtotele vti maluiſſe conſtat: nam vt hæc ignorauerit vir tam anxie doctus,minime crediderim. Iure autem prætulit Euripidẽ: eſt enim ingens ei cum græcarum tragœdiarum ſcriptoribus familiaritas, quod ex multisdictis eius licet opinari.

Scanſilis ferri in equos vſum, adminiculum apud veteres tam Græcorum q̃ Latinorum fuiſſe haud inuenio. Virgilius in duodecimo,

Infrænant alii currus,aut corpora ſaltu
Subiiciunt in equos,& diſtrictis enſibus adſunt.

Idem in eodem,

Turnus vt Aeneam cedentem ex agmine vidit,
Turbatosq; duces ſubita ſpe feruidus ardet,
Poſcit equos atq; arma ſimul ſaltuq; ſuperbus,
Emicat in currum & manibus molitur habenas.

Vegetius lib.prim. Non tãtum à tyronibus, ſed etiam à ſtipendiariis militibus ſalitio equo diſtricte eſt ſemper exacta, quẽ vſum vſq; ad hanc ætatem licet iam cum diſſimulatione perueniſſe manifeſtũ eſt. Equi lignei ſub tecto hyeme,æſtate ponebantur in campo,ſuper hos tyrones primo inermes dum cõſuetudinem perficerent,deinde armati cogebantur aſcendere, tantaq; cura erat vt nõ ſolum à dextris ſed etiam à ſiniſtris partibus & inſilire & deſilire condiſcerent , euaginatos etiam gladios vel contos tenentes,hoc enim aſſidua meditatione faciebãt, ſcilicet vt in tumultu prælii ſine mora aſcenderent,qui tam ſtudioſe exercebantur in pace. Liuius ſecundi belli punici lib.iii. Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu,ſed quibus deſultorum in modũ binos trahentibus equos inter acerrimam ſæpe pugnam in recentem equum ex feſſo armatis tranſultare mos erat: tanta velocitas ipſis tãq; docile equorum genus. Xenophon Socraticus in eo libro qui equitum præfectus inſcribitur , Poſtquã verò equites quales eſſe oporteat dictum eſt,qua nam parte equites optimi comparentur hoc in medium conabor exponere . Ex his igitur iuniores impellere atque adhortari debemus, vt in equos inſilire diſcant. Huius autem rei magiſtrum præceptoremq; qui adhibuerit,iure laudabitur: natu autẽ grandiores aſſuefacere vt in ſcandendis equis perſico more ſe inuicem adiuuent. Plutarchus in vita Gracchorũ, Dimenſo præterea viarum ſpatio ſingulis miliariis(eſt autem miliariũ paulo minus q̃ octo ſtadia)columnas lapideas ſpatii ſigna proferentes conſtitutas:alios inſuper lapides

parum inter ſe diſtantes ex vtraq; viarum parte diſpoſuit, vt ex illis faciliter & ſine ſaltu in equos eſſet aſcendere. Huius rei præter hæc teſtes & indices ſunt eti am arcus in vrbe romana triumphales, ac æneus apud Lateranum equus abſq; huiuſmodi ſcandendi adminiculo cum equite & ſeſſore ſuo.

Calcar,agitandi cōcitandiq; equi ſtimulus eſt,à calce denominationem aſciſcens. Ouidius,

Non nocet admiſſo ſubdere calcar equo.

In eo autem quod vi.ænei. ſcribitur,Seu quū pedes iret in hoſtem,Seu ſpumantis equi foderet calcaribus armos,ſpeciem pro genere poſuit Maro,hoc eſt,equi armos pro equo, quū nō poſſint armi calcaribus fodi: vtq; hoc ad concitandū, ſic virga ad regendum equum diuerſarum gentium inſtitutum fuiſſe proditur. Valerius Maxi.lib.tertio de.P .Craſſo,Inter Eleā,inquit,et Smyrnā exceptus,ne in deditionē eius pueniret,dedecus arceſſita ratione mortis effugit. Virgā enim qua ad regendū equum vſus fuerat in vnius barbari oculū direxit,qui vi doloris accenſus,latus Craſſi ſica confodit. Lucanus in quarto,

Et gens quæ nudo reſidens maſſilia dorſo
Ora leui flectit frenorum neſcia virga.

Quæ arma ad nocendum apta,inſtrumentaq; bellica quibus nomimibus explicentur. Cap. IIII.

QVæ ſuis nominibus ad tegendum ſunt arma dixiſſe videmur, nunc ad nocendum quę ſunt reliqua proſequamur. Acinacis,gladius militaris lingua Parthorū vel Medorū,vt inquit Acron, pro quolibet licet poni poſſit.Q.Curtius lib.vi. Sed pręter clypeum eius putrem, & arcus duos Scythicos & acinacē nihil reperit. Hieronymus lib.i.cōtra Iouinianum,Strato regulus Sidonis manu propria ſe volens cōfodere ne imminētibus Perſis ludibrio foret,gladiū quē arripuerat circūſpectans,hoſtium pauidus exſpectabat aduentum,quem iam iámque capiendum vxor intelligens,extorſit acinacem è manu,& latus eius tranſuerberauit.

Enſis & gladius huius naturæ ſunt,auctore Quintiliano inſti.libro ix. vt idē pluribus vocibus declarent, ita vt nihil ſignificationis quo potius vtaris interſit. Macrobius.i de ſomnio Scipionis,Nunc videamus quę ſint hæc duo nomina quorum pariter meminit cum dicit, Quæ ſidera & ſtellas vocatis,neq; enim hic res vna gemina appellatione monſtratur,vt enſis & gladius.

Gladius,quem auctore Plinio.vi.natur.hiſto.à Lacedęmoniis cōſtat inuētū, teſte Varrone,c in g cōmutato à clade dicitur,q; fit ob hoſtiū cladē,vtq; dupōdii nomē quod dicitur à multis duobus modis,hic dupōdius & hoc dupōdium,ſic hoc gladium & hic gladius.Quintilianus lib.i.inſti.Et gladia qui dixerunt,genere exciderunt: ſed hoc quoque notare contentus ſum,ne arti quorundam culpa peruicacium perplexæ videar & ipſe quæſtionem addidiſſe.

Spatha, enſis, ſiue gladius, nomina ſunt omnibus penè nota. Liuius trigeſimonono,Vbi omnia fuga completa,vidit,Cato ipſe ad ſecundam legionem quæ in ſubſidio poſita erat reuehitur,& ſigna præ ſe ferri plenoq; gradu ad caſtra hoſtium oppugnanda ſuccedere iubet, ſi quis extra ordinem auidius procurrit,& ipſe inter equites ſpatha percutit,& tribunos centurionéſque caſtigarē iubet.

iubet. Hoc vocabulum in veterum etiam libris ſcriptũ inuenies,& apud A. Gellium noctium ſuarum libro decimo.

Harpe falcatus enſis quo vſus eſt Perſeus in occiſione Gorgonis. Lucanus in ix.

Harpen alterius monſtri iam cæde rubentem. Idem in eodem,

Perſeos aduerſi cyllenida dirigit harpen,
Lata colubriferi rumpens confinia colli.

Maro in ſeptimo, Læua ſceptra tenet falcati cominus enſes.

Linguam veteres dixere gladiolum oblõgum in ſpeciem linguæ factum, cuius meminit Neuius in tragœdia Ixione.

Machæra gladius longus ex altera parte acutus, à græco: nam Græci μαχαίρας longum vocant. Cæſar. ii. commen. Ad multam noctem etiam ad impediměta pugnatum eſt, propterea quòd pro vallo carros obiecerãt, & è ſuperiore in noſtros venientes tela coniiciebant: nonnulli inter carros rotaſq; machæras & ſtragulas ſubiiciebant noſtróſque vulnerabant. Seneca libro quinto de benefi. ad Liberalem, Nec galeam illam ſi videris agnoſces: machæra enim hiſpana diuiſa eſt.

Dolones gladii ſunt. Plutarchus in vita Gracchi, Nec ſecus paratis clàm percuſſoribus, necem Tyberio machinabantur: ille verò palàm gladium quem dolonem vocant accinctus ambulabat. Dolones aliorum ſententia, flagella ſunt intra quorum virgam pugiones latent: aut ſecundum Varronem ingens contus cum ferro breuiſſimo, à dolo vel à fallendo dicti, quòd decipiant ferro, quum ſpeciem præferant ligni. Sunt & qui velint perteretes mucrones, dolones dici: & Maro inquit,

Pila manu læuoſq; gerunt in bella dolones.

Sica à ſecando dicta, eſt enim gladius breuis quo maxime vtuntur qui apud Italos latrocinia exercent, à quo & Sicarii dicti: quanquam auctore Quintiliano libro nono inſtitutionum, per abuſionem Sicarios omnes vocamus, qui cædem telo quocunq; commiſerint.

Pugio gladius breuis & bis acutus lateri adhærens, ſic dictus Feſto teſte, quòd eo punctim pugnetur: eſt & pugio ſecundum Varronẽ ingens contus cũ ferro.

Clunadum cultrum ſanguinarium dictum eſt, vel quòd ad clunes depẽdet, vel quòd clunes beſtiarum diuidit.

Seceſpitam cultrum ferreum dicunt oblongum, manubrio eburneo rotundo ſolido, iuncto ad capulum argẽto auroq;, fixo clauis æneis ære cyprio, quo pontifices flamineſq; ad ſacrificia vtebãtur, à ſecando ſeceſpita dicta: alii ſecurim, alii dolabram æneam eſſe putant.

Mucro, enſis & gladius idem ſunt. Priſcianus artis grammaticæ lib. ii. Synonyma tam propria quàm appellatiua inueniuntur, ſicut enſis, gladius, mucro, vnũ atq; idẽ ſignificãt: ſicut P. Cornelius Scipio Aphricanus, vnum atque idem ſignificãt. Boëtius de trinitate, In rerum enim numero nõ facit pluralitatem vnitatum repetitio: vt ſi de eodem dicam gladius vnus, mucro vnus, enſis vnus. Poteſt enim vnus tot vocabulis gladius agnoſci. Hæc enim vnitatum iteratio potius eſt, non numeratio: veluti ſi ita dicamus, enſis, mucro, gladius, repetitio quædã eiuſdẽ non numeratio diuerſorũ: velut ſi dicã, ſol, ſol, ſol, vnus ſol, nõ tres

ſoles effecerim,ſed denuo totiens prędicauerim. Idem in eodem, Recte repetitio magis de eodem quàm enumeratio diuerſi videtur eſſe, quum dicitur, Deus pater, deus filius,deus ſpiritus ſanctus, atq; hæc trinitas vnus deus: vel enſis,atq; mucro,vnus gladius: veluti ſol,ſol,ſol,vnus ſol.Idem paulo infrà in eodem,Non verò ita dicitur filius ac ſpiritus ſanctus quaſi multiuocum quiddam: nã mucro enſis ipſe eſt & idem,pater verò ac filius & ſpiritus ſanctus idẽ quidẽ eſt, nõ verò ipſe. Liuius lib.vii.ab vrbe cond . Gallus velut moles ſuperne eminens proiecto læua ſcuto,in aduenientis arma hoſtis vanum cæſim cum ingenti ſonitu enſem deiecit,Romanus mucrone ſurrepto quum ſcutum ſcuto percuſſiſſent. Mucro,enſis quoq; vel gladii vel cuiuſlibet rei acumẽ dicitur. Liuius ab vrbe cond.xxii.Gallis Hiſpaniſque ſcuta eiuſdẽ formæ erant,ferè diſpares & diſſimiles gladii.Gallis prælongi ac ſine mucronibus . Hiſpano punctim magis quàm cæſim aſſueto petere hoſtem breuitate habiles cum mucronibus.Seneca ad Lucil. lib.xi. Gladium bonum dicere non cui auratus eſt baltheus,nec cuius vagina genus diſtinguit,ſed cui & ad ſecandum ſubtilis acies eſt,& mucro munimentum omne rupturus.Macrobius lib.i.de ſomno Scip.Nam & Dionyſius aulę ſidereæ inclemẽtiſſimus incubator, familiari ſuo cuidam ſolam beatam exiſtimanti vitam tyranni volens quàm perpetuo metu miſeram,quámq; impendentium ſemper periculorum plenam oſtendere , gladium vagina raptum & capulo de filo tenui pendentẽ mucrone demiſſo iuſſit familiaris illius capiti imminere inter epulas: vnde etiam à poẽta clariſſimo dictum eſt in xii.

Illa manu moriens telum trahit,oſſa ſed inter
Ferreus ad coſtas alto ſtat vulnere mucro.

Omnes hæ deniq; gladiorum ſpecies vaginis abduntur.

Aclides,auctore Seruio, tela ſunt quædam antiqua adeò vt nequicquam commemorentur in bello. Legitur tamen quòd claue,cubito ſemis eminentibus hinc & hinc acuminibus in hoſtes ita iaciuntur religatæ loro vel lino,vt peractis vulneribus poſſint redire : putantur tamen eſſe teli genus quod in flagello immerſum iaci poteſt dicente Marone,

Teretes ſunt aclides illi
Tela,ſed hæc lento mos eſt aptare flagello.

Telum vulgo id appellatur quod ab arcu mittitur manu,vt lapis,lignũ,fuſtis, haſta,lanceæ,pilum,& quodcunque in longinquum mittitur græca voce τηλοβολον ſignificatum, quanquam etiam legimus de gladio.Liuius lib.i . Arma his imperata, galea,clypeus,ocreæ,lorica,omnia ex ære: hæc vt tegimenta corporis eſſent,tela in hoſtem haſtaq; & gladius. Seneca lib.xv. epiſt. de diuitiis loquẽs,Illæ, inquit, neminem lædunt,nec ſua cuiquam nocet ſtulticia aut aliena nequitia : ſic quemadmodum gladius neminem occidit,& occidentes telum eſt. Virgilius,

At non hoc telum mea quod vi dextera verſat Effugies.

Verutum telum breue & anguſtum, Nonio teſte. T. Liuius ab vrbe cõd. decimo,Quibus pleriſq; in ſcuta verutis,in corpora ipſa fixis,ſternitur cuneus. Idem in primo, Arma mutata,nihil præter haſtam & verutum datum. Vegetius lib. ſecũdo quũ de miſſilibus loqueretur & de vno ac maiore dixiſſet , Aliud, inquit, minus

minus ferro vnciarum quinque,haſtili pedum totidem & ſemis,quod tunc verutulum nunc verutum dicitur.

Fuſtes ſunt quos palos ruſtici vocant,quiq; inter prima humani generis arma fuere. Baculus à Baccho ſecundum Rabanum & pleroſque alios repertus & appellatus,vſu communi maſculinum eſt, ſignificationem habens notiſſimam. Liuius lib.primo,Augur ad læuam eius capite velato ſedem cepit, dextera manu baculum ſine nodo aduncum tenens,quem lituum appellarũt: diminutiuum tamen neutro genere bacillum habet.Cicero ii.de fin.bono.Bacillum aliud inflexum,aliud ita natum. Primitiuum etiam quod eſt baculus , baculum neutro genere prolatum inuenimus. Apuleius magiæ lib.primo,Veruntamen hoc Diogeni & Antiſtheni pera & baculum,quod regibus diadema,quod imperatoribus paludamentum,quod pontificibus galerum,quod lituus auguribus.
Ouidius xv.metam. Eſſe ſolet,baculúmqne tenens agreſte ſiniſtra.
Vindicta virga prætoris qua ſerui percuſſi liberantur & libertatem acquirunt, à vendico dicta,quia per eam vendicent libertatem.Perſius,
Ad dominum ignoras niſi quem vindicta relaxat.
Liuius lib.ii.ab vrbe cond.Ille primum dicitur vindicta liberatus.Quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant , cui Viridatio nomen fuiſſet , poſt illum obſeruatur vt qui ita liberati eſſent in ciuitatem accepti viderentur.

Verbera pro verberatione licet nonnunquam accipiantur,rem tamen corpoream propriè ſignificant , vt flagella quæ ſunt propriè ſarmentorum ſummitates.Quintilianus,Ignes ex proximo raptos,& verbera quæ caſus obtulerat.Iuſtinus epit.Trog.Pomp.lib.ii. Admonentur Scythæ mutare genus pugnæ,memores non cum hoſtibus,ſed cum ſeruis præliandũ: nec armorũ,ſed dominorũ iure vincendos: verbera,non arma in aciẽ afferenda,omiſſoq; ferro virgas & flagella cæteráq; ſeruilis metus inſtrumenta paranda . Haſtas Lacedæmonios inueniſſe dicitur.Fraxinus obedientiſſima,corilus melior,ſorbus lentior;ea Homeri præconio Achillis haſta nobilitata eſt. Haſtilia minores lãceę ſunt ferro producto & quas manu iacere ars eſt. Conti haſtæ longiores ſunt & robuſtæ , ſine ferro ſed acuta cuſpide.Iuuenalis,
Nocte iter ingreſſus gladium contúmque timebis.
Lancea quam Aetolos inueniſſe vi.na. hiſto. teſtis eſt Plinius,vt haſta manifeſtam habet ſignificationem,latinũ licet nomen non ſit,ſcriptumq; eſt in libro M. Varronis rerum diuinarum xxiiii.quo in loco Varro quum de pectorico dixiſſet eſſe id verbum gallicum,lanceam quoque dixit non latinum ſed hiſpanicum verbum eſſe: alii à græco dictum putant,quod Græci λόγχω vocant.

Pilum Pantheſileæ licet inuentum,haſta romana,vt geſa Gallorum,& lariſſa Macedonũ,id auctores dicũt maximi,vſus in bellis,quòd huiuſmodi haſta amento æqua lance ſi pẽdeat & ponderata vibretur, vbi excuſſo lacerto valide intorta fuerit, vix armatura inuenitur quæ vibrantis ictum ſuſtineat, eminus intortum vbi armis hæſerit agitatione & motu continuo penetrare contẽdit,nec ſubitum euitari poteſt aut repelli, ſed nec euelli hoſte premente.His Britanni maximè vſi & circumiacentes etiam inſulæ . Geſa Gallorum tela,ſiue viriles haſtæ . Nam

& vifos fortes Galli Gefos vocant. Liuius ix . Tere paſtorali habitu,agreſtibus telis,falcibus,gefiſq; binis armati : ſunt qui à cędendo cæſa dici rectius putant. Ruma pilũ,rumata pilata,rumex telum, ſparo gallico quàm ſimile. Iaculum quod cum amento Aetolum Martis filium inueniſſe ferunt telum etiam , quòd vt iaciatur fit,teſte Varrone,dictũ. Spara,Pomp.teſte,minimi generis iacula agreſtia & ruſtica,à ſpargendo dicta. Aemilius de excellentibus ducibus extera rum gentium,Epaminundam pugnantem & ſparo eminus percuſſum concide re viderunt.Lucilius,Tum ſpara,tum murices portantur ſtragula porrò. Sparos maſ.etiã genere legimus. Saluſtius in Catil. Sed ex omni copia quarta pars erat militaribus armis inſtructa,cæteri vt quoſq; caſus armauerat,ſparos & lanceas,alii præacutas ſudes portare. Sariſſa,ut Põp.placet,teſte Seruio eſt haſta macedonica. Liuius ab vrbe cond. lib.ix. Arma clypeus,fariſſæq; illis,id eſt,haſtæ.Idem xxxvii.Ibi ſimul perturbari ordines, & impeditus intercurſu ſuorum vſus prędongarum haſtarum ,ſariſſas Macedones vocant,intulere ſigna romanæ legiones . Idem xxxviii . Per oculi foramina prælongæ haſtæ, quas fariſſas vocant,ad ſubmouendos hoſtes emittebantur.Q.Curtius lib.vii. Prior Barbarus emiſit haſtam,quam exiguus modica capitis declinatione vitauit,atque ipſe infeſtam fariſſam equo calcaribus concito in medio barbari gutture ita fixit, vt per ceruicem emineret,prędipitatus ex equo barbarus adhuc tamen repugnabat,ſed ille extractam ex vulnere haſtam rurſus in eos dirigit.

Gibinam appellant Illyrici telum venabulo ſimile. Ennius,Illyrici reſtãt ſicis Gibiníſque fodentes . Securis quaſi ſemicuris vel ſemiquiris, quod eſt haſta: vel à grędco κοίραν& qui regẽ ſignificat: cõſtat autem Romanos Grędcos fuiſſe, & erant ſecures ſigna quæ ante conſulem ferebantur . Tragula eſt haſta ferro præacuta,& vt Varro inquit,à traiiciendo dicta,vt Pomp.teli genus,dictũ quòd ſcuto infixum trahatur.Cæſar lib.v.commentariorũ,Monet vt tragulam cum epiſtola ad amentum deligata intra munitionẽ caſtrorum abiiciat.Liuius xxv. Ibi ſignis collatis pugnatum per quatuor fermè horas,egregieq; vincẽtibus Romanis ſignum receptui eſt datum,quòd Cn.Scipionis ferrum tragula confixum erat. Claua teli genus quo Hercules vtebatur, ſic dicta q; ſit clauis ferreis inuicem religata: claua enim,& leonis pellis antiquo Herculi conueniunt, quo tempore arma nondũ erãt adinuẽta,ſed fuſtibus homines iniurias propulſabant,ac ferarum pellibus tegebant pro armis corpora . Hanc quidam Catheiam, quam & Horatius Caiam vocat,dictam etiam putant,éſtq; Catheia gallici teli genus, quod ſi ab artifice mittatur,rurſus venit ad eum qui mittit.Huius Virgilius meminit, Theutonico ritũ ſolitos torquere catheias : Theutonico ritu dixit , quia Theutonici Galliæ comatæ ſunt populi. Bipennis dicitur,q; ex vtraque parte acutam habet aciem,quaſi duas pennas: penum autem antiqui acutũ dicebant: vnde & auium pẽnę quaſi acutæ.Quintili.lib.i.inſtitu.Quare diſcat puer quid in literis proprium,quid commune,quæ cum quibus cognatio: nec miretur cur ex ſcamno fiat ſcabellum, aut à pinna, quod eſt acutum, ſecuris vtrinq; habens aciẽ bipennis,ne illorũ ſequatur errorem,qui quia à pennis duabus hoc eſſe nomẽ exiſtimant,pinnas auiũ dici volũt. Dolabra quaſi duo labra, q; duo habeat labra

at labra,ad dolandum ,& delendum, demoliendumq̃. Liuius belli punici lib.ii. Tunc Hannibal occasionem ratus, quingentos ferme Aphros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit.Idem in eodem,libro quarto, Dolabræ calonibus diuiduntur ad vallum proruendum,fossasq̃ implendas,intra munimenta instruit acies.Idem in eodem,libro octauo,Eademq̃ porta signa infesta in vrbem illata,& aliis partibus securibus dolabrísque cædebantur portæ. Iuuenalis libro tertio, Nodosam post hæc frangebat vertice vitem
Si lentus nigra muniret castra dolabra.

Falarica genus teli missilis,quo vtuntur ex falis,id est, ex locis extructis dimicantes,vt Seruio placet,ingens telum torno factum,ferrum habens cubitale,& rotunditatem de plumbo in modũ sphærę in ipsa summitate,dicitur & ignem habere affixũ, hoc autem telo pugnatur de turribus quas falas dici manifestũ est: A falis dicta falarica,sicut à muro muralis: sane falaricam Lucanus dixit neruis mitti tortilibus ex quadam machina,

Hunc aut tortilibus vibrata falarica neruis
Obruit,aut vasti muralia pondera saxi.

Virgilius verò in nono,sic ait Turnum manu iaculari potuisse,quod à poëta vel poëtice, vel in laudem & virtutem Turni forte dictum est,qui talem hastam manu iaculatus est.Liuius ab vrde cõdita.xxii. libro,Falarica erat Saguntinis missile telum hastili ab ligneo, & cætera tereti præterquam ad extremum vnde ferrum extabat , id sicut in pilo quadratũ stuppa circũligabãt liniebantq̃ pice.Ferrum autem tres in longũ habet pedes, vt cũ armis transfigere corpus posset: sed id maxime,si hęsisset in scuto,nec penetrasset in corpus,pauorem faciebat,quod quum medium accensum mitteretur conceptúmque ipso motu multo maiorem ignem ferret,arma admitti cogebat,nudumq̃ militem ad insequentes ictus prębebat.



Malleoli tela ſunt in muliebris coli formam. Ammianus Marcellinus. xxiiii. rerum geſtarum, Malleoli autem teli genus figuratur hac ſpecie, Sagitta eſt cānea inter ſpiculum & arundinem multifido ferro coagmētata, quæ in muliebris coli formam quo nentur lintea ſtamina concauatur, ventre ſubtiliter & plurifariam patens, atque in alueo ipſo ignem cum aliquo ſuſcipit alimento, & ſic emiſſa lentius arcu inualido: arcus ictu enim rapidiore extinguitur æſtus incendiorum, nec remedio vllo quàm ſuperiecto puluere vel amurca conſopitur. Liuius xxxviii. ab vrbe condita, Alii cum ardentibus facibus, alii ſtuppam picémque & malleolos ferentes tota collucente flammis acie aduenere. In huiuſmodi autem malleoli concauo glutinum igníſque fomentum eſt inextinguibile ex colophonio, ſulphure, ſale quē nitrum appellant, omnibus in lauri oleo liquefactis: ſecundum alios, oleo, petreleo, adipe anatis, medulla cannæ ferulæ, ſulphure: vt aliis viſum eſt, ex oleę oliuo, ſepo, colophonia, camphora, reſina, ſtuppa. Hanc veteres compoſitionem bellatores Incendiarium appellant.



Missilia hastilia,tela à mittendo dicta. Liuius.xxxii. Magna tormentorum etiam vis,vt missilibus procul arcerent hostem. Catapulta quam Plinius vi. natur. histo. Cretes inuenisse perhibet, iaculum est celer, vel sagitta,vt Nonius inquit.Cæsar,siue alius pro eo commentariorum x.Centonésque insuper iniecerunt,ne vt tela tormentis missa tabulationem perstringerent,aut saxa & catapulta lateritium discuterent.Liuius belli punici lib.i.Collatísque eò catapultis, sagittis,balistísque vt castellum in ipsa vrbe velut arcem imminentem haberẽt, muro circundant. Plautus in Gurgulione, Atque ita te neruo torquebo vt catapultæ solent.Idem in Captiuis,Nam meus est balista pugnus,cubitus catapulta, humerus aries. Catapultam etiam organum, bellicúmq; instrumẽtum quo tricubitalia tela iaciũtur, vsu doctissimorum comprobatur auctorum. Pom. Trifax,teulm longitudinis trium cubitorum,quod catapulta mittitur. Victruuius libro decimo , Ex ratione grauitatis proportiones sumuntur ,quemadmodum catapultis de longitudinibus sagittarum. Liuius belli punici libro primo, Ipse Hannibal qua turris mobilis omnia munimenta vrbis superans altitudine agebatur,hortator aderat,quæ quum admota,catapultis balistísque per omnia tabulata dispositis,muros defensoribus nudasset.

Pars catapultæ quæ fune trahitur debet esse ex chalybe.



Romphæa, teſte A. Gellio noct. atti. lib. ix. genus teli eſt thracæ nationis: apud alios frameam ſpatham & gladium licet ſonet. Hoc vocabulum in Q. Ennii annalium xiii. poſitum inuenies. Liuius ab vrbe condita xxxi. Thracas quoque romphæę ingentis & ipſæ longitudinis inter obiectos vndique Romanos impediebant. Arcus quartę formæ ad iaciendas ſagittas bellica inſtrumenta, & veluti ances quæ partes vrbis excelſæ atque munitæ ſunt: ab arcẽdo hoſte dicti, quanquam quantum ad arces ſpectat ſint, cum quibus eſt Seruius, qui quòd arcana ſecreta dicuntur, arces dictas putent quaſi res ſecretas: vel ſint alii licet, teſte Solino libro primo memorabilium, qui videri velint, quum Arcades in excelſa parte montis habitaſſent, deriuatum deinceps vt tutiſſima vrbium, arces nominarentur. Arcus inſuper ſagittandíque Apollinem ferunt extitiſſe reperto rẽ, qua de cauſa Cretẽſes prȩcipue arcu delectati ſunt, quẽ Scythicũ nominarũt.



Coriti, propriè ſunt arcuum thecæ : dicuntur tamen eſſe ſagittarum foruli, quos & pharetras nominamus.

Virgilius in xii.

Quid tela, Sagittæ,
Coritiq; leues humeris & lætifer arcus.

Ouidius metamorph.

Exuit hic humeros pharetram lentosq; tetendit
Arcus.

Scorpiones,vt inquit Vegetius libro quarto,dicebantur quos nunc manuba liſtas vocant, ideo ſic nuncupati quòd de paruis ſubtilibúſque ſpiculis inferant mortem. Regum libro primo,Et ſtatuit illic baliſtas, & maculas, & ignis iacula,& tormenta ad lapides iactandos,& ſpicula, & ſcorpiones ad mittendas ſagittas,& fundibula. Cæſar comment. lib. vii. Quidam ante portam oppidi gallus per manus ſeui ac picis traditas glebas in igne, & regionem turris prohibebat, ſcorpione à latere traiectus exanimatus concidit. Sunt & qui ſcorpionum ictibus non ſagittas tantum ſed et lapides mitti annuant. Ammianus Marcellinus rerum geſtarum xxv. Et ſcorpiones quòcumque manus peritę duxiſſent,rotundos lapides euibrabant . Idem vigeſimoquarto , Scorpioni onagri vocabulum indidit ætas nouella, ea re quòd aſini feri cum venatibus agitantur , ita eminus lapides poſt terga calcitrando emittunt,vt perforent pectora ſequentiũ,aut perfractis oſſibus capita ipſa diſplodant. Vegetius Renatus libro quarto,Per ſcorpiones,ſpiculis,ſaxis item grauioribus per onagrum deſtinatis,non ſolum equi eliduntur,ſed etiam hoſtiũ machinamenta franguntur. Nonius Marcellus ſcorpionem teli genus eſſe aſſerit: alii à Nonio minus diſſidentes, ſcorpionem ſagittam ſed veneno oblitam eſſe aiunt,quæ virus quò figitur infundit,vnde & ſcorpio nomẽ accepit. Scorpiones huiuſmodi à Scythis originem traxiſſe arbitror, illi enim viperea ſanie & humano ſanguine tinctis ſagittis,quolibet vulnere,leui licet tactu ſed irremediabili illico mortem afferunt.

De his Lucanus,

Spicula nec ſolo ſpargunt fidentia ferro
Stridula,ſed multo ſaturantur tela veneno.
Vulnera parua nocent fatumq; in ſanguine ſummo eſt.

Ad poſtremùm ſiue Scytha ſiue Cretẽſis ſiue alio cælo genitus fuerit,qui ſcorpionem ad mittendas ſagittas primus inuenit,aut proditor ſane fuit,aut nocendi auidus,aut metuens hoſtis: cogitauit enim,quòd idem Lucanus inquit,

Longe tendere neruos,
Et quò ferre velit committere vulnera ventis.



Sagitta à ſagaci ictu, id eſt, veloci vocata,vt quibuſdam placet : ſiquidem vt ocius mors perueniret ad hominem,alitem illam fecimus,pennasq; ferro adiecimus,quod ſcelere humani ingenii,ac fraude inuentum arbitror. Has primũ Cretenſes,vt inquit Solinus, alii vt refert Plinius nat. hiſt. Saterem Iouis filium , vel Perſem Perſei filium inueniſſe aſſerunt,frequẽnſque circa hęc orientalium vſus. Hi calamis ſpicula addunt irreuocabili hamo varieq; mortem accelerat penna calamis addita,fitq; ex ipſis telum aliud priore facto in vulneribus . Hanc barbaram Sagittam appellant,huiuſmodi telis ſolem ipſum obumbrant,propter hoc maximè ſerenos dies optant,oderúntque ventos & imbres qui inter illos pacem eſſe cogũt. Hic vſus in Creta bellatores ſuos prȩcipitauit. In hoc,vt in cæteris vicis Italiæ,in agro maximè Bononienſi,ac penes flumen Rhenum ſagittis nullus aptior calamus eſt , quibus pondus voluere eſſe contra flatus quoque peruicax .

Spiculum,ſagittę præacutę ferrum. Curtius lib. ſeptimo,Quos dum obſidet rex, inter promptiſſimos dimicans ſagitta ictus eſt,quæ in medio crure fixa reliquerat ſpiculum. Idem in nono,Medici lignum ſagittæ,ſcilicet corpori infixum ita ne ſpiculum moueretur abſcindunt, corpore deinde nudato animaduertunt hamos eſſe telo, nec aliter id ſine pernicie corporis extrahi poſſe , quàm vt ſecundo vulnus augerent.

Murices,tribulos aiunt ferreos, qui tribus radiis abiecti quoquomodo ſituentur ſtant,& erecto quarto infeſti ſunt. Q. Curtius lib. quarto,Quum homo quidam tranſfuga quanto maximo curſu ad regem peruenit,nuntians murices ferreos in terram diffudiſſe Darium,qua milites emiſſurũ eſſe credebat, notatumq; certo ſigno locum,vt fraus euitari à ſuis poſſet.



Scalprum,præacutum ad feriendum ferrum. Liuius belli Punici lib.vii. Elephanti plures ab ipsis rectoribus quàm ab hoste interfecti,fabrile scalprum cum malleo habebant: id,vbi sæuire beluæ ac ruere in suos cœperant, magister inter aures positum ipso in articulo quo iungitur capiti ceruix quanto maximo poterat ictu adigebat, ea celerrima via mortis in tantæ molis bellua inuenta erat. Scalpellum à scalpro imminutum. Cicero.ii.de diuinat. Aut quorum linguę sic inhęrent vt loqui nō possent, hæ scalpello resectæ liberarētur. Hieremiæ xxxvi, Cumq; legisset Iudi pagellas tres vel quatuor, scidit illud scalpello scribę,et proiecit in ignem. Veruina,genus iaculi longi,teste Fabio Placiade. Plautus in Bacchide,Si tibi machæra est foris,at mihi veruina est intus qua te & illos confodiam. Soliferum, genus teli, hoc est, totū ferreum: ὅλος enim grecè dicitur id quod nos totum vocamus. Liuius belli macedo. libro quarto,Et cohortes à tergo stantes pauidi respiciebant, vt emissis soliferis falaricísque gladios strinxerunt. Funda,quòd ea fundantur lapides,id est,mittātur. Hoc telum habena volutatur in iactu,glánsq; librata quū sederit,velut neruo missa excutitur. Liuius xxviii. Fundis vt nunc plurimū,ita tunc solo eo telo vtebātur, nec quisquam alterius gentis vnius tantum ea arte quantum inter omnes alios Baleares excellunt,apud quos, vt inquit Flauius,matres à teneris vnguiculis ita natos erudisse produntur ut nullum cibi genus cōtingere sinerent nisi quem ex funda immisso lapide percussissent. Proinde sunt qui Balearium insularū habitatores huius teli vsum primos inuenisse asserant,quàmquam Plinius natur. histo.hoc idem apud Syrophœnicas dicat inuentum.

Glans vel glandis, telum est siue massa plumbea instar glandium quæ funda balistáve proiicitur. Claudianus lib.vii.

Nunc spicula cornu
Tendere,nunc glandes baleari spargere funda.

Salustius in Iugur. Pars eminus glāde,aut lapidibus pugnare. Virgilius in vi.

Pars maxima glandes Liuentis spargit plumbi.

Ouidius in xiiii. metamorph.

Vt lata plumbea funda,
Miſſa ſolet medio glans intabeſcere cælo.

Similiter Lucretius protulit & Liuius.xxvii.ab vrbe condita.Nam quod apud Virgilium in iiii.Georgicorum inuenitur glandis,in dubium venit vtrum nominatiuus ſit an figuratè genitiuus,

Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.

Poteſt enim tantum glandis intelligi, vt hoc regni, & tantum lucri. Chelidonium auctores vocant ipſi falcaſtrum , altera parte tantum acie tenuiſſima ſed latiore,vlnæ longitudine, cauda bifurca ceu hyrundinis,vnde & nomẽ habet: vaginis non conditur, ſed vnco dependet à cingulo. Danicæ,ſecures productiores quibus acies ſubtilior, quibuſque non modo Dani ſed etiam alię gentes iam vti cœperunt: in vniuerſum autem quæ pro re militari circa hæc cõſideranda ſunt,ferramentorum genera ſi oleo reſtinguãtur delicatior fit acies, aqua duratur in fragilitatem. Hyrcorum ſanguinis tãta vis eſt vt ferramentorum ſubtilitas nec alio acrius induretur. Ferrum autem omne à rubigine tuetur oleum, ceruſſa aut liquida pix. Falx lunatum ferrum haſtæ affixum, militare quondam,nunc agreſte telum. Valerius libro quinto,Vnumquemq; ex his falce percuſſum in cædem ſuam compulit. Liuius ix. ab vrbe condita,Iere paſtorali habitu agreſtibus telis,falcibus,geſiſque binis armati. Martialis,

Fraus me certa ducis quondam curuauit in vſus,
Agricolæ nunc ſum,militis antè fui.

Fuit & quondam falx nedum terreſtris militiæ, ſed & nauticæ inſtrũmentum. Erant enim Romanis inaudita magnitudine falces, quas cum artificioſo quodam impulſu rudentibus hoſtium iecciſſent nauigio remis in aduerſum acto, & rudentes velut cultri acie tonſorii ſcindebantur, & antennæ ſimul ac ſuperba ruebant armamẽta,erántq; ſuis impedimento nauibus quibus fuerant præſidio adiumentóque . A falce falcati etiam currus dicti : falcibus nanque præmuniebantur,atque in hunc maximè modum falcibus armati prodibãt in bella. Cuſpides circa temonem ab iugo decem cubita extenſas velut cornua habebant, quibus quicquid obuium daretur trãſſigerent,in extremis iugis binæ circà eminebant falces,altera æquata iugo, altera inferior in terram deuexa: illa vt quicquid à latere obiiceretur abſcinderet,hæc vt prolapſos ſubeuntéſque contingeret. Item in axibus rotarum vtrinque binæ eodem modo figebantur falces, ex omni parte acie prominente , vt in ſubiecta huiuſcemodi currus deſcriptione continetur .

His quadrigis vt ſemper duces hoſtium acies perturbaturos ſe credebant, in ſuas terrorem perſæpe verterunt, vt Antiocho maximè contigit. Nam Eumenes vbi eas vidit, haud ignarus pugnæ, & quàm anceps eſſet auxilii genus, ſi quis pauorem magis iniiceret quàm iuſta adoriretur pugna, ſagittarios fundioréſque & iaculatores equitum non confertos, ſed quàm maximè poſſet diſperſos excutere iubet, & omnibus ſimul partibus tela ingerere. Hæc velut procella, partim clamoribus diſſonis ita cõſternauit equos, vt repentè velut effrenati paſſim incerto curſu vagarentur. Romani murices ferreos in terrã fundebant qua hoſtes emiſſuros quadrigas arbitrabantur: in quos cum incidiſſent paulò pòſt faucii, pigri, inutiléſque reddebantur. Eſt & alia mirifica bellici currus non falcati forma, flabellis ventóque in hunc modum adacti.



Vallos & ſudes idem eſſe conſtat, auctore Seruio, quanquã bis idem dictum ſit à Virgilio ii. Geor. his verbis,

Quadrifidáſque ſudes & acuto robore vallos.

Valli nanque foſſarum fuſtes ſunt, quibus vallum præmunitur. Nam munitio ipſa propriè vallũ dicitur neutraliter, licet maſculino genere Albius Tibullus poſuerit, Non arces, non vallus erat, ſummumq; patebat. Valli etiam denominatio, teſte Varrone, inde eſt, quòd ea varicare nemo poſſet, vel quòd ſingula ibi extrema bacilla furcillatam habent figuram literæ v. Terra autem illa quæ vallo facto propius ponitur, agger propriè dicitur: abuſiue tamen, & muros, & munimenta omnia, & omnẽ è terra ligniſq; coaceruationẽ ad ſubruẽdas vrbes quòd agantur & ducantur, aggerem dicimus. Liuius lib. iii. bel. macedo. Thaumatos eo tempore ſumma vi expugnabat, aggeribus vineiſque, & iam aries muris admotus erat. Idem in eodẽ, Omnes inde ſpes pugnãtibus, in vi, & armis, & operibus erant: vndiq; aggeres haud facili aditu ad mœnia admouebãtur. Idem in eodem, lib. vi. Hęc maior difficultas Macedonibus erat, q; Romani aggere, & vineis, & omnibus ſupra terram operibus aut præliis eſſent, ſubter Macedones cuniculis oppugnabant. Idem in eodem, Sed armati frequentes quidam ignes, etiam quos aggeribus iniicerent, ferebant. Idem in eodem, lib. vii. Vtrinque vineas & aggerem muro iunxit, & cum teſtudinibus arietes admouit.



Cataracta phęneſtra vel porta ferrea, crati perſimilis, quæ annulis & clauis ferreis à funibus pendet,vt ſi hoſtes intrauerint, demiſſa eadem extinguãtur incluſi. Liuius xxvii. Hannibal quarta vigilia fermè ad vrbẽ acceſſit,primi agminis erant perfugæ Romanorum & arma romana habebant: hi vbi ad portam eſt ventum, latinè omnes loquentes excitant vigiles aperiríque portam iubent, conſulem adeſſe: vigiles velut ad vocem eorum excitari, tumultuanti trepidatione moliri, porta cataracta clauſa erat: eam partim vectibus leuant, partim funibus ſubducunt in tantum altitudinis vt ſubire recti poſſent: vix dum ſatis patebat iter,cum perfugę certatim ruunt per portam,& quum quingenti fermè intraſſent,remiſſo fune quæ ſuſpenſa erat cataracta magno ſonitu cecidit.



Instrumentum exurendi portam.



Instrumentum perfringendi cataractam vel fenestram ferream.



Turris in sublime ductilis.

Turris mobilis ac verſilis omnia munimenta aduerſa vrbi ſuperans altitudine ſua,quæ admota,catapultis baliſtiſque per omnia tabulata diſpoſitis, hoſtium muros defenſoribus nudat.

Machina vrbium expugnatrix,Plutarchus in Demetrii vita.



Halæ turres ſunt ligneæ quę apud veteres propter ſpectatores è lignis erigebãtur: ꝙ ſi ex materie larigna fiant atq; verſiles,tutiſſimæ ſunt: flammam enim miſſilem,& ictus qualitate materię ac vertigine ſua non admittunt. Turres autem à tornis dictæ, teſte Varrone,vel vt alii, quòd teretes ſint & rectæ: hæ enim tametſi quãdoq; quadratę ſint,procul tamen videntibus rotundę exiſtimantur.

Ideo

ideo quia omnis cuiuſque anguli ſimulachrum per longum aëris ſpacium eua neſcit atque conſumitur,& rotundum videtur. Rotundæ itaque aut polygoniæ ſunt faciendæ: quadratas enim machinæ celerius diſſipant, in rotunditatibuſq; ad centrum adigendo lædere non poſſunt.



Expugnandæ turris instrumentum.



Arabica machina ad expugnationem vrbium, magna & ingens, viris, pontibus, scalis, variisque instrumentis bellicis referta.

Fistula per quam à fossa vel à castello aquam exhauriendo educas.



Aliud educendi aquam instrumentum.



Alia duo ad exhauriendum aquam inſtrumenta.



Alia duo inſtrumenta ad hauriendum aquam.



Pons pro defenſione.



Plutei,crates è vimine ſunt,quę ſolebant opponi militibus opus facientibus, & appellabãtur militares, nunc & tabulæ quibus quid præſepitur eodem nomine dicũtur: hi è vimine ſunt,& ciliciis,vel coriis crudis protegũtur,triníſque rotulis conſiſtunt, quarum vna in medio,duæ in capitibus apponuntur,vt in quacunq; vis parte admoueri more carpẽti poſſint.Hos pluteos obſidentes muris applicant,eorum munitione protecti,ſagittis ſiue fundis,vel miſſilibus defenſi res omnes de propugnaculis ciuitatis exturbant,vt ſcàlis aſcendendi facilior detur occaſio.



Inſtrumentum anguſti loci, eundi hoſtibus obuiam velint nolint, cui ponè ſtet funditorum ſagittariorumq; tela miſſilia ſpargentium manus.



Telonum dicunt à longitudine quotiens vna trabs in terram prælta defigitur,quum in ſummo vertice alia tranſuerſa trabs longior, dimenſa medietate connectitur,eo libramento vt ſi vnum caput dimerſerit, aliud erigatur. In vno ergo capite cratibus ſiue tabulatis contexitur machina, in quã pauci collocantur armati: tunc per funes attracto depreſſóque alio capite, eleuati imponuntur in murum,vbi tuto ſtantes,& hoſtibus nocere,& proſpicere poſſint,& renunciare quas res aduerſarii conentur efficere. Telonis autem forma hæc eſt.

Sambuca, dicitur ad ſimilitudinem citharæ vel organi machina, qua vrbs oppugnatur. Nam quemadmodum in cithara vel organo chordæ ſunt, ita in trabe quæ iuxta trabem ponitur funes ſunt, interdúmque de ſuperiori parte turriculæ pontem laxant trocleis vt deſcendant ad murum, ſtatímque de turri exeunt bellatores, & per eam tranſeuntes, mœnia vrbis inuadunt.



Exoſtra pons dicitur qui de turri lignea in murum repentè producitur. Factus eſt duabus trabibus ſeptúſque vimine, quem ſubitò prolatum inter turrem murúmque conſtituunt, & per eam egredientes machinam bellatores in ciuitatem tranſeunt,& muros occupant.



Rota dentata pontem producens, cum gradibus quibuſdam intus ad motum & hominum aſcenſum per eam.





Terebra ferrea ſiſtendi pontis verſioq; in ipſius caſu quo minus erigatur in ſublime hoſtibusq; prohibeatur vrbis ingreſſus.

Erigendi pontis instrumentum.



Producendi pontis instrumentum.



Muſculus cuniculo fit ſimilis,quo murus prę foditur,ex quo & appellatur,quaſi muruſculus: vel muſculi,vt inquit Vegetius Renatus,à marinis belluis nomen ſibi vendicant. Nam quemadmodum illæ quum minores ſint,tamen balenis auxilium adminiculúmq; iugiter exhibent, ita iſti quum ſint machinæ breuiores vel deputatæ,turribus magnis aduentu illarum parant viam itineráque præmuniunt. Muſculum autem appellauit antiquitas machinas minores,quibus protecti bellatores ſudibus præmunitas oppidorum foſſas demolirentur,quibus turris ambulatoriá ſine impedimento iungeretur ad murum.



Scala licet à quibuſdã ſingulariter vſupetur,& ſacris in literis,in libro Geneſ. Vidit Iacob ſcalam,ſcriptum ſit,ſcalę tamen ſecundũ Varronem,Quintilianum,& Focam dicuntur propriè,aut latinè magis,ſiue vnæ ſint,ſiue plures,quia numeri tantum pluralis eſt nomen,vt literę quum epiſtolam ſignificant.Saluſtius in Iugurthino,Deinde vbi vnę atque alterę ſcalæ comminutę ſunt,qui ſuperſtiterant afflicti ſunt: non dixit vna atq; altera. Harum autem formam variam licet ac multiformem, facile quiſque intelliget, ſi quæ ſunt infrà picturæ lineamentis oculis ſubiecta proſpiciet.



Aliud genus scalæ. Calceus cum annulo ferreo.



Aliæ ſcalæ diſiunctæ.

Alia genera ſcalarum.









Aliud genus ſcalarum quod rotis & cantho vehitur.



Bombarda,vt vulgo dicitur,metallica machina eſt quæ ignis incendio & ſulphureo puluere,immo tartareo magis,glandes æneas, flammeasq; pilas, & globoſa grauioraq; ſaxa conuoluens,horriſono fragore ac tonitru longe latéque iactat,muros vrbium quatiens,& obſtantia quæq; demoliens,Archimedis,vt putatur,inuẽtum,eo tempore quo Marcellus Syracuſas obſidebat, vt ſuorum ciuium libertatem tueretur,patriæq; excidium vel auerteret,vel differret,& quo noſtri temporis duces ac imperatores vt liberos populos,vel iugo, vel excidio premant vtuntur.Hoc autem nomen Bombarda apud idoneos latinæ linguæ ſcriptores nuſquam inuenio,quamq; huiuſmodi nominis impoſitio à ſonitu tracta mihi nequaquam videatur abſurda.Quid enim aliud eſt Bombarda quàm bõbus ſiue bombizatio quædam ardens? Sed nolim eiuſdem dictionis originẽ aliquam ab aliis doctiſſimis intactam ſcriptoribus pertinaci nimis ſenſu atque iudicio aſſerere,ne cui forte videar argutior: id autem audacter dixerim,baliſtæ, vel tormenti, vel machinæ appellatione contineri. Baliſta enim à græco verbo βάλλω deducitur quod latinè dicitur iacio . Quicquid igitur, ſiue ſaxa iacit,ſiue ſagittas,recte baliſta poteſt appellari.Nonius Marcellus, Baliſtæ ſunt,maiora ſaxa & grauiora quibus iaciuntur.Victruuius lib.x.arch.Sed tamen nulla baliſta perficitur , niſi ad præpoſitam magnitudinem ponderis ſaxi quod id organum mittere debet . Oroſius lib.iii.hiſtoriarum, Regulus bellum carthaginenſe fortitus,iter cum exercitu faciens,haud procul à flumine Bragada caſtra conſtituit: vbi quum plurimos milites aquandi neceſſitate ad flumen deſcendentes ſerpens miræ magnitudinis deuoraret, Regulus ad expugnandam beſtiã cum exercitu profectus eſt, ſed nihil in tergo eius proficientibus iaculis atque omni telorum ictu irrito,quæ per horrendam ſquamarum cratem quaſi per obliquã ſcutorum teſtudinem labebantur , mirúmque in modum ne corpus læderent ipſo corpore pellebantur,quũ inſuper magnam multitudinem morſu comminui,impetu proteri,halitu etiam peſtifero exanimari videret,baliſtas deferri imperauit per quas murale ſaxum ſpinæ eius incuſſum compagem totius corporis ſoluit. Valerius Maximus de eodem ſerpente lib.i. Quum telorum iactu perforari nequiret,ad vltimum baliſtarum tormẽtis vndiq; petitam,ſilicum crebris & ponderoſis verberibus procubuiſſe. Ouidius de triſtibus libro primo.

Nec leuius tabulæ laterum feriuntur ab vndis,
Quàm graue baliſtæ mœnia pulſat onus.

Idem in nono metamorph.

Nec leuius pulſata ſonat quàm ferreus olim,

Quum

Quum laceras aries baliſtáque concutit arces.

Seneca quęſt.natur.libro ſecundo, Nam baliſtæ quoque & ſcorpiones tela cum ſono expellunt, ſicque non imitabile fulmen, vt Maro inquit, humana rabies quodam magno auctore teſte imitata eſt. Quòd autẽ ſagittas iaciat baliſta, auctor eſt Ammianus Marcellinus, rerum geſtarum.xxiiii. Aſſiſtit, inquit, artifex contemplabilis, & ſubtiliter apponit in temonis cauamine ſagittam ligneã ſpiculo maiore conglutinatam, & cum ad extremitatem neruorum acumen venerit ſummum, percita interno pulſu à baliſta ex oculis auolat, interdum nimio ardore ſcintillans, & euenit ſæpius vt antequam telum cernatur, dolor lætale vulnus agnoſcat. Idem xxv. Tum aptatæ ligneis ſagittis baliſtæ, flexu, ſtridore torquebantur, creberrima ſpicula funditantes. Hieronymus libro primo cõtra Iouinianum, Baliſta quanto plus retrahitur tanto fortius emittitur.

Lucanus in ſecundo,

Tortáque per tenebras validis baliſta lacertis
Multifidas iaculata faces.

Hanc & græci ς in fine addẽtes βάλιςραρ dicunt, quam et Syrophœnicas inueniſſe vi. natur. hiſto. Plinius auctor eſt. Ancon autem antiquiſſimus hiſtoriarum auctor ſcribit pulſum à Ioue Saturnum fugiſſe in Græciam, vbi mõſtruoſorum hominum exercitum congregauit, contra quem Iupiter alpeſtrem partem occupans, baliſtarum vſum docuit. Proinde victoria potitus, fingitur à poëtis Iouem de cælo pepuliſſe, & Cretæ regno priuaſſe.




BALISTA.

Tormenta,inſtrumenta bellica ad diruenda oppida euertendaſq; vrbes,ſic dicta quòd tela torqueant,hoc eſt,gyro celeri ſaxa rotent,iaciant,& mittant. Liuius xxiiii. ab vrbe condita, Aduerſus hunc naualem apparatum Archimedes variæ magnitudinis tormenta in muris diſpoſuit,in easq; quæ procul erant naues ſaxa ingenti pondere emittebant. Ioſephus belli iudaici lib.vi. Habebant etiam baliſtas CCC. & L.torm̃eta ſaxorũ, quibus difficiliorem aggerũ extructionem Romanis efficiebãt. Cicero Antonianarum viii. Quid? ille faceret inducias? ante conſules oculóſq; legatorum,torm̃entis Mutinam verberauit. Virg.in vndec.

Continuò aduerſis Tyrrhenus & acer aconteus
Connixi incurrunt haſtis,primíque ruinam
Dant ſonitu ingenti,perfractaq; quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt,percuſſus aconteus,
Fulminis in morem aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe & vitam diſpergit in auras.

Murali concita nunquam
Tormenta ſic ſaxa fremunt,nec fulmine tanti

Idem in duodecimo,

Deſultant crepitus.

Seneca quęſt. natur. lib. ii. Nubium intra ſe cõpreſſarum anguſtiæ medium ſpiritum emittunt,& hoc ipſo inflammant ac tormenti modo eiiciunt. Tormenta etiam miſſilium inſtrumenta ſunt à torquendo dicta. Virgilius ii. georg.

Itureos taxi torquentur in arcus.

Firmianus libro ſecũdo contra gentes, Vrbe à Gallis occupata obſeſſi in capitolio Romani cum ex mulierum capillis torm̃eta feciſſent, ædem Veneri caluæ conſecrarunt. Seneca de ira libro primo, Quum opus eſt cõcitatur remittitúrque,non aliter quàm quæ tormentis exprimuntur tela,in poteſtate mittẽtis ſunt quantum torqueantur.

Machina,tormentum murale vrbes labefaciens,& oppidorum mœnia. Tragicus in Thyeſte, Admotis nihil eſt opus vrbes ſternere machinis,lóge ſaxa rotantibus. Valerius Max.libro quinto, Q.verò Metellus celtibericũ in Hiſpania gerens bellum quũ vrbem Centobricam obſideret,& iam admota machina partem muri quę ſola cõuelli poterat diſiecturus videretur,humanitatẽ propinquæ victoriæ prætulit. Nam quum Rethogenis filios qui ad eum tranſierat Centobricenſes machinæ ictibus obieciſſent,ne pueri in conſpectu patris crudeli genere mortis conſumerentur, quanquam ipſe Rethogenes negabat eſſe impedimento, quo minus etiam per exitum ſanguinis ſui expugnationem perageret, ab obſidione diſceſſit.Quo quidem tam clementi facto,etſi non vnius ciuitatis mœnia,omnium tamen celtiberarum vrbium animos cepit, effecitq; vt ad redigendas eas in deditionem populi Romani non multis ſibi obſidionibus opus eſſet.Seneca epiſt.lib.xvii.Multi inueniuntur qui ignem inferant vrbi,qui inexpugnabilia ſæculis,& per aliquot ætates tuta proſternãt,qui æquum arcibus aggerem attollant,& muros in miram multitudinem adductis arietibus ac machinis quaſſent.Idem decimo quarto,Philoſophia circundanda eſt inexpugnabili muro,quem fortuna multis machinis laceſſitum non tranſit.Plutarchus in vita Marcelli,Vt verò machinas inſtruxit Archimedes,varia miſſiliũ genera & immenſæ magnitudinis ſaxa,incredibili fragore & celeritate iacula aduerſum terreſtres emittebat copias.Ioſephus lib.iii.belli iudaici,Miſſaq; machinis ſaxa & murorum minas auferebant,& frangebant angulos turrium. Virorum autem nulli tam fortiter conſtipati erant, vt non vſque ad extremam aciem,ſaxi magnitudine & violentia ſternerentur.Sciet autẽ aliquis huius machinæ vis quantum valeat ex his quæ illa nocte contigere,In muro cuidam ex circunſtantibus Ioſippo caput auulſum eſt,eiúſque ad tertium ſtadium veluti funda excuſſa caluaria.Interdiu quoque pręgnãtis fœminæ icto vtero ad dimidium ſtadium infans abactus eſt,tanta tormento vis fuit. Ergo machinis terribilior erat impetus & miſſilium ſtrepitus. Idem in eodem, libro ſexto, Omnibúſque agminibus contra excurſus erant machinæ comparatæ mirabiles,præcipue verò legioni decimæ:baliſtæ verò vehementiores, & tormenta ſaxorum quibus nõ ſolum irruentes ſed etiam ſuper murum ſtantes euertebantur.Nam & ſingula ſaxa talenti pondus æquabant, & vltra modum ſtadii torquebantur. Ictus autem non ſolum primis quos offendiſſent,ſed aliquando poſterioribus quoque intolerabilis erat.Iudæi primo cauebant à lapidibus quòd erant candidi: nec tantum ſono & fremitu noſcebantur,ſed claritudine proſpiciebantur,denique ſpeculatores in turribus præſidentes prædicebant quando impelleretur machina,ſaxúm

que ferretur,patria lingua clamantes, Filius venit. Itáque prædicebant in quos veniret, atque ita vitabant, & hinc eueniebat vt illis declinantibus lapis irritus intercideret. Proinde contrà Romani excogitabant atramento decolorare lapides: tunc enim missi non similiter incertos ictus habebant,multósque simul vnius impetu corrumpebant. Idem in eodem, Ad Antonianam verò ab ipsis sociis cum multitudine Zelotarum, nō solum q̄ de loco superiore pugnabant, verùm etiam quòd machinis vti didicerant. Paulatim enim vsus aluit peritiam. Aristoteles lib. vii. Politi. Præsertim hoc tempore in quo torme̅ta & machinæ ad obsidiones vrbium cū omni subtilitate sunt adinue̅ta. Laërtius Diogenes libro de vita philosophorū, De metallicis,inquit, machinis scripsit Strato philosophus. Hæc si nota forent,frueremur simplice cultu: Claudianus libro secundo,

Classica non fremerent,non stridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes,non machina muros.

Vtq̄ in his bellicis instrumentis tua tibi,Sigismunde Pandulphe,quandoq̄ memorem inuenta,memorem & cæteris quibus illa vsui fore non ambigo, Ponitur ante oculos machina prius inuisa, à sæculisque inaudita: quippe quæ secundo sine subsellio, aliarum præter omnium morem, dictu mirabile, librata innixáq̄ solo,ac grauitate pòst sua pressa persistit. Egregium sane inuentum auctore te, præclarisque ducibus præsentibus ac posteris quàmmaximè dignum.



Inuentum eſt quoque machinæ huiuſce tuum, Sigiſmunde Pandulphe, qua pilæ æneæ tormentarii pulueris plenæ cũ fungi aridi fomite vrentis emittuntur.



Machinæ clypeus.



Vehicula duo tormentaria.



Instrumentum erigendi machinam in sublime.



Instrumentum erigendi ponè machinam deprimendíque.



Instrumentum ad tormenta deprimenda extollendáque.


MACHINA TORMENTARIA


TVRRIS · TORMENTARI



MACHINA VERSILIS





ALIA MACHINA



Vinea,machina ex lignis leuioribus colligatur, latitudine pedum octo,altitudine ſeptem,lõgitudinis verò xvi.cuius tectum munitione duplici,tabulatis,cratibúſque contexitur: latera verò vimine ſepiuntur, vnde nomen ortum putant, ne ſaxorum telorúmq; impetu penetrentur. Extrinſecus autem ne immiſſo concremetur incendio,crudis vel recentibus coriis,vel centonibus operitur,quumq; plures factę fuerint , iunguntur in ordine ac rotis ducuntur:his deniq; tuti obſidentes,ad ſubruenda murorum penetrant fundamenta.Lucanus in tertio,

Tunc adoperta leui procedit vinea terra,
Sub cuius pluteis,& tecta fronde latentes
Moliri nunc ima parant,& vertice ferreo
Mœnia nunc aries ſuſpenſa fortiter ictu,
Incuſſus denſi compagem ſoluere muri
Tentat,& impoſitis vnum ſubducere ſaxis.

Liuius ab vrbe condita xxi. Aduerſus eum vineas agere conſtituit,per quas aries mœnibus admoueri poſſet. Idem in eodem,Itaque acrius de integro ortum eſt bellum,pluribúſque partibus, vix accipientibus quibuſdam opera locis , vineæ ceptæ agi,admoueriq; aries. Teſtudo, eſt ſcutorum connexio in modum teſtudinis: nanque in armorum generibus ſumunt milites ab animalibus nomina,vt aries,teſtudo. Hæc ex materia & tabulatis etiã contexitur,quæ ne exuratur incendio, coriis, vel ciliciis vel centonibus veſtitur,& ad ſimilitudinem veræ teſtudinis vocabulum ſumpſit. Nam ſicut vbi collecta in ſuum tegmen eſt,tutam ad omnes ictus videmus eſſe,vbi uerò caput nudat, & modo reducit,modo profert , ictibus patere, ita machinamenti hoc genere incluſi , tuti ſunt interdum, dum reducunt trabem , interdúmque exeunt vt fortius cædant detecti , & perſæpe cæduntur. Teſtudo etiam qua acceſſus ad murum poteſt haberi ſic erit facienda,Baſis compaginatur quadrilatera,cui in quibus verſantur ſupponuntur rotarum axes , laminis ferreis concluſi , ita vt habeant cardines & foramina, quo vectes traiecti verſationes earum expediant,vti antè & pòſt ad dextrum leuúmq; latus,ſiue oblique ad angulos opus fuerit ad id verſatis,progredi poſſit. Poſſunt autem ſi opus fuerit hi maximè ex octo rotis eſſe quibus agatur,verùm ſecundum loci naturam opus erit tẽperare. Tegatur autem teſtudo hæc ex omni materia quę maximè vim habere poſſit,reſiſtendoq; robur,pręter pinum,vel alnum,vel aliud id genus,hæc enim fragilia ſunt, & ignem facile admittentia: vel vti ignis omnino non poſſit huic machinæ obeſſe,argilla inſuper cum capillo ſubacto ad eam quam decet craſſitudinem inducatur,circa tabulata collocentur crates ex tenuibus virgis creberrimę textę maximéq; recentibus,percrudisq; coriis duplicibus conſutis,fultis alga aut paleis in aceto maceratis,circumcirca tegatur machina tota , vt à plagarum ictibus & incendiorum impetu tuta ſit.

Non mihi etiam videtur alienum de testudine quam Hector Byzantius fecit, quibus rationibus sit facta exponere. Frons eius erat quemadmodum anguli trigoniorum, vti à muro tela cum in eos mittantur non planis frontibus excipiant plagas, vt hic,

Est aliud quoque genus, artificio non minori, & terrificum quidem, in hunc modum compaginatum.



Aries machinationis genus est, cuius forma hæc erat, Validæ enim et nodosę arboris caput ferro vestitur, eaq; suspensa multorũ manu ad murum impellitur: deinde retrorsum ducta maiori impetu destinatur, sicq; crebris ictibus concussum muri latus cædit. Victruuius archi. lib. x. Aries sic memoratur esse, Carthaginenses ad Gades pugnando castra posuere, quum autem castellum ante cepissent, id demoliri sunt conati: postquàm non habuerunt ad demolitionem ferramenta, sumpserunt tignum, idq; manibus sustinentes capiteq; eius summum murum continenter pulsantes, summos lapidum ordines deiiciebant, & ita gradatim ex ordine totam communionem dissiparunt.

Poſtea quidam faber Tyrius,nomine Phefarſemenos,hac ratione & inuentione inductus,malo ſtatuto,ex eo alterum tranſuerſum vti trutinam ſuſpendit, & in reducendo & impingẽdo venientibus plagis deiecit Gaditanorũ murum,

Tetras autem Chalcedonius de materia primum baſim ſubiectis rotis fecit, ſupráque compegit, & in his ſuſpendit arietem, coriiſque bubulis texit vt tutiores eſſent qui in ea machinatione ad pulſandum murum eſſent collocati: id autem quod corios habuerat, Teſtudinem arietariam appellare cœpit, his tunc primis gradibus poſitis ad id genus machinationis.



Eſt aries quoque, belli iud. lib. iii. auctore Ioſepho, immenſa materia malo nauis aſſimilis, cuius ſummum graui ferro ſolidatum, eſt in arietis effigiem fabricatum, vnde etiam nomen accepit. Dependet autem funibus medius ex trabe alia, velut ex trutina palis vtrinque fultus bene fundatis: retrorſum autem magna virorum multitudine repulſus iiſdemq; ſimul rurſus impellentibus miſſus, in fronte prominente ferro mœnia percutit. Nec eſt vlla tã valida turris, aut murorum ambitus adeò latus, vt etſi priores ictus fortiter ſuſtinuerit, aſſiduos vincat. Cæſar, ſiue alius pro eo commentariorum ſuorum xiii. Literas in Siciliam nuncióſque mittere, vt ſibi crates materiéſque congeri poſſet ad arietes, cuius inopia in Aphrica eſſet. Ammianus Marcellinus rerũ geſtarum quarto, Ad arietem veniemus, Eligitur abies vel ornus excelſa, cuius ſummitas duro ferro concluditur, & prolixo, arietis efficiens pronam illam ſpeciem, quæ forma huic machinamento vocabulum indidit: & ſic ſuſpenſa vtrinq; tranſuerſis aſſeribus & ferratis quaſi ex lance vinculis trabis alterius continetur, eáque quantum menſuræ ratio patitur, altitudo retropellens, rurſus ad robora quæq; rumpẽda protendit ictibus validiſſimis, inſtar aſſurgentis vel cadentis armati: qua crebritate

veluti

veluti reciproci fulminis impetu,ædificiis sciſſis, in ruinas cõcidunt ſtructurę laxatæ murorum. Huiuſce autem arietariæ trabis formam Romæ in L. Septimii triumphali arcu,marmoreo lapide celatam inuenies. Alii quoque arietem non muros demoliri,ſed ſaxa rotare perhibent. Claudianus,

Tum tua murali libretur machina pulſu,
Saxa rotet præceps aries,protectáque portas
Teſtudo feriat,ruat emerſura iuuentus.

Illud etiam nec denuo prætereundum, eum qui equus tunc appellabatur,nunc arietem in muralibus machinis nominari. Equo vero vehi gradiente qui & ipſe militare inſtrumentum eſt, Bellerophontem tradunt,equorum frenos & ſtrata equóſque inſternere Pelletronium,pugnare deniq; ex equo Theſſalos. Ad huiuſmodi autẽ crebros equorum vel arietum impulſus quominus murus percuſſione læderetur,maiores noſtri demittebant laqueum,& eo conſtricto circumagentes ſuſpenſo capite eius declinabant ictus murorũ nec patiebantur infringi. Simili modo ſaccos paleis,aceto maceratis refertos,qua ſemper arietis impetum ferire viderent demitti iubebant ex muro,vt eo modo ſecundi ictus errarent,aut exceptas plagas laxitas fruſtraretur. Helepolim muralem machinã ad expugnandas vrbes dicimus. Ammianus Marcellinus rerum geſtarũ xxiiii. Pro his arietum meditamentis iam crebritate deſpectis,conditur machina ſcriptoribus hiſtoricis nota,quam ἑλέπολιν Græci cognominamus, cuius opera diutina Demetrius Antigoni regis filius Rhodo aliiſque vrbibus oppugnatis, Poliorcetes eſt appellatus: ædificatur autem hoc modo, Teſtudo compaginatur immanis, aſſeribus roborata longioribus ferreisq; clauis aptata, & contegitur coriis bubulis virgarúmque receti textura atque limo, aſperguntur autem eius ſuprema vt flammeos detractet & miſſiles caſus: conſeruntur autem eius frontalibus trifulcæ,cuſpidis præacutæ,ponderibus ferreis trabes, qualia nobis oſtendunt pictores fulmina,vt quicquid præterierit aculeis exertis abrumpat Hanc ita validam molem rotis & funibus regens numeroſis intrinſecus miles,lãguidiori murorum parti viribus admouet concitis,& niſi deſuper propugnãtium valuerint vires, colliſis muris aditus patefacit ingentes. Ad hæc repugnantium licet vires plurimum poſſint,eorum non minus valent ingenia,quod Rhodiẽſibus memoratur vſui veniſſe. Diogenes enim fuerat Rhodius,& ei de publico quotãnis certa merces pro arte tribuebatur ad honorem: ea tempeſtate quidam pręſtanti ingenio nomine Callias Rhodum quum veniſſet, exempla protulit muri, ſupérq; eo machinam in carchefio verſatili conſtituit, quæ helepolim ad mœnia accedentem corripuit,& tranſtulit intra murum: hoc Rhodii quum vidiſſent,admirati ademerũt Diogeni quod fuerat quotannis ei conſtitutum, eumq; honorem ad Calliam tranſtulerunt. Interea rex Demetrius contra Rhodum bellum comparando Epimachum Athenienſem taliũ inſtrumẽtorum ſummum artificem ſecum adduxit: is autem cõparauit helepolim ſumptibus maximis,induſtria, laboréque ſummo,cuius altitudo fuerat pedum centum xxv. latitudo ſexaginta, ciliciis & coriis ita confirmatam, vt pati poſſet quoſlibet ictus à baliſta miſſos: quum autem Callias rogaretur à Rhodiis vt contra eam helepoliam machinam pararet, & vt illam,vti pollicitus erat,tranſueheret intra murum, negauit poſſe.

Nonnulla

Nonnulla enim ſunt quæ in exemplaribus paruis videntur veriſimilia,quum autem creſcere cœperunt dilabũtur,et quod pollicẽtur definũt: vt etiã poſſumus hic animaduertere,terebratur terebra foramen ſemidigitale vel digitale, ſi eodẽ modo eademq; ratione voluerimus palmare facere, non habet explicationẽ: eodem modo eademq; ratione Rhodii decepti iniuriam cum contumelia Diogeni ita fecerunt. Itaque poſtquàm viderunt hoſtem pertinaciter infeſtum,periculum ſeruitutis,machinationem ad vrbem capiendam comparatam,vaſtitatem ciuitatis expectandam,procubuerunt Diogeni rogantes vt auxiliaretur patriæ: primò quia laceſſitus iniuria,negauit ſe facturũ,poſteaquàm ingenuæ virgines & ephebi omnes cum ſacerdotibus venerunt ad deprecandũ,tunc eſt pollicitus,verum his legibus,vt ſi eam machinam cepiſſet, ſua eſſet: omnibus vno ore annuẽtibus ita velle,qua parte machina inceſſura erat,ea murũ perculit, & iuſſit omnes publicè & priuatim quod quiſq; habuiſſet aquæ,ſtercoris, & luti per eã feneſtram, per canales progredientes effundere ante murum: quum ibi magna vis aquæ,luti,ſtercoris,nocte profuſa fuiſſet, poſtridie helepolis accedens antequam appropinquaret ad murum in humido voragine facta conſedit, nec progredi,nec regredi poſtea potuit. Itaque Demetrius quum vidiſſet ſapientia Diogenis ſe deceptum,deluſum atq; fruſtratũ eſſe, cũ claſſe ſua diſceſſit: tũc Rhodii Diogenis ſolertia liberati bello, publicè gratias egerunt, honoribuſq; omnibus & ornamẽtis exornauerũt. Diogenes autẽ helepolim reduxit in vrbẽ,et in publico collocauit, & inſcripſit, Diogenes è manubiis id populo dedit munus. Ita in repugnatoriis rebus nõ tantũ machinæ,ſed etiã conſilia maximè ſunt cõprobanda.



Sunt præter hæc quæ caſtris vſui eſſe perhibent alia innumerabilia & penè infinita inſtrumentorum & machinationum genera, ſtructuris & demolitionibus quàm maximè neceſſaria: & ne ſingula enumerando ſim longior, vniuerſa quæ in quacunque vrbe opportuna eſſe creduntur duci, præſto eſſe debent, vt in quouis loco caſtrametabitur, munitã omnium rerũ ciuitatem poſſit effingere.

De repugnatoriis autem non eſt literis explicandum: non enim ad ſcripta noſtra hoſtes comparant res oppugnatorias, ſed machinationes eorum ex tempore ac trito pugnandi vſu, & experientia rerum magiſtra, ac ſolerti conſiliorum celeritate, ſine machinis ſæpius euertuntur.

Hæc inſtrumentorum genera variæ etiam ſignorum ſpecies conſequuntur. Signa autem ſunt quæ comitantes milites recognoſcant in prælijs, & ad quæ à conflictu ſe ſępe recipiũt, vexillo è ſublimi, Romanorum more, quòd Mars gaudet ſanguine, cocco velitante. Colores in his & figuræ pro voluntate ducum caſu aliquo, vel rerum occurrentiũ auſpicio fuere. A primordio nanque orbis conuenientes ſimul homines ex ſylueſtri vita, primum carnibus humanis veſcebantur, belligerabantúrque inuicem, eo cui plus virium inerat ſuperante: tum iniuriis potentiorum imbecilles vrgente neceſſitate edocti, acie facta ſignum animalis ſibi ex his quæ poſtea cõſecrata fuerint præpoſuere aliquod, poſtmodum congregati infirmiores aduerſus aliorum iniurias ſe tuebantur: quo factum eſt vt animali quod ſalutis cauſa fuerat, honores tribuerentur. Sic Aegyptios veteres, apud quos nulla militaris erat diſciplina, quum à vicinis ſæpius bello vexarentur, excogitaſſe ferũt aliquod inſigne quod milites ſequerẽtur, figuras igitur animalium quæ nunc colunt tabulis fictas duces eorum in bello tuliſſe, eáque ex recognito ſeruatoq; ſub quo quiſque militaret ordine, victoriam conſecutos. Cæſar in Arato quoq; refert, Aglaoſtem dicere, Iouem quum ex inſula Naxo aduerſus Titanas proficiſceretur, & ſacrificium faceret in littore, aquilam ei in auſpicium aduolaſſe, quam victor bono omine acceptam tutelæ ſubiugauerit: ſacra verò hiſtoria, antea etiam conſediſſe illi aquilam in capite, atq; ei regnũ portendiſſe teſtatur. Aquilam, auctore Diodoro, Thebæi etiam honorant, tum quia regia videtur auis, tum Ioue digna. Alii inter quos eſt Ioſephus, ob hãc cauſam apud Romanos agminibus præeſſe aiunt, quòd & vniuerſarum auium regnum habeat, & ſit validiſſima, itaque illam & principatus inſigne putant, omenq; victoriæ quodcunque bello petierint.



Draco etiam aliquando ſignum fuit ex quo Pythonem ſerpentem Apollo ſagittis interemit. Apollinem enim quanquam diuinatorem & medicum maiores noſtri vellent, ipſum tamen etiam ſolem dixerunt,& ipſum Titanem,quaſi vnum ex Titanis qui cõtra Iouem bella geſſere .Pythium quoque Apollinem vocari aiunt à Pythone immenſæ magnitudinis ſerpente,cuius nõ magis venena quàm magnitudo terrebat: hũc Apollo ſagittarum ictibus ſternens,nominis quoque ſpolia reportauit,vt Pythius vocaretur, vnde ad inſigne victoriæ coronam lauream,vt Pindarus atque Callimachus memorant, Apollo induit,ac Pythia ſacra celebranda conſtituit. Alii non à Pythonis morte,verùm ab Hercule vel Auẽtino,eius ac rheæ nato, hoc inſigne cepiſſe ferunt. Nam quum horrenda perſæpe monſtra Hercules ipſe domuiſſet, & victor ac ouans ſtratarum ſpoliis ferarum clypeis affixis ſeſe populis oſtentaret, inter cæteraq; monſtra Hydram ſuorum capitum excreſcentem cæde proſternens clariſſimis trophęis eius adieciſſet,poſtea ſatus eo Auentinus Turni caſtra aduerſus Aeneam ſecutus,ac pedes ipſe aciem agens,centũmque tulit ſerpẽtibus hydram. Hæc de ſerpẽtis nece ab Apolline interempti,de ſagittis,Pythiiq; cognomine ac Hercule communis habet aſſertio,eſto alia atque alia, & naturalis quidem ratio,vt ſcribit Antipater Stoicus,& Cornificius in etymis,& Plato,& Euſebius in temporibus,haberi poſſit.



Porrò ſub Romulo pauper adhuc romanus exercitus, haſtis fœni manipulos illigabat,& hos pro ſignis gerebat.

Ouidius in faſtis,

Illa quidem fœna,ſed erat reuerentia fœno,
Quantam nunc aquilas cernis habere tuas.
Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos,
Vnde maniplaris nomina miles habet.



Dehinc quatuor principalia ſigna in caſtris haberi cœpere,lupi,minotauri,equi & apri. Verum duo tantum quorum apertam equidem rationem inuenerimus,apri ſcilicet,& minotauri. Apri nanque quòd confecto bello inter quos pax fieret cæſa porca fœdus ſolerent firmare,à quo qui reſiliret, non aliter ac porca lapidibus crudeliter obruta, necaretur.



Minotauri,natura duplici, vt qui vſque ad humeros taurus, cætera homo ſit: proinde quòd non minus varia & occulta eſſe debent conſilia ducum, quàm fuit domicilium quondam eius Labyrinthus.



Lupi autem effigiem inter ſigna militaria extitiſſe,proinde quòd eiuſmodi animalis lacte Martii pueri nutriti ſunt, vel quòd in tutela Martis id animal fuiſſet,eiq; dedicatum,manifeſtis creditur argumẽtis. Etenim lupus rapax animal,vorax,& ſuapta natura ablata cõſumens,maximeq; id tẽpus aptum rapiendo pecori,quod milites in diripiendis vrbibus ſolent,obſeruans, quod eſt antelucanum, poſt nocturnum. Reddunt & aliam cauſam animalis huius Aegyptii,fabuloſiorem tamen.Nam quum Iſis vnà cum filio Oro cum Typhone eſſet bello dimicatura, ferunt Oſiridem lupi forma ab inferis auxilio,& vxori,& filio veniſſe,victores itaque Typhone interfecto, honorem ei animanti impendiſſe,cuius interuentu ſubſidioq; victoria parta eſſet.Tradunt nõnulli agros Aegyptiorũ incurſantes Aethiopes, à lupis facta acie vſque ad ciuitatem Elephantiam repulſos, qua ex re ſit & locus ille dictus Lycopolis, & eis belluis honos à poſteris habitus.



De equorum quoque ſigno nihil præclarum, nihil exploratum ſatis habeo, niſi quòd per huiuſce animãtis fortaſſe ſpeciem cum bellis interſit plurimumq; valeat, Martis commoditatem deſignare voluerint, tum quia præſagit hoc animal pugnam, & gloriæ & victoriæ cupidum eſt, tum quia armatos velit, tum quia ſit velox nonnunquam, vt Martem decet, & impetu ac furore maximo plenum.



Denique Aquila paucis annis ante Marium ſola in acie portari cœpta erat, reliqua quæ & ſingulos ordines anteibãt in caſtris, relinquebantur, abdicauitq; ea in totum Marius ſecundo conſulatu ſuo, & Romanis legionibus proprie Aquilam dicauit. Gradiẽdi deinde ſiſtendiq; ordinatio, diſpoſitio totius exercitus & moderatio ſignorum, cantibus gubernatur, quum ad bellũ progreſſioni & item receptui cãtetur, cantu & excitante, & rurſus militũ animos ſedante. Hęc animorum excitatio ſedatioq; aliquibus ex tubis eſt. Philippus & maiores ſui quum tolli iuberent ſigna eas habuerint in vſu licet, mutauerunt tamen, quòd ſonus impediretur tumultu & armorum ſonitu, quominus ad omnes pertingeret: quumq; caſtra ſibi mouẽda forent, cautum fuit vt pertica eſſet in ſignum. Noctibus igne vel fumo ſignificationẽ dare ſoliti Parthi, cymbalis ſigna dabãt in prælijs. Inter Amazones ſiſtro ad bellum fœminarum vocabatur ſiſtebatq; exercitus; etenim ſiſtrum tubæ genus, quo Iſis

deſcribitur,& in ſacrificiis eius vtebãtur Aegyptii, à ſiſtendo,ſiue ab inuentrice, ſiue à patria mauis lingua denominationẽ aſſumens.Iuuenalis,Iſis & irato feriat mea limina ſiſtro. Virg. Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro. Lucanus in octauo,Non in tẽplo tuam romana recepimus Iſim,Semideóſq; canes,et ſiſtra iubentia luctũ.Itidẽ elegiarũ ſcriptor Propertius,Scilicet incæſti meretrix regina canopi Vna Philippeo ſanguine aduſta nota,Auſa Ioui noſtro latrãtẽ apponere Anubim,Et tyberim Nili cogere ferre minas,Romanãq; tubã crepitãti pellere ſiſtro.Lituus genus buccinę incuruę ſic dictę à ſonitu,vt ille Homeri verſus docet, Inſonuit neruus.Ennius,In bello lituus ſonitus effundit acutos.Sed quoniã facta litui mẽtio eſt,prętermittendũ non eſt qđ poſſe quęri animaduertimus, Vtrum à tuba lituus auguralis appelletur,an tuba à lituo augurum lituus dicatur:vtrũq; enim pariter in forma & pariter in capite incuruum. Sed ſi,vt quidã putãt,tuba à ſonitu lituus appelletur ex illo Homeri verſu,neceſſe eſt vt virga auguralis à tubæ ſimilitudine lituus vocetur.Vtitur autẽ vocabulo iſto Virg.,p tuba in vi.vbi ait,Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta: tanquam lituus nomẽ ſibi vendicet q; litis ſit teſtis. Claſſica,flexibiles,ſecũdũ Seruiũ, tubę,vel cornua ſunt reliquis minora cõuocãdi cauſa facta, & à calãdo auctore Petronio,id eſt, vocãdo dicta.

Tuba ęnea eſt,& hac Tyrrhenos prius fuiſſe vſos tradũt,et apud eos Piſeũ primum,atq; ab illis propterea tyrrhenam appellatam. Quum enim circa maritimas oras Tyrrheni prędones & pedeſtres diſperſi, non facile ad quanq; prædæ occaſionem,voce aut buccina conuocarentur,vento plerunq; præpediẽte,tubam inuenere, vt puta quæ buccina capacior eſſet : hinc poſtea bellicis certaminibus adhibita ad denuncianda bella, vt vbi exaudiri preco per tumultũ non poterat, ſonitus tubę obſtrepentis attingeret.Inter tubam autem & buccinam,veteres diſcernebant: nam quanquam buccina tubæ ſimilis ſit, verùm longior & ad bella ſolicitudinem denuncians.Propertius, Buccina cogebat priſcos ad bella Quirites:& Maro,qua buccina ſignum Dira dedit.Tuba autem bellum indicabat:vt idem,Ennium puto ſecutus,At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro Increpuit,ſequitur clamor cælũq; remugit. At hic quidem clamor varius eſt.Nam interdũ tuba canitur vt bella gerantur , interdũ ad eos qui fugiunt inſequẽdum, nonnunquam receptui.Nam receptus is dicitur,quo ſe exercitus recipit,vnde & ſigna receptui canere dicuntur. Cymbalorũ autem tinnitus & tympanorũ pulſatio & cretici Iouis ſacris,& eo matris eius myſterio quod Ouidius expoſuit in Faſtis cõtineri creditum eſt,quum ait, Ardua iam dudũ reſonat tinnitibus Idæ, Tutus vt infanti vagiat ore puer.Pars clypeis,ſudibus paleas pars tundit inanes. Hoc Curetes habent,hoc Corybantes opus.Res latuit,priſciq; manẽt imitamina facti.Aere deæ comites raucaq; terga mouẽt.Cymbala pro galeis,pro ſcutis tympana pulſant,Tibia dat phrygios,vt dedit antè modos.Tametſi à poëtis fictam eam opinionẽ quidam reſpuant,eámq; velint ingenioſe interpretari,verùm hæc quum apud varios varia ſortiantur officia,in præfectorum conſultationibus terra ac mari opportunis determinanda erunt. Quot verò in religione ſint vel eſſe debeant,quando,qualiter,quo loco munus & officiũ ſuum exercere debeant,prę-fecti ſubiectis deferent,vt rerum ſignificationibus datis,pareant audientes.

ROBERTI VALTVRII

AD ILLVSTREM HEROA SIGISmundum Pandulphum, de re Militari Liber Vndecimus.

De bello Nauali & quando primum apud Romanos quiq; primus nauali triumpho dignus habitus sit. Cap. I.

AMplitudo nobilissima rei militaris Romani imperii, Sigismũde Pandulphe, non solum terrestribus, verum etiam maritimis triumphis aucta est, regni coronæ imperio maris adiecto, eiúsque gloriam maiores nostri testati sunt, vincẽtium merita singulari fauore prosequendo. Extat nanque memoria circa parta de Ancio spolia, anno vrbis cccc xvi quę C. Meuius, qui priscos deuicerat Latinos, Anciatibus victis, & in suggestu fori capta hostiũ classe suffixit, si tamen illa classis, nam lex fuerant rostratæ naues, appellanda: verum hic numerus illis initiis ingentis gloriæ fuit meritum, vt tribunali foro præfixa rostra, ceu populo corona imposita videretur, vnde & pro rostris locus nomẽ accepit: quumq; pòst mirificis rerum gestarum titulis iam clarum nomen vrbis esse cœpisset, & arma tum extra Italiam mota non fuissent, Po. Ro. quanquam ad torquendũ remos nauticæq; artis omnis ignarus, nihil tamen interesse virtutis ostendit, equisne an nauibus, terra an mari dimicandum esset: Appióq; Claudio consule, anno vrbis cond. cccc lxxviii primum Carthaginẽsibus bellum intulit, mirumq; dictu, classe ab arbore excisa, sexagesimo die nauigauit: cõtra verò Hieronem Syracusanum ducẽtas viginti naues effecit diebus quadraginta quinque, vt tradit L. Piso, quibus fretum ingressus est, fabulosis infame monstris æstúque violentum: nec est exterritus quin illam ipsam mentis suæ violentiam æstus pro munere amplecteretur, statimq; ac sine mora Hieronem regem tanta celeritate vicit vt ille ipse sępius victum se quàm hostem videret fateretur. Cn. autem Duellio, & Cn. Cornelio Asina coss. quum Hannibal senior siue Hamilcar Pœnorum dux oram Italiæ maritimam instructa septuaginta nauiũ classe vastaret, etiam mari aduersus eum congredi ausus est, cui etiam ipsa velocitas classis comparatæ, victoriæ auspicium fuit. Intra enim sexagesimam diem quàm cæsa sylua fuerat, cẽtum sexaginta, vel vt alii, centum triginta nauiũ classis in anchoris stetit: quum enim videret Duellius, eos multum posse mari, classem magis validam quàm decoram fabrefecit, & manus ferreas cum irrisione hostium primus instituit, quibus inter pugnandum hostium naues apprehẽderet. Vt autem audiuit Duellius Cornelium Asinam cos. alterum, sexdecim cum nauibus Lyparam expugnasse, iámq; ab hostium duce ad pacis colloquium euocatum,

punicáque fraude ac aſtu captum, atque in vinculis necatum, cum triginta extemplo nauibus aduerſus eum profectus eſt, commiſſoque nauali prælio ſucceſſit. Vna enim & triginta naues punicæ captæ, ſuppreſſæ treſdecim, tria milia hominum cæſa, ſeptem milia capta referũtur: ipſe denique Hannibal ſiue Hamilcar, ut diximus, punicę claſſis dux amiſſa naui qua vehebatur, ſcapha ſubductus Carthaginem fugit; & à ſenatu, vafer plurimum cum eſſet, quia apud eos dux re male geſta puniretur, quæſiuit quid faciendum iuberent, omnibus vt pugnaret referentibus, Feci, inquit, & victus ſum. ſic pœnam crucis effugit. Cn. autem Duellius quem contrahendi nominis gratia Bellium nominarunt, quum ſuperiores eius appellati eſſent ſemper Duellii, quia primum illum maritimũ triumphum ex Pœnis ſolus inuexerat, non contẽtus vnius diei triumpho, per omnem vitam vbi à cœna rediret, crebra ſibi prælucere funalia, præcinere ſibi tibias, quaſi præ tanta huius victoria quotidie triumpharet iuſſit, quod quanquã vltra vrbis morem priuatáque maiorum eſſet exempla, Romani tamen æquo animo tulere: nulla enim victoria illis gratior fuit vnquam, quòd inuicti terra pariter et mari plurimum poſſent: & quia blandiſſima rerum omnium eſt gloria, quæ nec leuibus ſtimulis inſita egregios virorum animos agit & verſat, affectatæ iam gloriæ nomen nobiliſſimi ciues adepti, magno ſtudio fabricandis nauibus incubuere.

Quæ materies fabricandis nauibus utilior. Cap. II.

NAuibus autem fabricandis animum applicantibus prima in deligenda materie conſideratio eſt adhibẽda. Nos igitur primum in qua materie fuerit prudentium conſenſus, dehinc ſternendi tempus abſoluemus. Robori ſpiſſa firmitas eſt, tantáq; duritia vt terebrari aptè niſi madefactũ non queat, & ne ſic quidem auelli clauus adactus: nonnulli ex noſtris in robore conſenſerunt, in eodem ſenſu & Galli conueniunt: durat hoc defoſſum & in aquis, marina tamẽ aqua corrumpitur. Cedri oleo peruncta materie, nec tineam, nec cariem ſentit. Iunipero non abſimilis huic virtus, quæ in Hiſpania vaſta eſt & fabricis aptiſſima. Non improbatur fagus in aqua, nec alnus in paluſtribus: æterna enim eſt, & oneris quantumlibet patiens. Larix propter pondus ab aqua non bene ſuſtinetur, propter alia præcipua eſt: in humore nec flammam ex igne recipit, nec ab carie, aut tinea propter ſuccum vehementi amaritate læditur: verum in maritimis nauibus obnoxiam teredini tradunt, & omnia præter oleaſtrum & oleam. Quædam enim in terra, & quædã in mari vitiis opportuna ſunt infeſtantibus. Tradunt abietem circa germinationes, ea qua decidimus luna decorticatam nõ corrumpi aquis. Rurſus in ipſis arboribus hoc etiam ſatis notum eſſe debet, limites regionéſque cæli ſpectandas eſſe: robuſtiores enim aquiloniæ partes, & in totum deteriores ex humidis opaciſq;, ſpiſſiores ex apricis ac diuturnæ. Eſt & gentium in his quoque differentia. Alpibus, Apennino laudatiſſimæ abietes, in Gallia, in Corſica, Bithynia, Ponto, Macedonia deteriores, Pernaſicæ peſſimæ, quoniam ramoſę, cõtortæ, putreſcentéſque facile. Alexandri Magni comites prodiderunt in Tyle, rubri maris inſula, arbores eſſe ex quibus naues fierent quaſi ducentis annis durantes inuentas, & ſi mergerentur incorruptas. Abies ſociabilis glutino, eadem nauium malis antẽníſque propter

leuitatem

leuitatem præfertur,tum quòd omnium arborum altissima & rectissima est. Huius inopia in Aegypto ac Syria reges cedris vsi feruntur ad classes. Sesoosis Aegypti rex nauem ex cedro fecit ducentorum octoginta cubitorum longitudine, deauratam exterius,intus verò deargentatam,quam dono obtulit deo qui maxime Thebis colitur. Celebratur quoque in Aegypto ac Syria spina duntaxat nigra, quoniã incorrupta etiã in aquis durat,ob id vtilissima nauiũ costis: è theda pix naualibus muniendis vtilis.

Cæsionis lunæq; tempus spectandum. Cap III.

CAesionis quoq; tempus in perseuerãte materie quàm maxime refert. Vulgo satis putant, obseruare ne dedolandà sternantur ante æditos suos fructus. Robur vere cæsum teredinem sentit: bruma neq; iaciatur neque pandatur, aliâs obnoxium erit vt torqueat sese findátque, quod in subere tempestiue quoque cæso euenit. In infinitum refert & lunaris ratio siderúmque. Sunt qui omnia quæ cæduntur, carpuntur, tunduntur innocentius decrescente luna quàm crescente: sunt qui & quinta, & decima luna ad vigesimam vsque secundam arbores præsertim concidi debere existiment, vt immunis seruetur à carie, & æterna materies reddatur: idq; religionis argumento,quòd æternitatem his tantum diebus placuit celebrari. Sunt qui non nisi à vigesima ad trigesimam cædi velint: ligna enim quæ luna adhuc crescente deiecta sunt, quasi emollita per humoris conceptionem, fabricis quibúsque inepta esse dicunt: proinde circunciſas quoq; ad medullã aliqui non inutile relinquunt, vt omnis humor stantibus defluat. Inter omnes verò architectos conuenit,arbores vtilissime sterni in coitu lunæ, quem diem alii interlunium, alii silentis lunæ appellant. Sic certe Tyberius cæsar quum cremato ponte naumachiario larices ad restituendum cædi præfiniuit. Cato hominum summus,in omni vsu de materiis hoc addidit, Materiem omnem non effodies luna decrescente, eximito post meridiem sine vento austro. Tunc erit tempestiua, quum semen suum maturum erit. Caueto ne per rorem doles,idq; mox nisi in trimestri lunáq; dimidiata: nec tangas materiem tum,ne effodias,aut præcidas ab terra. Diebus quattuor proximis quibus luna plena fuerit,optime eximitur. Omnino caueto nigram integrámq; materiẽ ne doles,néve cędas,néve tãgas,nisi siccam, néve gelidã,néve rorulentã. Hæc Catonis præcepta & si ab his ducibus quos pauloãte diximus minus obseruata videant,nimirũ necessario vel tẽpestiuo cæsionis tẽpore cõciderũt.

De clauis quibus iungenda est materies, & cuiusmodi esse debeant. Cap. IIII.

PLurimum deinde id etiam refert, ferreine an ærei more maiorũ, quibus iungenda materies in vnũ est claui esse debeant. Ac de clauis æneis,ni fallor, cõiectura mea à veritate haudquaquã aliena est. Est enim æri vis acrior, quam medici stypticam vocant: vnde squammã eius adiiciunt remediis,quæ contra perniciem putredinis aduocantur. Aura etiam quæ ex ære producitur haurit & exsiccat quod male influit. Vis præterea quædam remediabilis & siccifica æri inest quam dimittit in vulnere: proinde autor est Aristoteles vulnera quæ ærea cuspide fiunt nocumẽti minus afferre q̃ ex ferro faciliusq; curari. Pari ergo ratione infixum ligno propriam seruat substanti-

 am,

am, & lunari & aqueo repugnat humori, quum ferrum huic cedat & tempori, eueſtigio rubigine exeſum atque conſumptum.

Primus nauium uſus, & prima earum forma à priſcis probata, earum nomina, quiq; gubernandi adminicula ſeorſum primus inuenit. Cap. V.

NAui primus in Græciam ex Aegypto Danaus aduenit, antea ratibus nauigabatur, inuẽtis in mari rubro, inter inſulas à rege Erythra. Tunc enim, Nondum cæruleas pinus contempſerat vndas, Effuſum ventis præbueratq; ſinum. Nec vagus ignotis repetens compẽdia terris Preſſerat externa nauita merce ratem. Sint licet qui Myſios & Troianos priores, rates excogitaſſe in Helleſponto putent, cum tranſirent aduerſus Thracas. Rates enim tigna vocantur colligata, quæ per aquam aguntur: quo vocabulo interdum etiam naues longas, teſte Varrone, ſignificari non dubium eſt.

Codicarias autem naues dicimus, quòd ab antiquis plurium tabularum contextus, codex appellabatur, quòdq; qui primus Romanis perſuaſerat nauem conſcendere, Claudius Codex is fuit, à quo nomen deductũ ſicq; conſuetudo pœna tenuit, eo quòd in fluminibus vſui plurimum eſſent. Schedia, genus etiam nauigii inconditum eſt, trabibus tantum inter ſe nexis factum, vnde & mala poëmata, ſchedia appellantur. Trabica nauis, dicta q; ſit trabibus confixa. Sumia nauigii genus, auctore Cecilio. Sclata genus nauigii latum magis quàm altum, ſic appellatum ea conſuetudine qua ſclocum per locum, & ſtlitem per litem dicebant. Muſculus curuũ nauigii genus ac breue. Scaphæ Aphricano teſte nauiculæ ſunt paruæ, quæ maiores naues conſequuntur. Cice. libro primo ad Heren. Magnitudine tempeſtatis omnes perterriti, nauim reliquerunt, in ſcapham conſcenderunt. Actuariæ, nauiculæ celeres. quæ remis & velis aguntur: ſic dictæ q; citò agi poſſint. Celox, nauigiũ breue à celeritudine dictũ, & à Rhodiis inuentum. Liuius punici belli ſecundi, lib. i. Naues ducentas, vigintiquinque remes, celoces viginti deducit. Mioparo, Pyratarum nauicula ex corio & viminibus contexta, quaſi minimus paro. M. Tul. Nam quum quæreretur ex eo quo ſcelere impulſus mare haberet infeſtum vno mioparone, Eodẽ, inquit, quo tu orbem terræ. Faſellus, nauigium cãpanum. Saluſtius, Et forte in nauigando cohors vna grandi faſello vecta, à cæteris deerrauit, marique placido duobus prædonum mioparonibus circumuẽta. Cercirus, nauis maxima eſt & Aſiana, & quam Cyprii inueniſſe feruntur. Trieres, quas dromones Græci dicunt, maiores naues ſunt & lõgę, Iſaie. xxxiii. Neq; trieris magna trãſgredietur eum. Daniel. xi. Et venient ſuper eum trieres, & Romani innumeri vigintiquatuor veniẽt in trieribus de Italia. Longa naue Iaſonem primum nauigaſſe, Philoſtephanus auctor eſt. Eo nanque Colchos petituro ab Argo fabricata eſt, & argos ab eo auctore in ſinu pegaſeo denominata: vnde Lucanus,

Prima fretum ſcindens pegaſeo littore pinus
Terrenum ignotas hominem proiecit in vndas.

Sunt qui longa naue vſum fuiſſe ferant primum Seſooſim Aegypti regem, teſte Diodoro, dictaq;, vt diximus, & quidam ſcriptores aſſerũt, ab Argo eius architecto qui etiã inter nauigandum eius reſarciendæ curam ceperat: vt alii, ab eius

velocitate

velocitate,quàm antiqui Argon appellabant. Piſtris, nauigii genus à forma piſtrium marinarum,quæ longi corporis ſunt ſed anguſti: à ſpina enim putrefacti piſcis in littore,ad conſtruendas lõgas naues per imitationem doctrina ſumpta eſt, & eiuſmodi nauis fabrefacta. A piſcibus etiam ſunt qui ſumptum velint quo ordine in pugnam acies deducendæ ſint: ab eiſdem quoque quo pacto homines equiq; ferro muniantur teganturq;,ſquammis eorum inſpectis. Liburnæ quæ & roſtratæ à Liburnia parte Dalmatiæ dictæ. Auguſto enim dimicante,cum liburnorum auxiliis ſuccubuiſſet Antonius, tanti diſcrimine certaminis ac periculo,quòd liburnorum naues cæteris aptiores eſſent, earum ſimilitudo & nomen à Romanis ducibus vſurpatæ ſunt. Horatius in Hippodo, Ibis liburnis inter alta naui Amice propugnacula. Legia,nauis velox,quòd vehementi motu ſuo legat & colligat aquas ante ſe, dicta. Corbita,nauigii genus tardum & grãde,ſic dictũ quòd malo in eius ſummo pro ſigno corbes ſoleret ſuſpendi: nihilq; differt ab Oneraria naui, omnium tardiſſima onericq; deuehẽdo quàm aptiſſima, & ab Hyppo Tyrio inuenta. Oria,Fabio Placiade Fulgentio teſte,nauicula admodũ parua, & piſcatorum vſui quàm apta. Cymba & Scalmus Phœnicum inuenta,piſcatoriæ etiam naues.Cic.iii.Officiorum, Tum Canius, Queſo,inquit,quid eſt ò Pithi? tantúmne hic piſcium, tantúmne cymbarum? inuitat Canius poſtera die familiares ſuos, venit ipſe mature,ſcalmum nullum videt. Lintres ſiue monoxylos,hoc eſt,paulo latiores ſcafulas,nauiculas fluuiales cauatas ex arbore dicimus. Liuius ſecundi punici belli lib.i.Ita ingens coacta vis nauium & lintrum,quæ temere ad vænalem vſum pyratarum nonasq; alias primum Galli inchoantes cauabant ex ſingulis arboribus.

Virgilius.i. georg. Cauat arbore lintres.

In his Germaniæ prædones, cauatis ſingulis arboribus nauigant,trigintaq; homines ferunt: nec id quidem incredibile, cum & grãdiores multo noſtris eorum ſint arbores,& apud Indos harundines tantæ proceritatis ſunt vt ſingula eorum internodia alueo nauigabili trinos interdum homines deuehant, quina cubita longitudine excedentes. Lembus,nauiculæ genus breuis & velociſſimę,quam Cirenenſes ferũtur inueniſſe. Virgilius .i. georg. Quam qui aduerſo vix flumine lembum. Liuius belli macedonici libro quarto, Néve ipſe nauem vllam præter duos lembos qui non plus quàm ſexdecim remis agerentur haberet. Bucentaurus,nauigii genus ad magnos viros deuehendos ac potentes fabricatũ: à magnitudine enim boum qui in Italia erant conſuetudine factam fuiſſe in libris de re ruſtica inquit Varro,vt præpoſita hac voce bu,magnũ quippiam ſemper nunciaretur: inde dici bulimian,id eſt,magnam famem,& bupædas grãdes pueros, & iram bumaniam, & alia his ſimilia ad magnitudinis rationem pertinentia, quod & nunc obſeruant fœminæ in tranſpadana regione,quæ ad ſignificãdum ingens & admiratione dignum aliquid,prolatione eius vocis vtũtur. Bucentaurus ergo,quia principes & magni viri ea vehi ſolent,quaſi magna centaurus, priſcæ illius vocis ſignificatione appellata eſt. Centaurus nanque nauis ſiue ſignum erat quod naui imponebatur. Expreſſum autem hoc eſt à Virg. elegãtiſſime illo verſu,Centauro inuehitur magna: qui humiliorem illam vocẽ in ſublimi opere aſpernatus,

re aſpernatus,digniore verbo ac carminis maieſtati conuenientiore vti prudentius voluit . Qui enim bucẽtorium & non bucentaurum à bucis cẽtum dici putant oportere,corruptis detractisq; pauculum literis propter lõgum famulatum, qui ad ſeruitia præſtanda potentioribus ſemper neceſſarius eſt, vana & inepta nominis interpretatione falluntur. Triremis, nauis quæ tris remorũ ordines habet. Horatius in epiſt.

Nauſeat vt locuples quem ducit prima triremis.

Has primum inſtituiſſe legimus Argonautas,quòd etiam armatis aptæ,& congruæ probentur eſſe commerciis,vt qui peregrinas optabamus aſpicere,nũc mittamus aliis prouinciis terrorem pariter & decorem. Quadriremes quoque ab ordine remorum dictæ, qui numerus magnificentia vtentium perſæpe auctus inuenitur. Quinqueremem inſtituiſſe fertur Veſicon Salaminius,ſex ordinum Zenazetas Syracuſanus,ab ea ad decemremem Neſigoton. Alexander porrò magnus ad duodecim ordines. Ptolemæus Soter ad quindecim,ad ſedecim Perſeus, & P. Aemilius, Demetrius Antigoni ad triginta, Ptolemæus Philadelphus ad quadraginta,Ptolomæus philopater qui Tryphon cognominatus eſt ad L. Heraclius nauibus caſtellatis Aphrica veniens vſus perhibetur. Præcipuæ admirationis quoque nauis quæ ex Aegypto Caii principis iuſſu obeliſcum in Vatica no circo ſtatutum quatuorq; truncos lapidis eiuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit,qua naue nihil admirabilius viſum in mari,certum eſt: triginta enim & centum modii lentis pro ſaburra ei fuere,longitudo ſpaciũ obtinuit ex parte hoſtienſis portus latere læuo: ibi nanque demerſa eſt,Claudio principe,cum tribus po.ro.molibus, turrium altitudine in ea exædificatis, obiter puteolano puluere aduectis arboribus, eius craſſitudo quatuor hominum vlnas complectentiũ implebat . Caius etiam Cæſar gallica expeditione legatis ſuis aliam formam præbuit, & ad celeritatem onerandi ſubductiorem,pauloq; humiliorem quàm alio mari conſueuerit,ideo quòd propter crebras æſtuum cõmutationes,minus magnos ibi fluctus fieri cognouerat ad onera multitudinemq; iumentorum tranſuehendam. Gallorum inſuper naues ad hunc modum factæ armataeq; erant,Carine planæ quò facilius vada ad deceſſum excipere poſſent, proræ atque puppes erectę ad magnitudinẽ fluctuum tempeſtatumq; . Naues & ipſæ totæ ex robore ad omnem vim & contumeliam perferendam , anchoræ cathenis ferreis reinctæ,pelles pro velis,quibus & vim tempeſtatum ſubſtinerent facilius,& in vadis conſiſterent tutius,& ab æſtu relictæ,nil cautes & ſaxa timerent. Contra has Liburnicæ pręſtant celeritate & impulſu remorum,non tamen propter firmitudinem roſtro nocere poſſunt,neq; propter altitudinẽ telũ ad eas adigi facile poteſt.

Naues iunctæ ac quinqueremes, demptis interioribus remis, vt latus lateri applicetur, cum quibus exteriore ordine remorum velut naues aguntur, turres contabulatæ, machinamentáque alia quatiendis muris portantur, classem in hunc modum efficiunt bellicam.



Est enim classis nauium multitudo, qua Tiphis princeps depugnauit, sint licet qui Phœnices, solers hominum genus, & ad belli pacisq; munia eximium, maria nauibus adire, classe confligere commentos putent. Siderum obseruationem in

nẽ in nauigando Phœnices iidem inuenere,vẽtorum rationem Aeolus, Helenis filius Remum,Cope latitudinem eius,Plateus vela,Icarus malum,& antennã Dędalus,roſtra Piſeus, Tyrrheni anchoram,Eupalamius tandem bidentem, Anacharſis aſſeres ferreo vnco præfixos,quos harpagones vocant,Pericles Athenienſis adminicula gubernandi à tergo,quæ huc atque illuc curſum nauigii torqueant: atque horum,ſi Anneo Senecæ credimus,exemplum à piſcibus tractum eſt, qui cauda regũtur,& leui eorũ in vtrunqꝫ latus momẽto velocitatẽ ſuam flectũt,ſi Plinio,ab auibus,miluóqꝫ præcipue, qui hãc gubernãdi artẽ docuiſſe ac oſtẽdiſſe videtur caudæ flexibus,in cęlo mõſtrante natura quod opus eſſet in ꝓfundo.

Numerus uentorum eorumq́; nomina, rationes, & effectus. Cap. VI.

QVoniam milites militũmque præfectos etiam adiuturam conſtat notitiam non ſolum maris ac terrę, ſed flaminũ quoqꝫ quæ ignaros turbatura eſſent,quum abſque eorum cognitione ac peritia haud cõmode ſit nauibus motus & curſus in mari,nũc,pigeat licet ſcribere,quippe vbi alibi plura, alibi pauciora inueniam variis ac diuerſis nominibus ab excellentiſſimis rerum naturalium vtriuſque linguæ ſcriptoribus explicata, ſeorſum tamen prout facultas dabitur in tanta doctorum hominũ varietate ac diſſonantia,ipſorum numerum nominąque & loca naturas & effectus proſequar atque complectar. Quidam igitur ſapientum putantes ventum eſſe aërem motum & fluentem (Ventus enim fit,auctore Lucretio,vbi eſt agitando aër percitus)vnum & eundem aiunt ventum eſſe omnes ventos,nec differre propter loca vndecunque extiterit,ſimili modo ſemper fluens. Et quoniam ex omnibus quidem duo veluti à cardinibus perflant,ſeptentrio videlicet & auſter,ſunt qui duos tantum ventos annuant, alium quidem borealem,alium auſtralem, cæteros autem horum eſſe exceſſus,ſed zephyrum quidã borealem,Eurũ auſtralem. Eundem numerum Oribaſius orientem propter & occidentem eſſe aſſerit. Quatuor alii ventos obſeruauere per totidem mundi partes: nam eurum ſiue Apeliotem oriens,boream ſeptem ſtellarum regio,occidens zephyrum,auſtrum medius dies mittit,nec Homerus plures quàm quatuor nominat,ſed qui accuratius perquiſiuerunt eos,octo eſſe tradiderunt,maxime quidem Andronicus Cireſtes,qui etiam collocauit Athenis turrim è marmore octogonam, & in ſingulis octogoni lateribus, ſingulorum ventorum imagines exculptas cõtra ſuos cuiuſque flatus deſignauit, ſupraq́ꝫ eam turrim metam marmoreã fecit, & inſuper Tritonem æreum collocauit,dextra manu virgam porrigentem, & ita eſt machinatus vti vento circumageretur, & ſemper contra flatum conſiſteret, ſupraq́ꝫ imaginem flantis venti indicem virgam teneret,itaq́ꝫ ſunt collati,Inter ſolanũ & auſtrum, ab oriente hyberno Eurus, quem noſtri vocauere vulturnũ: & Liuius hoc illũ nomine appellat,in illa pugna Roparũ proſpera,in qua Hannibal & contra ſolem orientẽ exercitum noſtrũ,& contra ventũ cõſtituit,quum vẽti adiutorio ac fulgoris perſtringẽtis oculos hoſtiũ vicit. Varro quoqꝫ hoc nomẽ vſurpat. Inter auſtrũ & fauonium quẽ Zephyrũ dicunt, ab occidẽte hyberno aphricus: inter fauoniũ & ſeptẽtriones caurus,quẽ plures corũ vocant: inter ſeptentriones & ſolanum aquilo. Videtur hoc modo expreſſum vti capiat numerus & nomina &

partes

partes vnde flatus certi ventorum ſpirent. Omnia hæc ante oculos locare poteſt turris deſcriptio ſubſtituta cum Tritone buccinam perflãte, dicẽte Naſone, Poſitoq; tricuſpide telo, Mulcet aquas rector pelagi ſupraq; profundum, Extantem atq; humeros innato murice tectum, Cęruleum Tritona vocat, cõchaq; ſonanti Inſpirare iubet, fluctusq; & flumina ſigno Iam reuocare dato: caua buccina ſumitur illi, Tortilis in latum, quæ turbine creſcit ab imo, Buccina quę medio cõcepit vbi aẽra ponto, Littora voce replet ſub vtroque iacentia phœbo.



Hanc verò descriptionem tanquam veram cæterísque præcellentem, Mediterranei maris nauitæ omnes obseruant, Genuenses potissimum, totidem adiicientes interponentésque. Applicantur prædictis octo primoribus alii quidam secundum Aristotelem, & quatuor quidem etiam secundum Varronem, duodecimq; fiunt. Quatuor enim cæli partes internas diuidunt, & singulis ventis binos superaddunt. Aristoteles hac arte, & Varro, viri diligentes, & omnium qui fuerint scripserintque instructissimi, illos ordinant: nec sine causa. Non enim eodem semper loco sol oritur aut occidit, sed alius est ortus occasusq; æquinoctialis: hic autem æquinoctium est: alius solstitialis, alius hybernalis: sic siue secundum quòd duodecim aër discrimina suscipit, siue iuxta duodecim in nostra plaga habitationis notæ puncta vnde originem trahunt, siue iuxta duodecim zodiaci signa totidē efficit ventos, quos signorum etiam triplicitas concitat. Nam orientales ignea, Meridionales terrea, occidentales aërea, Aquea verò septentrionales. Principales igitur venti hi sunt, & hoc distincti ordine, vt ostendit vtraq; subiecta perigraphiæ descriptio.

Sunt etiam Tranquillo approbante, plura nomina flatûſque ventorum è locis quibuſdam, aut ex conuallibus, aut fluminibus, aut montium procellis, aut aliquo ſinu tracta, ex aliqua cauſa quæ ad faciendũ vocabulũ acciderat, & quæ nõ tranſmittũtur, ſed in proximũ feruntur: itaq; Virg. Cleopatrã è nauali prælio Aegyptũ fugientẽ vẽto Iapyge ferri ait, ex Iapygiæ ſinu, id eſt, ex ipſo Gargano veniente. Equum quoq; apulũ eodem quo ventum, vocabulo Iapygis appellauit. Hunc caurum eſſe manifeſtum eſt: nam ex occiduo venit, & Virg. ſic meminit. Simili modo Calabriam Iapyx vexat & Apuliã infeſtat Athabulus, Athenas chiron, Pamphiliam tagreis, Galliã circius, quem in libro originum Cato Cæcium nominat, cui ædificia quaſſanti tum incolæ gratias agunt, tanquam ſalubritatem cęli ſui debeãt ei. Diuus etiam Auguſtus tẽplum illi quum in Gallia moraretur & vouit & fecit. Infinitũ eſt ſi ſingulos vẽtorum flatus eorúmque nomina perſequi velim, quum nulla propemodũ regio ſit quæ non peculiarem habeat aliquem flatum ex ſe naſcentem, & circa ſe cadentem: quumq; præterea antelucani flatus plures ſint, nullúſque eorũ ſit pertinax, ſed cadat fortiore iam ſole, nec feratur vltra certum tractum terrarúmq; aſpectum: nec ſi vere cœperit, vltra æſtatem perduret, duo ſunt tamen extra hos vbiq; ſpiritus magis quàm venti, aura & altanus: aura in terra, altanus in mari. Sed vt ad id de quo agitur propius reuertar, ſole vigeſimamquintam partem obtinente aquarii, ver aperit mare nauigantibus, cuius in principio fauonii genitales mundi ſpiritus à fauendo dicti hybernum molliunt cælum. Fauonium autem quidam ad viii. Kl. martias chelidonium vocant ab hyrundinis viſu. Nonnulli verò orchiam, vno & ſeptuageſimo die poſt brumam ab aduentu auium flãtem per dies octo. Fauonio cõtrarius eſt quẽ ſubſolanum dicunt. Eſt autem exortus Virgiliarum in totidem partibus tauri, ſex diebus ante idus maias, quod tẽpus auſtrium eſt. Huic vento ſeptentrione contrario ardentiſſimum æſtatis tempore exoritur canículæ ſydus, ſole primam partem leonis ingrediente, qui dies xv. calendas auguſtas eſt, cuius ortum diebus viii. ferme aquilones antecedũt. Poſt biduum autem iiſdem aquilonibus conſtantius perflant dies triginta quos Eteſias vocant, molliréq; eos creditur ſolis vapor geminatos ardore ſyderis. Poſt eos rurſus auſtri crebri vſque ad ſydus arcturi, quod ante æquinoctium autumni vndecim diebus exoritur, nec ſine ferme procelloſa grandine emergit. Cum hoc corus incipit, corus autumnat, huic cõtrarius vulturnus. Poſt id æquinoctium diebus fere quattuor & quadraginta virgiliarum occaſus hyemem inchoat, quod incidit tertio idus nouembris, hoc eſt, aquilonis hybernis, multúmq; æſtiuo illi diſſimilis, cuius ex aduerſo eſt aphricus, ante brumam autem diebus ſeptem: totidem poſtea ſternitur mare halcyonum fœturæ cuius dies nouere qui maria nauigant: eas aues videre rariſſimum eſt, nec niſi virgiliarum occaſu fœtificant bruma, qui dies halcyonides vocantur, placido mari per eos & nauigabili, maxime ſiculo, vt reliquis partibus eſt quidem mitius pelagus ſiculum, vtrunq; tunc tractabile, faciũt ſeptem diebus ante brumam nidos, & totidem ſequentibus pariunt: & his quidem diebus, maris natura benigna, nautis tutiſſima nauigatio eſt. Reliquum verò tempus hyemat, & quanquam pyratæ primum mortis pe-

riculo, & in mortem ruere & hyberna experiri maria cœperint, nunc itidē aua ri quidam & audaces faciant, hi tamen naturales per ſtatuta tempora vētorum curſus: porro naturales effectus ventorum hi ſunt. Omnes enim vicibus ſuis ſpi rant maiori ex parte, vt contrarius in deſinenti incipiat, ſurgátque ex oppoſito cum proxime cadenti. Ouidius, vix nunc obſiſtitur illis, Quum ſua quiſque re gat diuerſo flamina tractu, Quin laniēt mundum, tanta eſt diſcordia fratrum. Eurus ad auroram, Nabatheaq; regna receſſit, Perſidáq; & radiis iuga ſubdita matutinis. Veſper & occiduo quæ littora ſole tepeſcūt, Proxima ſunt zephyro, Scythiam ſeptemq; triones Horrifer inuaſit boreas, contraria tellus Nubibus aſ ſiduis pluuioq; madeſcit ab auſtro. Vel ſi breuius cōplecti mauis, in vnam tem peſtatem, quod fieri nullo modo poteſt, cōgregentur, Vna eurusq; notúſq; ruunt crebérque procellis Affricus, & qui locū in illa rixa non habuit aquilo. Ab ortu flantes calidiores diuturnioresq; ac tutiores ſunt ab occaſu flantibus. Ouidius in faſtis, Luce ſecutura tutos pete nauita portus, Ventus ab occaſu grādine mix tus erit. Vulturnus ſiā ſerena cęli parte flare cœperit, non durat in noctem. Quiſ quis erit ventus ſi feruidus ſentietur, pluribus diebus permanebit. Sol auget fla tus oriens, & comprimit occidens: medio autem diei ac noctis plerunque ſopiun tur, quia nimio frigore aut æſtu ſoluuntur: ex imbribus boreas ſeu aquilo inter ſeptentriones, reliquos compeſcit nubeſq; abigit atque diſſipat. Ouidius de eo, Apta mihi vis eſt quia triſtia nubila pello, Et freta concutio nodoſaq; robora verto, Induroq; niues et terras grādine pulſo. Idem ego quū fratres cælo ſum na ctus apto (Nā mihi cāpus is eſt) tanto molimine luctor Vt medius noſtris cōcur ſibus intonet æther, Exiliantq; cauis eliſi nubibus ignes. Idem ego quū ſubii con uexa foramina terræ, Suppoſuiq; ferox imis mea terga cauernis, Sollicito ma nes totumq; tremoribus orbem. Auſtro maiores fluctus edūtur q̄ aquilone, quo niā hic ſummo maris, ille inferius ex imo ſpirat. Interdiu aquilo vehemētior, no ctu auſter, q̄ à græco νοτίζω notus dicitur, quia nebuloſus atq; humectus. Idem po éta, Madidis notus euolat alis Terribilē picea tectus caligine vultū. Barba gra uis nymbis, canis fluit vnda capillis. Frōte ſedēt nebulę, rorāt pēnæq; ſinúſq;. Fi unt etiā ſubiti quidā flatus, qui varii multiformeſq; ſunt. Vagi quippe atq; ruen tes telorū more, tonitrua & fulgura ędūt, quę vocāt hi quidē Vulcanū, hi autem Veſtā, hi verò horū cōminationē. vnde Papinius, Fulguraq; attritis quoties mi cuere pcellis: ſed fulgura et coruſcationes prius cerni q̄ tonitrua audiri, quòd co ruſcare prius cælū creditur, & mox tonare: ſiue quū ſimul fiant, vt alii pḣibent, tūc ignes illi, ſui pnicitate dicto citius noſtrę ſe viſioni ingerūt. Sonus nō aliter ac icto & verberato aēre ad aures venit ſerioréque ſenſu concipitur. Herodotus extimat fulgurationē eſſe velut apud nos incipientium ignium conatus, et pri mam flammam & certam, modo intereuntem, modo inſurgentem: hoc anti qui fulgetra dicebant, tonitrua nos pluraliter dicimus, antiqui autem tonitrum aut tonum. Hoc à Cecinna facūdo viro dictum inuenio, ſi habuiſſet in eloquen tia nomen, & niſi illum Ciceronis verba preſſiſſent. Etenim illo verbo vteban tur antiqui correpto quo nos producta vna ſyllaba vtimur: dicimus enim vt ſplendére ſic fulgére. Atqui illis ad ſignificandum hanc ſubitam è nubibus

eruptio

eruptionē lucis, mos erat vti media ſyllaba correpta, vt diceretur fúlgere: flāma verò illa quam nubium afflictus excuſſit, ſi robuſtiore fuerit incendio, impetu deuehitur in terras, & fulminis habet nomen atque fortitudinem: vbicunq; autem ceciderit, ſulphuris odorem emittit, vt inquit Virg. Et late circum loca ſulphure fumant, & Lucanus, Aethereoq; noces fumauit ſulphure ferrum. Quòd ſi arctius rotatus effregerit impetus ille ſine igne, hoc eſt, ſine fulmine & aliquo promontorio repercuſſus eſt, aut locorum coëuntium in canalem deuexum cernuumq; collectus, ſæpius in ſe volutatur, aquáſq; quum voluit vorticē facit, iam Typhon vocatur, id eſt, vibratus. Rapida enim vertigine contorquetur humus arida & ab infimo erigitur ad ſummum, nec antennas modò, verùm ipſa nauigia contorta frangit, tenui remedio aceti in aduenientem effuſi. Illiſo enim ipſo repercuſſus, arrepta ſecum in cęlū refert, ſorbętq; in excelſum. Contra hunc inter ſalutaria quoque, coralli materiā eſſe dicūt: nam Metrodorus Gorgiam nominat, idem q; reſiſtat Typhonibus & fulminibus. Quum autem circumactus & eundem ambiens locum repentinis flabris proſilit & vniuerſa perturbat atq; peruoluit, turbo dicitur. Lucretius, Verſabundus enim turbo deſcendit, & illam Deuertit pariter lento cum corpore nubem, Quam ſimul ac grauidam detrudit ad æquora ponti, Ille in aquam ſubitò totum ſe immittit, & omne Excitat ingenti ſonitu mare feruere cogens. Hic idem pugnacior ſi eſt ac diutius volutatus inflammatur, efficit quem πρηστῆρα Græci vocant, qui & igneus turbo eſt. ἀναφυσήματα Græci vocant eos ſpiritus, qui de fundo vel hiatibus terræ exploſi ad ſuperna meare ſolent: at procelloſus flatus καταιγὶς dicitur, quem præfractū poſſumus dicere, quòd de ſuperiore cæli parte ſubmiſſis, inferiore repentinis impulſibus quatiat. Vocatur & columna conſpicatus humor rigens, ipſe ſe ſuſtinet, ab eodem & in longam veluti fiſtulā nubes aquam trahit, nec minus ſingula quæ illi obiiciūtur, vnde Lucretius, Nam fit vt interdum tantum demiſſa columna In mare de cęlo deſcendat, quam freta circum, Feruescunt grauiter ſpirantibus vndiq; flabris. Et quæcunque in eo quū ſint deprenſa tumultu, Nauigia in ſummum veniunt vexata periclum: & hæc ferè omnia pericula venti erupti de nubibus producunt, quibus armamenta rapiuntur, & totæ naues plerunque in ſublime tolluntur: & quanquam nihil moleſtius in mari ventis turbinibúſue ac procellis huiuſmodi ſit, nec maiore hominum ingenio vlla ſui parte nauigatio adiuta q̄ remis veliſq;, tamen hæc omnia pariter eodē impellētia vnus & paruulus admodū piſciculus aſſuetus petris, Echinus appellatus, tenet, in ſe ſolus elementorū atq; hominū vim recōdens: nullo quidem actu, nullo conamine, ſed natura ipſa: & ruant vēti licet, ſęuiant procellę, imperat tamen furori, tātasq; vires compeſcit, vt cogat ſtare nauigia: quorū non vincula, non anchorę pōdere irreuocabili iactę iuuāt, infrenat impetus, ac domat nullo ſuo labore: nō recurrēdo, aut alio modo quàm carinis adhęrēdo, et vtroq; ſeſe latere colligēte retinēdo: qđ & ſi ſcriptis illuſtribus inſitū inuenio, tamē incredibiliū videri poſſet, ſi de oceano indico fortaſſis aut ſcythico ſolū ſcriptū eſſet, & non potius in noſtro mari monſtrū hoc Romanis imperatoribus accidiſſet: hoc enim inhęrēte, plenā vētis ſtetiſſe nauē, portantē nūcios Peliandro vt caſtrarent nobiles pueri. Hic tenuiſſe

fertur Actiaco mari prætoriã nauim Antonii,properantis circuire & exhortari ſuos,donec tranſiret in aliã,ideoq; cæſariana claſſis impetu maiore protinus venit. Tenuit & Caii principis Aſtaira Antium renauigantis, ſed non longa fuit illius moræ admiratio. Animaduerſa enim è veſtigio moræ cauſa,quòd tota claſſe prodeũte quinqueremis vna ac ſola non proficeret,immo velut in anchoris ſtaret,neque prorſus loco moueretur,è naui protinus exilientibus qui id quærerent,circa nauim inuenere adhærentem gubernaculo,oſtenderuntq; Caio indignanti mirantiq; hoc fuiſſe quod quadringentorum remigum obſequium nauigio adhærens contra ſe tenuiſſet. In nauigium receptum piſciculum qui tunc videre,eum limaci magnæ ſimilem eſſe dixere,indici maris conchæ ſimili potentia,labiis ſuis nauium dorſa fixerunt, quarum quietus ac tenuis leuiſque tactus plus dicitur retinere quàm exagitata poſſint elementa complere: ſtat enim pigra ratis tumentibus alata velis, & curſum nõ habet cui ventus arridet: ſine anchoris figitur,ſine rudentibus alligatur,& tã parua animalia plus reſiſtunt quàm tot auxilia proſperitatis impellant: ita quum ſubiecta vnda præcipitet curſum, ſupra maris tergum nauigium cogitur ſtare infixum,miroq; modo natantia incõcuſſe tenẽtur,dum vnda innumeris motibus rapiatur. Sed vt dicamus aliam piſcis naturam,Forte nautæ prædictarum nauium tactu torpedinis ſegniſſimę torpuerunt,à qua tãtum infigentium dextræ pergrauantur, vt per haſtam qua fuerit vulnerata ita manum percutientis inficiat, vt viuæ ſubſtantiæ pars ſine ſenſu aliquo immobilis obſtupeſcat. Tradunt alii,quod incredibile videri poteſt,tardius ire nauigia,teſtudinis pedem dextrum vehentia.Ferunt & alterum monſtri genus,haud minus incredibile, eſſe circa idem mare indicum auẽ inaudita magnitudine quampiam,noſtri Rocum vocant,cuius pennę longitudine ſunt paſſuum decem,neque tantæ magnitudini vires deeſſe.Elephantum enim eſuriens quum ceperit & aliquãdiu per aërem volitando tulerit,in terram iacit, quo caſu peremptum depaſcitur: nec elephantum ſolum,ſed tota inſuper roſtro prehenſa nauigia ſecum tulit in nubila, & pendentes per inane miſeros nauigantes volatu ipſo terribili delet ac morte conſumit.

Aſtrologia nautica, ſecundum ſolis, lunæ, ſiderumq; obſeruationem, Cap. VIII.

EXacta ventorum ratione, tranſire cõuenit ad alia tempeſtatum prognoſtica: & quoniam claſſem ipſam concuti proteríque ventorum præliis,& nautarum imperitia ſæpenumero cõpertum eſt,impręſentiarum opportuna,tum belli, tum nauigationis tempora deſcribẽtes, futuri motus ventorum, & imbrium tempeſtatúmque præſagia diligentiſſime perquiſita trademus. Et primûm à ſole & luna cæteríſque ſideribus: hinc enim vt poëta inquit doctiſſimus,tẽpeſtates dubio prædiſcere cælo Poſſumus,& quando infidum remis impellere marmor Conueniat, quando armatas deducere claſſes, Aut tempeſtiuam ſyluis euertere pinum. Sol itaque quem Iouis oculum appellauit antiquitas purus oriens & non feruens, ſerenum diem nunciat: idem quum ante eius exortum nubes rubeſcunt, ventum: quòd ſi nigræ rubentibus interuenerint, pluuias: ſi ante exortum nubes quoque conglobabuntur, hyemem aſperam denunciabunt: ſi ab ortu repellentur,

& ad

& ad occaſum abibunt, ſerenitatem: ſi ante ortum radii ſe oſtendent, aquam & ventum prænunciant: ſi nubes ſolem circunduxerint, quanto minus luminis relinquunt tanto turbidior tẽpeſtas erit: ſin exortu ſpargentur partim ad auſtrum partim ad aquilonem, pura quanquam circa eum ſerenitas ſit, pluuiã tamen ventóſque ſignificabunt: cùm oriente radii non illuſtres imminebunt, quàmuis circundati nube non ſint, pluuiam portẽdunt: ſi oriens cingetur orbe totuſq; defluxerit æqualiter, ſerenitatem dabit: ſi verò partim ſe aperit, ex qua parte is ſe aperit expectetur ventus: ſi verò duplex orbis fuerit, atrox tempeſtas inuadet. Porrò ſi circa occidentem rubeſcent nubes, ſerenitatem futuri diei ſpondent: ſi cęruleum vultum induent, pluuiam denunciant: ſi igneum, euros. Itidem ſi maculæ rutilo interuenerint, venti nymbiq; non deerunt: item ſi circa eũdem occidentem candidus circulus erit, noctis leuem tempeſtatem: ſi nebula, vehemẽtiorem: ſi autem circulus fuerit, ex qua regione is eruperit, ventum magnum. Soli proxima ſunt & lunæ præſagia: nam ſi ſplendens exorta puro nitore effulſerit, ſerenitatem: ſi rubicunda, ventos: ſi nigra, pluuias portendere creditur: ſi ante quartam non apparuerit fauonio flante, toto hyemale erit mẽſe: ſi ſextadecima vehementius flammea apparuerit, aſperas tempeſtates præſagiet: ſi in ortu quarto quem Aegyptus & multi maximè obſeruant, q; is certiſſimus auctor futuri tẽporis eſt,

Pura nec obtuſis per cælum cornibus ibit,
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo
Exactum ad menſem pluuia ventiſq; carebunt,
Votáque ſeruati ſoluent in littore nautæ,

Vt Maro inquit: ſi plenilunio per dimidium pura erit, dies ſerenos ſignificabit: ſi rutila, ventos: nigreſcens, imbres: ſi caligo nubis orbem incluſerit, ventos: qua ſe ruperit ſi gemini orbes cinxerint, maiorem tempeſtatem, & magis, ſi tres erũt nigri, aut interrupti, aut diſtracti: ſi plena circa ſe habebit orbẽ, ex qua parte is maximè ſplendebit ex ea ventum oſtẽdet. Interlunii autẽ tempus diram nauigantibus peſtem non ſolum ratione, ſed vſu & experientia rerum magiſtra cõprobat. Tertio loco ſtellarum obſeruationem eſſet oportet. Hæ quum diſcurrere interdum videntur, venti protinus ſequũtur. Quũ ſereno cælo fulgent, pluuiq; erunt atrociſſimę: quum repente ſiderum ſplendor hebetatur, neq; nubilo neq; caligine, graues denunciantur tempeſtates: ſi volitare plures ſtellæ videbuntur, quò feruntur, albeſcentes ventos ex his partibus nunciant: ſi in pluribus partibus fiet, inconſtantes ventos effundent. Sic reliquorũ quoq; ſiderum propria eſt quibuſq; vis, & ad ſuã cuiq; naturam fertilis, nec meãtium modo diſcurrẽtiumq;, ſed multorũ etiam adhęrentiũ cælo, quotiẽs errantiũ acceſſu impulſa, aut coniectu radiorum extimulata ſunt, qualiter in ſuculis ſẽtimus accidere, quas Græci ob id pluuio nomine ὑάδας appellant. Et ſolis lunęq; ac ſiderum obſeruationem diximus. Nunc de his quæ ex paſſionibus elementorum fiunt, aut ex ipſis originem ſumentibus, proſequamur. In his enim non dubia futuri motus præſagia ſunt, quum in ipſis initia iam cernãtur à quibus cauſarum principia ſumunt. Nubes cum in montium cacuminibus conſident, hyemabit: ſi cacumina pura fient, diſſerenabit tonitrua. Ex his vt matutina ventum ſignificat, ſic imbrem meridia-

na. Nebulæ è montibus descendentes, aut cælo cadentes, vel in vallibus sedentes, serenitatem promittunt. Arcus quum sunt duplices, pluuiam denunciant: simplex verò arcus non easdem vndecunq; apparuerit minas affert: à meridie enim ortus, magnam vim aquarum vehet, quæ vinci non poterunt vehemẽtissimo sole, tantum est illis virium: si circa occasum refulserit, tonabit, & leuiter impluet: si ab ortu circáue surrexerint, serena promittet. Quum æstate vehementius tonuerit quàm fulserit, ventos ex ea parte denunciat: econtrà si minus tonuerit, imbrem. Quum ex omnibus quatuor cæli partibus fulgurauerit, ventũ & imbrem ex his regionibus demõstrabit: cũ ab aquilone tantũ, in posterum diem aquam: cum à septentrione tãtum, eum ventum: quum ab austro, coro vel fauonio, nocte serena fulgurauerit, ventum imbrêmque ex his regionibus fore indicat. His terreni etiam ignes proximi significant: pallidi nanque murmurantesq;, tempestatum nuncii sentiuntur & pluuiæ. In lucernis fungi si flexuose volitet flamma, ventum quoque designant: vel quum cinis in foco concrescit, & quum carbo vehementer perlucet. Est sua etiam aquarum significatio. Maris nanq; ipsius tranquillus sonitus, spumæve disperſæ aut aquæ bullantes, plurium dierum hyemem portendunt,

Atque etiam ventos præmonstrant sæpe futuros
Inflatum mare quum subitò, positumq; tumescit,
Saxaq; caua salis niueo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces.
Antê densus stridor cum celso è vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum sæpe recessus.

Ex animalibus porrò terrestribus, & marinis belluis, diuersisq; volucribus reliqua plurima supersunt prognostica, tempestatumq; præsagia, quę apud Tranquillum, Varronem, Nigidium, Aratum, Lucanum, & vatem omnium clarissimum Maronem, in georgic. qui scire volet absoluta diligenter inueniet.

Remedia periculo affectis Cap. IX.

ADdamus autem & remedia periculo affectis. Mare motũ, olei aspersione sedatur: & ob id nantes ore spargere tradũt, quoniam mitiget naturam eius asperam tranquillúmq; reddat. Si longa sit nauigatio, absinthium potum nauseas arcet. Quia verò nauigantes dulcis aquę defectu sæpe laborant, hæc quoque subsidia demõstrabimus. Expassa circa nauem vellera madescunt accepto maris halitu, quibus dulcis humor exprimitur. Item remissæ reticulis concauæ cęra pilæ, vel vasa inania obturata, dulcem intra se colligunt humorem. Aqua quoque marina, argilla colata, dulcescit.

Quid agendum antequam cursus in hostes dirigantur. Cap. X.

ABsolutis rebus nauigationi necessariis, ex reliquo antequam cursus in hostes dirigantur, in portu exerceri conuenit nauali prælio dimicaturos, & in trãquillo mari assuescere flectere gubernacula, remos trahere, ferreas manus & vncos, asseres, bipennes falcésque præacutas prę parare, dispositósque per tabulata milites pendente gradu & labenti vestigio stare, vt quod in simulata pugna didicerint, in vero certamine haudquaquam perhorres

perhorreſcãt. Ipſius etiam certaminis ratio eſt, eminus conſtitutos appetere ſagittis accedere auſos, priuſquàm faciãt cogere pati, & cum ipſis nauigiis mergere: deſiliendo item in naues gladiis interficere, aut concurrentibus nauibus cum nauigiis capere. Pugnatorum etiam numerus ſingulis nauibus imponendus pro copia nauium & militum exiſtimatione augeri & minui poteſt. Quum autem ignota regio plerunque petenda, non tamen incertũ vagari oportet, ſed locorum portuúmq; opportunitatem exquirete, vt latẽtibus ſcopulis inuia quæque ac ſicca vitentur.

Quid ſi claſsis claſsi obijciatur. Cap. XI.

QVòd ſi hoſtes claſſem tenent, inuenta calliditate Græcorum nauium hoſtilium compendioſa expugnatio eſt, Ignem græcũ appellant confectionem quandam bullitionémque ſaligni carbonis, ſalis, ardentis aquæ, vitis, ſulphuris, picis, thuriſq; cum mollis Aethiopum lanæ filo, & camphora, quæ dictu mirabile ſola ardet in aqua materiem omnem aduren-tem. Callimachus architectus ab Helepoli fugiẽs id Romanos docuit primùm, & eo ſane imperatores multi poſtea in hoſtes vſi ſunt. Tẽpore enim Leonis imperatoris quum orientales populi contra ciuitatem Conſtantinopolim nauigaſſent in dromonibus mille octingentis, imperator igniferis nauibus cõtra eos directis, hoc ignis genere omnes abſumpſit. Idem paulò pòſt cccc hoſtium naues itémque cccl eodem igne confecit. Sunt qui alio igne, & quidem miſſili, huicq; perſimili, ſed vehementius vrẽte vtantur, his additis, liquenti vernice ac librario oleo, petroleo, terebentina, aceto quàm acri, confectis, compreſſis, ad ſolémque deſiccatis, ac poſtea ſtupa inuolutis cum acutis ferris imminentibus glomeris inſtar funiculo contexti, quę omnia denique ſint vno foramine prætermiſſo, colophonia & ſulphure in ſequentem modum oblita. Eiuſmodi etiam ignẽ ſed thedis inhærentem hoſtium claſſibus obiiciunt alii, Lucanus,

Quam pelago diuerſa lues, nam pinguibus ignis
Affixus thedis, & tecto ſulphure viuax
Spargitur ac faciles præbent alimenta carinæ,
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cæra,
Nec flammas ſuperant vndæ, ſparſisq; per æquor
Iam ratibus, fragmenta ferus ſibi vendicat ignis.

Idem de eodem alibi, piceo iubet vnguine tinctas
Lampadas immitti inunctis in bella carinis,
Nec piger ignis erat per ſtuppea vincula, pérque
Manantes cæra tabulas, & tempore eodem
Tranſtraq; nautarum ſummiq; arſere Cheruci
Iam propè ſemuſtæ merguntur in æquore claſſes,
Iámque hoſtes & tela natant, nec puppibus ignis
Incubuit ſolis, ſed quæ vicina fuere
Tecta mari, longis rapuere vaporibus ignem.

Verùm ne ignis abeſſe poſſit, lapide pyrite excutiatur, qui chalibe, aut aliquo lapide ictus ſcintillam edet, quæ excepta ſulphure, aut foliis, aut linteo pauli-

ſper

ſper ambuſto,ſulphurea materia illico reddit flammam. Sunt aliis gentibus ſua circa hæc inuenta.Nam aliquando fiunt etiam igniaria ex moro,lauro,hedera, quæ exploratorum vſus in caſtris,paſtorumq; reperit.Et quoniam ad excutiendum ignem non ſemper lapidis ſilicis occaſio eſt,teritur ergo lignū ligno,ignēq; concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis fungi : ſed nihil hedera præſtantius quæ teritur lauro laurúmque terit, ignem ſcintillis excutiendo. Ignē in annum quoq; aſſeruare ferula Prometheus reperit : de hac proinde Martialis,

Inuiſæ nimium pueris gratæq; magiſtris
Clara Prometheo munere ligna ſumus.



Probatur ſummopere in aquis & illud Hannibalis inuentum . Nam quum Pruſias terreſtri bello ab Eumene victus prælium in mare trāſtuliſſet, Hannibal nouę cōmento auctor victorię fuit.Quippe omne ſerpentū genus in fictiles lagenas coniici iuſſit,medióque prælio in naues hoſtium mitti , id primûm Ponticis ridiculum viſum eſt,fictilibus dimicare qui ferro nequeant: verùm vbi ſerpētibus cœpere naues oppleri , ancipiti periculo circunuenti hoſti victoriam ceſſerunt. Saponem alii nigrum oleo vel amurca permixtum fictilibus ſimili modo deiiciunt quo aduerſæ partis tabulata lubrica fiant,quiq; pugnant nullo pacto poſſint luctando cōſiſtere.Si quis autem & illud experiri velit,habemus in exemplis lectos agilitate iuuenes enatantes ſub aquis , quum proximi hoſtiū nauibus hæſiſſent,carinas terebra perforaſſe.

Fluminum tranſitus ex inuentis memoratu dignis. *Cap.* XII.

ANnectendum & illud arbitror, vt ſi aduerſo flumine ab hoſte præcludamur,quēadmodum libero tranſitu poſſimus vti,& id ex geſtis docebimus priorum exēpla tradentes. Alexādro Indiam vaſtante quum Porus ei occurriſſet,caſtra inter vtranq; ripam Idaſpis fluminis diſpoſita ſunt: latus hic erat ſtadiis quatuor, altus vadis nunquam repertis. Alexāder Attalum quendam ſibi ſimillimum caſtra ſeruare iuſſit , regiis veſtibus indutum,ipſe cū parte equitatus aliquantum progreſſus, dum dēſa caligo diem ſubtexiſſet,in vlteriorem ripam tranſuectus ancipiti prælio diu fatigatus eſt,donec pedibus elephantorum ſecuribus ſuccíſis,agmina perturbata ſunt. Cæſar haud diſſimili ratione vſus eſt. Nam quū flumine ab hoſte impediretur è regione illis

caſtra

caſtra ponentibus,nactus vnum ex pontibus quos illi reſciderant, ſylueſtri loco ſubſtitit. Poſtero die omnes copias longo agmine præmittens,ipſe cum duabus legionibus parumper moram trahens , pontéque refecto,legiones traduxit,loco idoneo caſtris delecto,reliquas copias reuocauit. Labienus,vnus ex ducibus eius noctu opportunitatem quæſiuit: is quum hoſtes aduerſo flumine Sequanæ conſediſſent tranſitum prohibentes, nactus aliquantas naues ſingulas gubernãtibus tradidit. Lintres etiam conquiſiuit,quas magno ſonitu remorum in eandẽ partem miſit: hoſtes ſuſpicati Romanos tribus locis tranſire, ipſi quoq; in tres partes ſuas copias diuiſerunt .Labienus ad naues contendens tres legiones traduxit, acie inſtructa,quum copiarũ hoſtilium partem diſſipaſſet reliquę fugã arripuere. Fit pons aliquando, vbi hoſtis nõ vrget,pluribus nauibus tabulato conſtratis. Plurimi interdum equi flumini opponuntur , aquarum impetum excepturi , quo cætera turba molli vado,& tuto,ac ſtabili greſſu traiiciatur,vt per Cæſarem in Rubiconis noſtri tranſitu fieri contigit . Geminæ nonnunq̃ equitum acies delectis prægrandibus equis,ordine, & intercapedine quadam ſua ſeiunctæ currenti aquę obiiciuntur, ac inter vtranque impediti expeditiq; milites tranſeunt: ſuperioris nanq; beneficio, currentis impetus aquæ, visq; perfringitur :inferior ſi qui forte deciderũt,mox raptat & tranſuehit. Idem Cæſar quum Liger ſibi traiiciendus eſſet, vado per equites inuento,vt brachia tantum & humeri ad ſuſtinenda arma liberi ab aqua eſſe poſſent, equitatu ſic diſpoſito , qui fluminis vim perſtringeret,incolumem exercitum duxit. Cęlius auctor eſt,Magonem cum equitatu & hiſpanis peditibus flumen extemplo trãſnataſſe,ipſum Hannibalem per ſuperiora Padi vada exercitum traduxiſſe,elephantis in ordinem ad ſuſtinẽdum impetum fluminis oppoſitis,quod periti amnis eius vix fecerunt. Quòd ſi altior vnda vtrinque militem reſpuat, foſſis plurimis ac diuerticulis minuenda eſt, ſicut Cæſar in tranſitu Licoris,ne quid repetitis audeat vndis , Spargitur in ſulcos , & fiſſo gurgite riuus , Dat pœnas maioris aquæ , vt Lucanus inquit . Cyrus potentiſſimus Perſarum rex Babylona oppugnaturus, Gangem fluuium,adeò grandẽ,vt vbi minus occupet, latitudine viii. m. paſſuum pateat: vbi immodicum ſiue plurimum , ſtadiorum c . altitudine verò ea vt nuſquàm minus viginti paſſuum reperiatur, ſic leui licet cauſa permeabilem fecit . Nam quum vnum ex regiis equis candore atq; forma præcipuum à vorticibus vndarum circumagi atq; abſumi cum equite vnà cerneret, aiunt ira perci tum iuraſſe ſe adeò illum extenuaturum vt mulierum greſſibus vadoſum redderet,nec dictis defuit, nam totis in hoc expoſitis copiis, tam diu operi huic incubuit & aſſedit, donec centum octoginta cuniculis diuiſum alueum in cccIx. riuulos diſpergeret, & ſiccum in diuerſum fluentibus aquis relinqueret. Simili ſane opere perdoctis foſſoribus,etiam Euphratem inter cæteros fluuios memoratu plurimo,tum veterum literis,tum inundationibus ſuis celeberrimũ,& longe validiſſimum,Babylonem quõdam Chaldeę caput petentem Mediamq; permeantem deriuauit , ac ſic meabilibus vadis ſiccum partibus aluei patentibus interfecit,cœpitq; vrbem quam ab humano opere extrui vel humana virtute deſtrui poſſe, pene apud mortales incredibile erat . Sapor Perſarum & ſuo in his ingenio

ingenio vſus eſt. Nam quũ Nicomediam quę Niſibis dicta eſſet obſideret,& flumine præpeditus,& plurima molimina ponens eam obtinere non poſſet,tãdem impetum Mygdonii fluminis,per mediam ciuitatem properantis,à longe retinuit, vtraſque ripas eius faciens excælſiores, vt aqua in ſe collecta concreſceret: quumq; cœpiſſent ripæ ſublimes impleri,ſubitò auferentes quas fecerant cataractas,dimiſerunt impetum fluminis contra murum,qui vehemẽtis aquę pondus non ferens cecidit,aliamq; muri partem qua fluuius egrediebatur, cum ingenti ruina deponens, eadem aquæ moles perrupit. Sunt qui raptim cæſa materia rates fabricent,in quibus equi viriq; & alia onera traiiciantur,vt Cæſar & Xerxes auctore Lucan. maxime vſi ſunt,

Ergo,inquit, vbi nulla vado tenuit ſua pondera moles
Tunc placuit cæſis innectere vincula ſyluis,
Roboraq; immenſis late rigare catenis.
Tales fama canit tumidum ſuper æquore Xerxem
Conſtruxiſſe vias,multis cum pontibus auſus,
Europam Aſiæ,Seſtonq; admouit Abydo,
Inceſſitq; fretum rapidi ſuper æquore ponti,
Non eurum zephyrumq; timens,cum vela ratesq;
In medium differret Athon,ſic ora profundi
Arctantur caſu nemorum,tunc aggere multo
Surgit opus,longęq; tremunt ſuper æquora turres.



Sunt qui pontem disiunctum iumentis vehibilem, commissuris suis & funibus annulisque ferreis consutilem, duplicatis tabulis quibusq; ac vacuis, & contra aquæ ingressum coniunctis glutino, in hanc formam construant.

PONS



ALIVS PONS



ALIVS PONS





Alius pontis tranſitus

Apud alios inuẽtum hoc etiam extat, vt monoxylos ex ſingulis trabibus excauatos, pro genere ligni & ſubtilitate leuiſſima, carpentis ſecum ferat exercitus: tabulatis pariter & clauis ferreis præparatis, vt ſublata omni mora, quum opus ſit, hoc ponte conſtructo aduerſus hoſtes ſuperuenientes incurſus & inſidias facere poſſint.



Sunt qui naues magnas in tris partes, trium cymbarum instar disiunctas, coniunctásque deinde,ac tela lini cæra oblita tectas in hunc modum sine remis flumina traiiciant,maiorique celeritate vecti quàm si duodecim remorum obsequio agerentur.





Nauiculas alii ſaligno vimine texunt bouiſq; corio tegunt, vt Cęſar in tranſitu Sicoris, Lucanus,

Vtq; habuit ripas Sicoris campóſque reliquit,
Primum cana ſalix madefacto vimine paruam
Texitur in puppim cæſos induta iuuencos
Vectoris patiens tumidum ſuperemicat amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado fuſóque Britannus
Nauigat oceano,ſic cum tenet omnia Nilus
Conſeritur bibula memphitis cymba papyro.
His ratibus traiecta manus.



Vada etiam pleriſq; caſus attulit,vt Henrico imperatori,qui fluminibus glaciali rigore conſtrictis, terram Lucianorum ingreſſus, eos nimia cæde proſtrauit,& terram eorum depopulatus eſt: verùm in caſu ſimili plerique decepti ſunt, vt Perſeus Philippi filius,congeſtis in vnum copiis,prædarũ ſpe ſolicitatis: tunc enim forte Danubius,qui & Hiſter, craſſa glacie ſuperſtratus pedeſtrem tranſitum facile patiebatur, cum toto & maximo ſimul agmine inextimabilis hominum & equorum multitudo ad tranſitum conflueret,mole ponderis & gradientium concuſſione concrepans glacialis cruſta diſſiliit, vniuerſumq; agmẽ quod diu ſuſtinuerat,mediis gurgitibus victa tandem et comminuta deſtituit,atq; eadem fragmentis præpedientibus ſuperducta ſubmerſit. Notãda in his parui animalis ſolertia eſt,obſeruatum quippe vulpem locis rigentibus ſolerti auditu aurem ad glaciem apponere, & coniectura craſſitudinem gelu perpendere: quare non niſi ad eius acceſſum reditúmque amnes frigore concretos lacúſque pleriq; tranſeunt. Subera quidam quàm lata pectori ſubnectunt,quidam dolia inania, inde leuitate vehiculi fiſi in flumen deſcendunt, faciliúſque placidéque deducti, tutò aduerſam pertingunt ripam.



Hiſpani verò, Aſchitæ, Arabes bubulis vtribus contabulatas crates ſuperimponunt, vectitatiq; hoc ratis genere prætereuntes infeſtant ſagittis venenatis, ſine vlla mole in vtres veſtimentis coniectis, ipſi cæteris ſuperpolitis incubantes flumen tranſnatauere.



Nec aliter,ſi Floro credimus, fiduciam oppidanis reſiſtendi nuncius quiſpiam fecit,docens aduentare Lucullum, qui,horribile dictu,per medias hoſtium naues vtre ſuſpenſus & pedibus iter gubernans,videntibus procul quaſi marina piſtrix euaſerat. Cæſar quoque,vt in cæteris,in hoc ſimili modo multorum opinionem ſuperauit: vtrem enim ex corio cõſutili follis inſtar inflatum traiiciendis amnibus habuit,eoq; vſus fertur,cruribus inſidẽtis velut gubernaculis dimiſſis curſum dirigentis: quòd ſi quis hoc fictum aut commentitium de Cęſare forte dictum putet,Suetonius Tranquillus,opulentiſſimus auctor ac teſtis eſt,Si flumina,inquit,morarentur,nando traiiciens,vel innixus inflatis vtribus,vt perſæpe nuncios de ſe præueniret: atque hic nos quoq; afferendi melius quod dicitur, quodq; ipſi vidimus gratia,minuemus laborẽ legentibus,ſubiiciendo picturam.

Qui terreſtres, quiq; maritimi maximi exercitus. Cap. XIII

ILlud quoque nec erit inutile, nec præſenti materiæ incongruum, vt aliquorum qui in re militari claruerunt copiæ, vel numero, vel auxiliorum multitudine comparentur: & ſi à ſacris quæ mentiri, & neſciunt ac nequeunt, literis initiũ auſpicari voluerimus, vbi ſingulos dies regum omniũ illum regem & principem deum & dominum exercituum belligerare ſæpenumero, imò ſi dicere fas eſt, & ab religione noſtra non abhorret, & furere aliquãdo, & deſeuire legimus, inueniemus hebræę gentis numeroſitatem intantũ excreuiſſe, vt in exitu eiuſdem populi ex Aegypto ſexcenta milia hominum fuiſſe referantur bellicæ iuuentutis, vt omittamus gentẽ Idumęorũ ad populum Iſrahel minime pertinentẽ. Sub Ioſue numerũ fuiſſe armatorũ ſexcẽtatria milia & mille ſeptingentos proditum eſt. In expeditione autem Aſiana ſub Moyſe numerus filiorũ iſrahel per domos cognationũ ſuarũ & turmas diuiſi exercitus ſexcentatria milia quingenti quinquaginta inuentus. Eſt autem omnis numerus iſrael M. milia & c. milia virorum educentiũ gladiũ. De Iuda autem cccIxx. milia bellatorũ: nam Leui & Beniamin non numerauerim eo ꝙ inuiti exequerẽtur regis imperiũ. Habuit etiam Aſa in exercitu ſuo portãtium ſcuta & haſtas, & de Iuda ccc. milia. Hos autem contra egreſſus eſt Zizara Aethiops in exercitu ſuo decies centena milia & currus trecentos ſecum afferens. Deniq; ſub iudicibus, ſub regibus tot milia variis bellis, diuerſo cælo, diuerſis deſtructa temporibus inueniuntur, vt pene non tot natura in lucẽ edidiſſet, quot bello ipſi confeciſſe & dicæarchi omniũ de interitu hominũ circũſcripto numero extinxiſſe videantur. Præter hanc Hebræorum infinitam pene multitudinem fuere Seſooſi Aegyptiorum regi pedeſtres copiæ milia hominum ſexcenta, equitum milia quatuor & viginti, currus bello apti octo milia & viginti cũ claſſe haud parua. Nec eſt quod quiſq; gentis huius miretur exercitus, quum olim numero hominum omnis fere orbis gentes Aegyptus ſuperarit. Oppida enim inſignia ciuitatesq; priſcis temporibus vltra decem & octo milia fuiſſe in Aegypto, libri ſacri continent. Ptolomęi Lagi tempore amplius tria milia. Vniuerſi autem populi numerum fuiſſe antiquitus ſeptiesdecies centena milia Diodorus teſtis eſt. In Gange, inſula eſt magnę amplitudinis gentẽ continens, vnã nomine Modroga linguam, circa quam ſiti ſunt nonnulli, cum oppido eiuſdẽ nominis magnifico Modros, quorum rex peditum quinquaginta milia, equitum iiii. milia, Elephantos quadringentos in armis habet. Validior deinde gens Andarę plurimis vicis, triginta oppidis, quæ muris turribusq; muniuntur, regi præbet peditũ centum milia, equitũ duo milia, elephãtos mille. Omnium in India propè, nõ modo in hoc tractu potentiam claritatémq; antecedunt Tarſę, ampliſſima vrbe ditiſſimaq; Balibotra, vnde quidam ipſam gentem Balibotros vocant, immo verò tractum vniuerſum à Gange. Hanc Tarſiam gentem, validiſſimam adeò fuiſſe percelebre eſt, vt gentis eius rex ſexcenta milia peditum, equitum xxiii. elephantorum ix. omnibus diebus ad ſtipendiũ habuiſſe memoretur. Incredibilia ſimiliter tradunt Alexandri Magni comites, in eo tractu Indiæ quẽ ſibi ſubegerant ſcripſerunt viii. oppidorum Indiam, tertiam partem terrarum omnium, multitudinem

tudinẽq́ populorum innumeram. Quantus autem Gotticus in Romanos fuerit exercitus Claudio Quintilio Augusto renitente, eorumq́ impetum retũdente,testis est eorum turba qui perierunt,quum tot capti reges,tot diuersarum gentium nobiles fœminę,impletę barbaris seruis senibusq́ cultoribus romanæ prouinciæ vt nulla fuerit regio quæ gotticum seruum triũphali quodam seruitio non haberet.Huius etiam rei testis & index est Claudii ipsius Quintilii epistola ad Iunium Broccum Illyricum tuentem, in hunc modum conscripta , Deleuimus cccxx milia Gottorũ,duo milia nauiũ mersimus,tecta sunt flumina scutis, spathis & lanceolis omnia littora operiunt̃,cãpi ossibus latent tecti,nullũ iter purũ est,ingens Carthago deserta,tantũ mulierũ cepimus vt binas & ternas mulieres victor sibi miles possit adiungere. Quid Cyrus? nõne,vt Xenophontis tradit historia,exercitũ omnẽ Babyloniæ coẽgit, in quo eqtum milia centũ & viginti ferũtur cõueniss̃e,duo milia falcati currus,peditũ verò milia sexcẽta? Ninus expeditionẽ in Bactrianos moturus,ex singulis gẽtibus electo ingẽti exercitu aduersus eos ꝓfectus est,traditq́ Ethesias scriptor in exercitu eius ad septies decies centena milia peditũ fuisse,equitum milia ducẽta,currus verò falcatos paulominus decẽ milibus et sexcẽtis. Bactrianorũ rege Zaorte,cõparato hominũ cccc miliũ valido exercitu,Nino in finibus occurrẽte,Semyramis Nini huius Assyriorum regis vxor gloriæ cupiditate flagrans,vt Diodorus non contemnendus auctor tradit,cum tredecies centenis milibus peditum,quingẽtis milibus equitum, centum milibus curruum in Indiam traiecit , Indóq́ illius regionis nobili flumine duarum milium nauium ponte constructo , qui militum numerus incredibilis nunc sit forsan audiẽtibus, sed haud quaquam impossibile videtur, Asię magnitudinem multitudinẽmq́ in ea nationum animo aduertenti.Nam si quis Darii aduersus Scythas expeditionem,si quis item Xerxis in Greciam transitũ, si quæ in Europa pauloante res gestæ consideret,minime dictis nostris abrogauerit fidem. Nam ex vnica Siciliæ ciuitatum Syracusis Dionysius præter naues magnas,partim triremes, partim quinqueremes ad quadringentas, exercitum peditum cẽtum viginti,equitum duodecim milium confecit. Traditur Amazonum reginam nomine Mirinam exercitum triginta miliũ peditum , duúmque milium equitum confeciss̃e. Xerxes quum & mari & terra bellum vniuersæ inferre vellet Europæ,cum tantis copiis accinctus peruenit in Græciam, quantas nec antea nec postea quispiam alter habuisse memoratur. Nam vt classem eius prætream de qua nobis paulopost differendum est, terrestrem eius exercitum, si Probo Aemilio credimus,ducentorum milium peditum,equitũ quadringentorum fuisse constat: si Iustino & Orosio, septingentorum milium & Persarum quidem,auxiliorum verò ccc.milia: si Herodoto, pedestrem eius exercitum centum et septuaginta myriadum,equitum octo: eorum verò qui camelos et currus ducerent,duarum: ad hæc septem milia sexcentos & decem, sine impedimentis seruorum,pistorúmq́ turba & aliorum quorum assertio tanta est vt haud sanæ mentis cuipiam iure videri debeat. Artaxerxes autem egit in prælium,vt Ethesias tradit cccc milia hominum. Dion & Xenophon eos qui dimicarunt longe plures fuisse testes sunt: neque hoc cuipiam supra fidem videri debet,quum rex

adeò

adeò magnus esset diuina narrante historia, vt ab India vsque Aethiopiam c xxvii. prouinciarum ducibus ac principibus qui suæ obedirent iussioni præesset, scribénsque salutem diceret. Antophrodates ab Artaxerxe in Capadociam missus aduersus Dathanem habebat barbarorum equitum viginti milia, peditum centum milia, eiusdémque generis tria milia, funditorum præterea Capadocum octo, Armenorum decem, Paphlagonum quinq, Phrygum decem, Lydorum quinque, Aspendiorum & Pisidarum circiter tria milia, Cilicum duo, leuis armaturæ maximum numerum. Philippus Alexandri pater delectu militum in subsidium regiæ dispositionis ex tota Græcia habito, cc milia peditum, equitum xv. milia confecit, in Asiam expeditionem missurus, absq exercitu Macedonico, & infinita gẽtium Barbarie. Copiarum numerum Alexandri qui minimum asserunt xlviii milia peditum ac equitum quinque fuisse tradunt: qui verò plurimum, peditum xlviii. milia, equitum quatuor & quinque extitisse scribunt. Dario campis alpestris contra Alexandrum prima congressione in acie Persarum sexcenta milia fuere militum, quæ non minus arte Alexandri, quàm virtute Macedonum superata, terga verterunt: in secũda verò congressione cum ccc. milibus peditum & cẽtum milibus equitum processit in aciem: tertia verò congressione bellum reparatum, & cum cccc. milibus peditum & c. milibus equitum obuiam rediit Alexandro. Si quis denuò Darii aduersus Scythas expeditionem mente reuoluerit, cum octingentis eum militum milibus fuisse cõfirmet necesse est. Hannibali copiæ quantę fuerint Pyrenæos mõtes transgresso in Italiam traiicienti, haudquaquã inter auctores cõuenit, illis tamen qui exercitum eius in centum milibus peditum, equitum uerò xx. milibus fuisse asserunt, assentiendum magis putem, quum postea quàm Rhodanum transgressus est in xxxvi. milibus hominum ingentíque equorum, elephantorum & aliorum iumẽtorum numero exercitus eius imminutus est. Gallorum copiæ quum eos præ multitudine abundante non caperent terrę quas tenuerãt, ccc. milia hominum ad nouas sedes occupãdas miserunt, horúmq cum portio altera in Pannonia consedisset, vrbem Ioniam captam incẽdit. Altera Italiã est ingressa. Romanorum qui in ea re plurimum valuerunt hæ fuerunt ab initio copiæ. Anno enim ab vrbe condita ccc lxxxiii. quũ Gallorum inundatio ad quartum ab vrbe lapidem consedisset, sociis Romanorum in Latinis, qui à Romanis subiugati erant, milites præstare volentibus delectu habito, ex Romanis tantum tyronibus decem legiones confectæ sunt. Anno verò ccccclxx. quum iam clarum nomen vrbis esset, quia arma tum extra Italiam mota nõ fuerãt, vt cognoscerentur quæ copiæ Romanorum essent, census est habitus, inuentáque sunt tunc ciuium capita ducẽta xcvii milia & cccxxxiiii, quanquã à condita vrbe nulla bella cessassent. Anno quoque dxvii cum cisalpinæ Galliæ, vel etiam ex vlteriore Gallia ingens numerus aduentare nunciaretur, permoti consules ad præsidium imperii contraxere vires, quo facto in vtriusque consulis exercitu octingẽta milia armatorum fuisse referuntur, sicut Fabius historicus qui bello interfuit scripsit: ex quibus Romanorum fuerunt peditum cccxlviii milia, & equitum xxvii milia sexcenta, cætera multitudo sociorum fuit. Nunciato gallico etiã tumultu. L. Aemilio

milio Paulo,C. Attilio Regulo coss. solam Italiam etiã sine transpadanis & externis auxiliis armauisse equitum triginta milia, peditum septingenta in naturali historia Plinius testis est. Hac incredibilis apparatus magnitudine, licet Gallorũ potẽtiam existimare. Romani pauloante Hannibalis tempora futuri belli præuidentes magnitudinem, cẽsu in Italia tum ciuium, tum sociorum qui bello apti essent habito, Diodoro teste, decies cẽntena ferme milia hominum descripsere. Quantę autem Romanorum copię fuerunt, quando maiores adeò numero & genere variant auctores, vt vix quicquam satis certum affirmari queat? Septem & octoginta milia armatorũ & ducẽtos fuisse in castris Romanis, quũ pugnatum ad Cannas est, quidam auctores sunt. In hoc haudquaquã disconuenit maiore conatu atq; impetu rem tum actam quàm prioribus annis, quia spem posse vinci hostem Dictator præbuerat. Numerum verò omnium qui tum peditũ equitũq; in Hannibalis acie ad Cannas steterunt xl M. peditum, decẽ milia equitum fuisse ferunt. Quę autẽ postea Romanorũ copię Philippicis in campis, vltimo Cæsaris & Pompeii conflictu fuerint, inter eos quos legisse memini me, qui hunc numerum dicant, rémq; hanc elegantissima grauitate perstringant, Plutarchus & Anneus Florus longe variant maximéq; dissentiunt. Qui cũ illo itaq; in sententiam eunt, duo & viginti milia militum cum Cæsare, cum Pompeio non multo plures quàm bis totidẽ fuisse asserunt: qui verò cũ hoc, trecenta & eo amplius milia bellatorum hinc inde præter auxilia regum, vnde immensum quiddam lector possit mente concipere, affuisse memorant: si enim hoc, auctores, belli duces inspicias, totus senatus in partibus: si exercitus, hinc xi legiones, inde duodeuiginti, flos omnis & robur italici sanguinis: si auxilia sociorum, hinc gallici germanicíq; delectus, inde Deiotarus, Ariobarzanes, Tarcondimocus, Corinthus omnis, Thraciæ, Capadociæ, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Aetholiæq;, totiúsque robur orientis deniq; coiere: nec vnquam tam variæ cultu gentes, tam dissona vulgi ora, tot immensæ comites missura ruinæ, vt Lucanus inquit, vtq; idem Florus: nec vllo vnquã loco tantũ viriũ Po. Ro. tantũq; dignitatis fortuna vidit. Post hos, quatuor et quadraginta legiones sub vno Augusti cæsaris imperio numeratæ sunt, quas ad imperii columẽ tutamẽq; per diuersas orbis partes summa cũ dignitate distribuit. Duo demũ quę nõ paruam legentibus ingerẽt admirationẽ, de Romanis libet attingere. Siquidẽ annò vi. Claudii Tyberii principis descriptione Romæ facta, inuenta esse ciuiũ Romanorum sexagies nouies cẽtena quadraginta quatuor milia, cuius rei quia fidem excedit, testis clarissimus adest Eusebius Cæsariensis, in libro de tẽporibus, quũ iam antè sub Augusto, anno eius quarto & quinquagesimo inuenta essent nonagies trecenta & septuaginta milia. Horum viribus ac consiliorum grauitate Romanorum virtus inuicta per totum olim terrarum orbem habita est. Eo verò in bello quod cum Romanis gessere Iudęi sexcenta milia Iudęorum interfecta Cornelius & Suetonius referunt. Egesippus illorum temporum vicinus libro quinto decies centena milia ab obsidionis illius principio ad finem vsque interempta & in captiuitatem ducta nonagintaseptem milia dicit. Cęterum Iosephus Iudæus qui ei tunc bello præfuit, scribit vndecies centena milia gladio

&

& fame periiſſe, reliquias verò Iudæorum diuerſis actas conditionibus toto orbe diſperſas, quarum numerus ad viginti milia hominum fuiſſe narratur. Et hæc de terreſtris militiæ copiis in præſentia dicta iam ſint. M. autem Aemilio, Seruio Fuluio Nobiliore coſſ. iam clarum Romę nomẽ quum videretur, Q. etiam Luctatio Catulo præfecto, primo bello punico trecentarum nauium claſſem Romanorum aduerſus Aphros Aphrorũq; aduerſus Romanos apud Hegates inſulas inter Siciliam & Aphricam Hamilcare duce ſexcentarum fuiſſe conſtat. Greçorum verò regis aduerſus Troianos claſſem mille quadringentarum nauium, & eo adhuc amplius cum multis & nobilibus earum prefectis, Iliados lib. ii. Homero teſte fuiſſe comperio. Xerxem Perſarum deinde regem non horum modo, ſed aliorum omnium numerum, hac in re diſputent licet auctores, facile ſuperaſſe haudquaq; obſcurũ eſt. Nauium enim eius claſſem Perſicam Herodotus auctor eſt trium milium fuiſſe, in hisq; hominum quatuor & viginti myriades, hoc eſt, ducenta quadraginta hominum milia: huic claſſi eodem etiam auctore additæ ſunt ex Thracia naues cxx, hominũ xxiiii milia continentes. Aemilius Probus lõgarum nauium mille & ducentarum, quas onerariarum duo milia ſequebantur. Oroſius roſtratarum mille ducentarum, onerariarum autem trium milium. Iuſtinus poſtremo nauium tantũ apud eum aſtruit, nam decies centena milia numerus eſt, vt non ab re aliud dici queat etiam de pedeſtri, quàm quod his verbis Satyricus inquit,

Creditur olim
Velificatus Athos & quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria, conſtratum claſſibus iiſdem
Suppoſitúmque rotis ſolidum mare credimus altos
Defeciſſe amnes epotâque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.

Darius autem cum ex Europa in Aſiam rediiſſet, hortantibus amicis vt Greciam redigeret in ſuam poteſtatem, claſſem quingentarum nauium comparauit, eique Darim præfecit & Arthaphernem, hiſque ducenta peditum, decem milia equitum dedit. Alexander verò cxcii nauium claſſe, quam trium milium alii fuiſſe perhibent, Aſiam petiit. Cæſar octingentarum Britanniam. Heraclianus Aphricę comes quoſque priores præter Xerxẽ clariſſimos in ea re vel æquauit vel exceſſit: nam nauium trium milium ſeptingentarum habuiſſe fertur numerum, qui apud paucos & nobiliſſimos ac potentiſſimos quidem vix eſt inuentus: cúmque is ſimul ac cum agmine militum ab vrbem pergens littore egreſſus eſt, occurſu comitis Marini territus, & in fugam verſus, arrepta naui ſolus Carthaginẽ rediit, atque ibi continuò militari manu interfectus eſt. Sic itaq; ingens tũc numerus timori iam eſſe cœpit: vnde & Scipio Carthagine victa quum res Aphricæ diſponeret, prohibuit ne plus quàm decem naues earum quæ belli vſibus forent pacto traditas haberent, reliquas omnis generis quæ remis agerentur, quingentas numero fuiſſe quidam ſcribunt, in aliquantum maris ſpacium prouectas, in conſpectu Carthaginis iuſſit incendi: támque lugubre earum fuiſſe incendium, quàm ſi Carthago ipſa conflagrare videretur. Q. T. Flaminius

quoque

quoque quum aduersus Philippum regem Macedonum pugnasset,his ei conditionibus pacem dedit,vt quinquaginta solum relictis nauibus,reliquas Romanis traderet. Q.denique Fabius Labeo,cum à rege Antiocho quem bello superauerat ex fœdere dimidiam partem nauium accepturus, dimidiam relicturus esset, medias omnes secuit,vt quod tutius erat tota eum classe priuaret.

Ex relatu terra & mari res clarissimæ militum gestæ, Cap. XIIII.

REferenda sunt etiam tam terra quàm mari ex virtute præclara militum gesta: non enim hactenus fortuna duces extollẽdo prosecuta est, vt ocio & ignauia soluti rebelles hostium animos domuerint , quos non minor plerũque immanitas & pertinacia opposuit victoréscꝫ fecit. In acie enim quũ dux hostiũ ex media Barbarie,trux,ferus, immanis & horrendus contra Romanos,Qui estis vos aliquando inclamasset,respõsum est inuicem,Romani gẽtium domini: & ille,Ita fiet,inqt, si vos viceritis,acceptoꝙ belli omine Marcus Crassus Barbaros adortus, graui tandem cõflictu eorum res sublimes pugnando deposuit, nec minimum vnà terroris barbaris incussit Chonidius Centurio, satis barbaræ,efficacis tamen apud pares homines stoliditatis, qui foculum gerens super cassidem,& suscitatam motu corporis flammam hostes cædendo velut ardenti capite fundebat. Pyrrhus quum Romanos acie vicisset,& eorum omnium vulnera in pectore conspexisset,omnium in manibus enses,& relictas in vultibus minas,& in ipsa morte ira,vt ita dixerim, viuentes,tulisse manus ad cælum dicitur hac voce,O quàm facile erat orbis imperium occupare,aut mihi romanis militibus,aut me rege romanis: quapropter quum in templo Tarentini Iouis titulum affixisset,hæc scripsit,Qui antehac inuicti fuere pater optime Olympi,hos ego in pugna vici,victusꝙ sum ab eisdem,& quũm à sociis & amicis increpitaretur, cur se victum diceret,cum vicisset,respõdisse fertur,Ego si iterum simili modo vicero,solus & sine milite Epirum reuertar. Mirum et illud contra Hannibalem in Cannensi pugna,è romanis nanꝙ miles ita saucius vt manibus non valeret,quum ei Numida quidam humi detrahere spolia vellet,ceruicem hostis vlnis deprehendit,tenuitꝙ tam diu donec nares atque aures morsu detruncaret. Claris memorię monumẽtis celebratur Eleazar: nam quum supereminentem cæteris elephantum lorica vestitum regia aduerteret,arbitratus in ea bestia regẽ esse,cursu cõcito in mediã legionẽ se proripit , & abiecto clypeo vtraꝙ manu hostes cædens eam subintrauit,subiectoꝙ gladio interemit,à bestiaꝙ cadente opprimitur: hac ruina inclusus magísque oppressus,suo est sepultus triũpho. Tanto virtutis spectaculo defixi hostes, inermem occupatum incusare non ausi, post casum ruentis bestiæ sic trepidauere vt impares se vnius virtuti arbitrarentur: denique rex Antiochus Lysiæ filius,cum cxx milibus hominum armatorum & xxxii. elephãtis vnius territus fortitudine,pacem poposcit: Itaꝙ Eleazar hæredem virtutis suę pacem reliquit,æternumꝙ nomen adeptus est . Hannibal quum Romanorum captiuos dimicare inter se coëgisset, vnúmque qui fortè superfuerat obiecisset elephanto , ille dimitti pactus si interemisset , solus romanus acri ingenio elephantum aggressus magno Pœ-

norum dolore confecit: Hannibâlque quum famam eius dimicationis contemptum allaturam intelligeret, equites misit qui abeuntem trucidarent. Et quanquam exploratum & perspectum habeam, teste Liuio, milites omnium qui Asiam colunt gentium Gallos fama belli præstare, cognouerimq; auctore Crispo, paruis copiis bella gesta cum opulentis regibus, ad hæc sæpe fortunæ violẽtiam toleraſſe, facũdia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse, plures tamen propè de Gallis, vt diximus, etiam apud nos triumphi quàm de toto orbe terrarum habiti sunt: nec legionibus legiones eorũ solum experti, sed viri vnius cum viro fortitudinem atque præstantiam. Nam M. Manlius vnus agmine scandentes in capitolium Gallos deiecit, annorũ sexdecim voluntariũ se militẽ obtulit, xxxvii militaribus donis à suis ducibus ornatus, xxiiii cicatrices habuit. M. autem Valerius, Titusq; Manlius quãtum gallicam rabiem vinceret romana virtus, documenta sunt. Ille enim ducem Gallorũ vasta & ardua proceritate inaniter & arroganter telum manu reciprocãtem, pérque contemptum & superbiam conspicientem omnia ac prouocãtem congredi siquis pugnare secum ex omni romano exercitu auderet, singulari certamine congressus occîdit: hic vero simili modo Gallum quendam nudum præter scutum & gladios duos, torque, atq; armillis decoratum, qui & viribus, & magnitudine, & adolescẽtia simulq; virtute cæteris antestabat, cum voce maxima cõclamaret, siquis secum depugnare vellet vt prodiret, quumq; nemo auderet propter magnitudinem & immanitatẽ hominis faciémq;, tum irridere cœpisset & hiulco linguam ore in Romanos exerere, T. Manlius summo genere natus, tantũ flagitium ciuitati suæ accidere, vt è tanto exercitu nemo prodiret, indignabundus in medium processit, neque passus est virtutis romanæ per Gallum gloriã ad suos transferri, eaq; transgressione vtroque exercitu inspectante Manlius animo magis quàm arte cõfisus, asperum & immite certamen tam diu cum Gallo subiit quàmdiu Gallum euertit, caput decídit, torquem detraxit. Huius postea filius bello aduersus Latinos hostẽ à quo similiter prouocatus fuerat occidit. Q. etiã Coccii militis romani, qui ob insignẽ bellicæ virtutis gloriam Achillis cognomentũ sibi asciuit, nec subticẽda duplex animi corporísque præstantia: nam quum apud Celtiberos gentem pugnacissimam à duobus ad dimicandum prouocaretur, alterum & equitem quidem pugnæ accinctum, excursantem, lustrantemq; omnia, ac insolentissimè procacissiméque futuri victoris instar iritantem adortus occidit, armáq; detraxit: alterum generis claritate & fortitudine omnibus Celtiberis facile præcellentem cedere sibi non solum compulit, sed ensem illi suum & induuias spectantibus vtrinq; legionibus tradere. In Cæsaris etiam congressibus insignis virtus emicuit Volcacii Tullii, qui cũ tribus cohortibus legionẽ Pompeianã perculit repulitq;. Vna quoq; Cæsaris cohors castello præposita quatuor Pompeii legiones quũ diu sustinuisset, tãtus fuit in ea sagittarũ imber, vt sine vulnere defensorũ nullus euaderet, quin et cẽturiones quatuor, oculis capti essent, vt quũ serò diurni laboris ac periculi summã imperatoris nõ tam auribus q̃ oculis subiicere ac repręsentare decreuissent, centũ ac xxx sagittarũ milia inter vallũ inuenta numerarẽt. Fuerunt & in legione Ciceronis qui legatus quoq; Cęsaris erat duo centuriones qui perpetuas

petuas inter se controuersias habebant, vter vtri præferretur : horum alter Pulfius, Varrenus alter dicebatur: accidit vt castra oppugnarentutur, tum verò Pulfius, Quid dubitas, inquit, ò Varrene, hæc dies de nostris cõtrouersiis iudicabit: hæc dicens procedit extra munitiones vbi hostes confertissimi erant, subsequitur Varrenus mediocri spacio relictus, Pulfius pilo hostem exanimans impetitur ab omnibus transfixus scutum & baltheum, gladiũ educere non potuit, succurrit inimicus ille Varrenus protegitq; ab hostibus, in quem quũ se hostes conuertissent, ipse vno interfecto in locum iniquum decidit, cui circunuẽto succurrit Pulfius, atque ambo cõpluribus interfectis incolumes se in castra recipiunt. Fuit eidem Cæsari Scæua miles fortissimus qui pugna ad Dyrrhachium commissa vulnera accepit capite, humero, & fœmore, excussoq; oculo traiectus, & scuto cxx telorum ictibus perforato, hostes pinde ac se dediturus esset accibat, subeuntibusq; duobus, alterius humerum ense cecidit, alterum ore percussum vertit in fugam. De hoc quidem varia est fama: Quidam tradunt Cæsarem viri & de se & de repub. vt aiunt, ita meriti, eximia virtute permotum, qua commissi castelli portæ custodia prope sola seruata esset, pecuniariis eum donis ingentibus, & magnis honoribus cumulasse apud alios. Sceua idem duce absente cedentibusq; comitibus, contra omnem Pompeii exercitum stetit, & clypeo c xx telorum ictibus transfixo, miris & incredibilibus rebus gestis, & commissi loci custodiam relinquens, suorum receptus amplexibus relatus occubuit, iacens quoq; victoribus terribilis ac stupendus, qui tot eximias pugnas in Gallia Britanniáque fecerat, cõtra hostes semper inuictus, et à suis tandem ciuibus interfectus est. L. Siccius Dentatus tribunus plebis centies vicies præliatus, octies ex prouocatione vtroque exercitu inspectante victor, quadraginta quinque aduersas habuit cicatrices, in tergo nullã notam, spoliis ex hoste tricies & quater ceptis, quatuordecim ciuibus ex media, vt aiunt, morte raptis atque seruatis: nouem quin etiam imperatores qui opera eius vicerant prosecutus, hastis puris, faleris, torquibus, ciuicis coronis, aureis, muralibus, obsidionali vna, armillis atq; pharetris plurimis donatus insignis emicuit. M. Sergius post hunc duobus stipendiis primo aduerso corpore ter & vicies vulneratus, secundo dextram manum perdidit: quare postea sibi manum ferream fecit, & cum neutra pene manu idonea ad prẽliãdum valeret, vna die quater pugnauit & vicit, sinistra duobus equis eo insidente confossis, eáque religata prẽliatus Cremonam obsidione exemit, Placentiamq; tutatus duodena hostium castra in Gallia cepit, bis ab Hannibale captus, bis à vinculorum eius nexu profugit, cum xx mensibus quibus captiuitatis sortem perferebat, nullo momento sine compedibus fuerit & cathenis, omnibus asperrimis prælíis, quæ tempestate illa Romani experti sunt insignitus donis militaribus, à Trasimeno, Trebia, Ticinóque coronas ciuicas retulit. Cannensi quoque prælio de quo refugisse eximium opus virtutis fuit, solus accepit coronam. Flaminio consule, quum eum Hannibal circuniacentium locorum vastatione in bellum excitasset, tantus vtrinque pugnandi ardor extitit vt grauissimum terræmotum qui tunc forte tam vehemens factus est vt vrbes diruisset, montes transtulisset, discidisset rupes, flumina retrorsum egisset, pugnantes omnino non

 senserint.

ſenſerint. Ariſtomenem Meſenum cccc Lacedæmoniorum occidiſſe proditum eſt,captum per cauernas latrinarum euaſiſſe,anguſtias vulpium aditu ſecutum: iterum captũ,ſopitis cuſtodibus ad ignem aduolutum cum loro corpore excuſſiſſe: tertio captum Lacedæmonios pectus diſſecuiſſe,hirſutumq; cor ei repertum. In Britannia dum commilitones Cæſaris in paluſtrem quendam locũ & aquoſum incidiſſent irruiſſentque in eum innumeræ hoſtium copię,ac prælium ſpectante Cæſare fieret,quidam miles eius,nomine Scæuola, in medios irrupit,plurima ſtrenuæ fortitudinis opera edens: ſolus enim immobili gradu perſiſtẽs,miſſa vndique in eum telorũ infinita multitudine , quinq; militũ vnius diei pugnæ ſuffectura tela manu ſua hoſtibus adegit,ſtrictoq; gladio fortiſſimos quoſq; hoſtium cateruatim affluentium incredibili dimicatione propulſans,tandem tragula & ſaxo ictus,verſis in fugam hoſtibus commilitones reduxit incolumes,ipſe verò egre cunctos euadens, in limoſam ſe prorupit paludem, quam nunc natando, nunc pedibus commeando,vix tandẽ duabus loricis onuſtus amiſſo traiecit ſcuto. Admirãte deinde Cęſare & magno cũ gaudio & clamore obuiũ excipiente, mœſtus ille ante pedes Cæſaris prócidit,amiſſiq; veniã ſcuti obſecrans, centurionatus honore donatus eſt. Cynegiri, Athenienſis militis gloria,magnis ſcriptorũ laudibus inclaruit: præter enim ingẽtes præliorum cædes quum fugientes hoſtes ad naues egiſſet , onuſtã nauem dextra manu tenuit, nec prius dimiſit quàm manum amitteret: tunc quoq; amputata dextra, nauem cũ ſiniſtra cõprehẽdit,quam & ipſam quum amiſiſſet ad poſtremum morſu nauem detinuit, tantãq; denique in eo virtutem fuiſſe tradunt,vt non tot cædibus fatigatus,non ambabus manibus amiſſis victus, quin truncis etiam ad poſtremum & dẽtibus velut rabida quædam fera dimicauerit. Simili pertinacia in conſectandis hoſtibus Attilius vſus fertur,non Maſſilienſium,vt Lucanus inquit,ſed Cæſaris miles,quemadmodum reliqui & quidem non incelebres auctores tradunt. Nauali nãq; apd' Maſſiliã certamine quũ hoſtilem in puppim dextrã iniecíſſet,illa gladio amputata Maſſilienſium , nauim nihilominus ingreſſus læua tam diu retinuit, quouſque hoſtes atroci vultu obterrens proſtratis omnibus nauim victor occupauit,occupatamq; profundo immerſit,ęquauitque Cynegiri factum,quod loquaciſſimæ Græciæ laudibus in cælum vſque ſublatum eſt.

Emulatio gloriæ & ducum comparatio atque præſtantia. Cap. XV.

NVnc vt gloriæ auidis pręmiſſis ad ſummámque rerum aſpirantibus honos reddatur, qui nobiliores duces quiq; inclyta ſuis facultatibus geſſerint ſubnectemus. Verum quoniam in huiuſmodi rerum ſumma ſpectari diſcutiq; maxime ſolent,rei militaris peritia,virtus,ingenia, mores, vires,& fortuna, potiſſimum in his ſuperioris ætatis exterarum noſtrarúmque gentium duces & reges aliquot prima fronte mutua inter ſe viden tur comparatione quàm ſimiles extitiſſe. Sic enim maiorum ſententia freti,non ſumus neſcii ſolitum Romulo Theſeum comparari, Camillum Bruto,Brutoq; Dionem,Numæ Lycurgum,Marcello Pelopidem,Fabio Periclem: Q. itẽ Maximo Iaſonem Pheræũ,& Themiſonem Themiſtocli,Ariſtidi Eumenem, Sertorio Simoniq; Lucullum : quanquam de hoc ipſo ita ſcriptum inuenio, Bellicis

licis in artibus, vt Aeſchylus auctor eſt, quem huic comparabimus, quem huic opponemus, quis huius ſimilis? quum Antiochum grauem philoſophum ſcripſiſſe conſtet, Lucullum victoriam omnium quas vnquam ſol viderit maximam ex hoſtibus retuliſſe. Exploratum eſt & Photionem quinquies & quadragies imperatoriam iniiſſe dignitatem, quum ne ſemel comitiis intereſſet, ſed ſemper abſens & crearetur & accerſeretur. Ex hoc igitur quantus ille dux fuerit facile coniici poteſt. In Alcibiade, cui flagrantiſſimum fuit ingenium, cõſilii plurimum, eloquentia ſingularis, corporis ſpecies præſtans, præcipua potentia, virtus eximia, nobilitas, in re militari ſummum imperium & ſumma gloria, quicquid natura effingere poſſit, videtur experta. Conſtat enim inter omnes qui de eo memoriæ prodiderunt, nihil eo duce fuiſſe excellentius, quum pleraque hæc omnia animi, & corporis, & fortunæ commoda inter ſeſe in eo duce præcellentia certare videantur. Thraſybuli virtus ſi per ſe abſque fortunæ numine penſitanda eſt, dubius ſum an eum omnium primum poſuerim: illud dubio procul, neminem huic præferendum cenſeo, fide, conſtantia, magnitudine animi, in patriamq; amore. Nam quod multi voluerunt paucíſque conceſſũ ab vno tyranno patriam liberare, huic contigit vt à triginta oppreſſam tyrannis ſeruitute, in libertatem vindicaret. Iphicrates non tam cumulo & rerum geſtarum magnitudine quàm diſciplinæ militaris peritia nobilitatus eſt, & præcellentibus ducibus annumeratus. Eiuſmodi enim dux fuit vt nõ ſolum ætatis ſuæ cum primis comparandus, ſed ne de maioribus quidem natu ei quiſquam ſit anteferendus: imperator enim & dux ſæpe delectus, nuſquam culpa rem male geſſit, conſilio ſemper inuictus, quo tantum excelluit vt multa in re militari noua quum inuenerit, inuenta plurima meliora reddiderit. Lyſander Lacedæmonius magnam præclari ducis & imperatoris famam præſentibus & poſteris reliquit, verum magis fœlicitate quàm virtute partam. Thymoleõ Corinthius ſine dubio magnus omnium iudicio hic habendus, nanque huic vni contigit quod neſcio an vlli, vt & patriã à tyranno oppreſſam liberaret, & Syracuſis quibus auxilio erat miſſus inde inueteratam ſeruitutem depelleret, totamq; Siciliam multos annos vexatam bello à barbaríſque oppreſſam, ſuo aduentu in priſtinum reſtitueret: & quum eſſet non ſimplici fortuna conflictatus, id quod difficilius putatur, multo ſapientius ſecundam quàm aduerſam pertulit fortunam. Agelinus rex, & contemptor ſuperûm Mezentius, vtpote qui non ſolum hominum ſed deorum ſibi honores expoſceret, in hac quoq; clarorum ducum concertatione quodam magno auctore numerandum ſeſe offert, nec iniuria id quidẽ: nam ſi Naſoni accedimus,

Clarus erat ſumptíſque ferox Mezentius armis,
Et vel equo nullus, vel pede maior erat.

Legimus & Cyrum Græcorum maximis laudibus celebratum, quòd in expeditionem profectus, Aegyptum in ſuam deditionem redegerit & omnes quæ à Syriæ finibus ad mare vſque rubrum pertinent gentes nationéſque ſubegerit. Epaminundæ quoque res ſtrenuè geſtæ à plurimis omnium anteponuntur virtutibus. Thebas enim ante hũc ducem natum & poſt eiuſdem interitum

perpetuò alieno paruiſſe imperio conſtat, ecõtra eos quàmdiu ille prę fuerit reipublicæ, caput fuiſſe totius Grecię nemo inficias ibit. Ex quo ſanè intelligi poteſt hunc vnum ducẽ pluris quàm nobiliſſimã ciuitatem ſuam fuiſſe, maximê quum eius mortem tanta præter ſeruitutem, Thebanorum iactura & perditio ſubſecuta ſit, vt non amiſiſſe ducem ſuum et columen, ſed ipſi cum eo ſimul tũc funditus periiſſe viderentur. Et quãquam Homerico præconio exploratum & notum ſit, etiam illud Achillis & Hectoris mutuũ vitæ ac ſanguinis certamen quod monomachiam appellant, & eam virtutem quæ ſupra nos eſt heroicam atque diuinam præ cæteris Hectorem habuiſſe, neq; proinde videri mortalis hominis filium eſſe ſed dei, nõ inepte tamen, quum non homerica ſed paterna illa commendatio fuerit, debet Achilles, Hectorem qui vicerit, & virium, & animi rerúmq; geſtarũ præconio ac dignitate minor haberi, quam & ipſam in aurea capra ita ſcriptam offendes, Si cor, ſi vires, ſi bella requiris Achillis, Paucis expediã Hectore maior erat. Videbis etiã Daretis Phrygii, Troiani ſcriptoris atteſtatione, maioris fortitudinis, & virtutis Achillẽ fuiſſe q̃ Hectorẽ. Achillem præterea Iouis nepotẽ & Thetidis filium vult Homerus, cæteríq; ſine cõtrouerſia poẽtæ, qui homines morum & virtutum præcellentia, non ſolum deorum progeniem volunt, ſed etiam deos fieri: quòd ſi eodem præcone, & ſenſu, & decoris feſtiuitate in cęlum tollatur Neſtor, Atridas apud ſuos, fama claros, & motos furore Aiaces, & dolis & aſtu Vlyxem reddant, Miltiadem Marathon, Themiſtoclem Thermopylæ prædicent, Homerúſque idem & Maro nedum Barbaris ſed Latinis & Graiis ducibus præficiẽdo regem illum quo iuſtior alter,

Nec pietate fuit nec bello maior & armis,

quicquid denique aliarum gentium præclaræ laudis vſquam extat, in vnum ſi conferatur, profecto citra Romanos rerum dominos gentemq; togatam ſubſiſtet: quocirca ſunt qui ſuo quodã iure Brenum animi magnitudine & rerum geſtarum gloria extollendum putent, quòd Gallis Senonibus in militiam ſumptis Romam mundi dominam armis inuaſerit, in Romanos tanquam imbelles impetus fecerit, eóſque ſic ſtrauerit vt non facile quiſpiam ſimilẽ ruinam romanæ militię recenſeret, etiam ſi Roma inſuper incenſa non foret: verùm vt vicerunt, ſic victi ſunt & ad internitionẽ Dolobella duce deleti vt nullus ex ea gente ſuperfuerit qui incenſam à ſe Romam gloriaretur. Neq; verò Hannibalis res geſtæ obſcuræ, neq; poſteriores erunt: annis enim v. & xx. minor natus imperator factus, proximo triẽnio ille, viris armíſq; nobilẽ & exercituũ ſeminarium bellatricem ſubegit Hiſpaniam, Saguntum potentiſſimã vrbem Romanis amiciſſimam, ac fœderatã expugnauit ac obſidione deleuit, tres exercitus maximos comparauit, altero in Hiſpania cũ Haſdrubale fratre relicto, altero in Aphricam miſſo, tertium in Italiam ſecum duxit: cum hoc exercitu Pyreneos mõtes ſaltuſq; tranſgreſſus, velut fulmen quæq; obſtantia proterens, ad vrendam Italiam deuaſtandáque feſtinat, nec niſi ferro & ſanguine iter ſibi præſtruens, ad Alpes poſteaquàm venit quæ Italiã à Gallia ſeiungunt, & quas nemo vnquam præter Herculem Graium ante eum tranſierat, alpinis Gallorũ quo minus tranſiret quanquam reſiſtentibus, ac tandem duro Marte depulſis, igne ac ferro diruptis

ptis rupibus,iuga illa aſpera inuicta & inacceſſa,ac frigore intractabilia ita muniit,vt elephanti poſſent ire onerati,quę antea vnus homo inermis vix potuiſſet irrepere, quæ res ei & virtutis admirationem & immortalitatis fidem non paruam contulit: inde exercitum traducens, in Italiam peruenit: conflixit apud Ticinum cum P. Cornelio Scipione coſ. eúmque ſaucīū repulit,à filio pubeſcente ſeruatum,Scipionis huius collegam Tyberium Lōgum,ſecūdum Probum, ſiue magis ſecundum Liuium Sempronium, apud Trebiam cum ingenti Romanorū clade profligauit. Cum hoc apud Placētiam ęquo licet Marte pugnatum parique clade diſceſſum, maior tamen Romanis quàm pro numero iactura fuit,vt inquit Liuius,qa equeſtris ordinis aliquot & tribuni militares & præfecti nonnulli ea dimicatione conciderunt. His tot proſperis ac lętis ſucceſſibus elatus Hannibal,ſuæ fidutiæ plenus, ad ſpem propoſiti armauit animum, inde per Lygures Apenninum tranſiens petit Etruriam,quo itinere adeò graui oculorum morbo affectus eſt, vt in poſterū dextri oculi beneficio nunquam bene æque vſus eſt, hac tamen mala qua tūc detinebatur valetudine lectica deuectus eſt, C. Flaminiū coſ. ardentioris ſpiritus virum quàm res ipſa poſtularet, apud Traſimenum cum exercitu inſidiis circunuentum occidit,neque multo poſt C. Centenium prætorem cum delecta manu ſaltus occupantem. Fuerunt autem hoc in loco qui in acie ceciderunt Romanorum xv. milia T. Liuii ſententia de multis electa: aliorum namque aliter, apud quoſdam enim viginti milium numerum inuenio, hoſtium non niſi mille quingentis in prælio cæſis, & hæc alia romanæ reipub. peſtis. Motis hinc caſtris in Apuliam ad Cannas quum peruenisſet obuiamq; ei duo cōſules Claudius Teren. Varro,& Paulus Aemilius ſeſe obtuliſſent, Varronem committēdi prælii temerarium auctorem primum turpis fuga corripuit,nec fugientē hunc amplius quàm quinquaginta equites proſecuti ſunt. Conſulum alter prudēs forti ac honeſta morte procubuit, cum hoc quoque quæſtores duo, tribuni militum vndeuiginti,conſulares,prętores,atque ędilitii aliquot,ſenatores inſuper octoginta deſiderati ſunt: reliquorū numerus cæſorum ambigue traditus videtur: quod cōſtat,xl. milia peditū, equitum duo milia ſeptingenti fuerunt: ſunt qui hos legionarios tantū pedites atque equites, aliorum ciuium ac ſociorum parem quippe numerum eſſe aſſerant. Quum inde poſt aliquot dies Capuam, quam Cannas ſibi fuiſſe percelebre eſt, reuerteretur, Q. Fabi. max. dictator romanus in agro ei falerno ſe obiecit. Hic locorum anguſtiis clauſus,noctu ſine aliquo detrimento exercitus ſe expediuit, Fabio callidiſſimo imperatori dedit verba: nanque obducta noctē, ſarmēta in cornibus iumētorum deligata incendit, eiuſque generis multitudinem magnam diſſipatam immiſit, quo repētino obiectu viſo, tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum vt egredi extra vallum ſit auſus nemo. Poſt hæc nō multo M. Minutium Ruffum magiſtrum equitum pariter ac dictatorem imperio,dolo productum in prælium,fugauit. Tyberium Sempronium Gracchum iterum coſ. in Lucanis abſens in inſidias ſubductū ſuſtulit. M. Claudiū Marcellū quinquies cōſulē apud Venuſiam pari modo interfecit,cúmq; ſerò tādem vt Capuā ipſam romana preſſam obſidione liberaret,& ad tertium lapidē Anienémq; fluuium

caſtrameta

caſtrametatus portas vrbis acceſſiſſet intra cuius muros ſolus hoſtiũ emiſit haſtam,indignantes qui ſupererant tantũ illi licere Romani coſſ. obuiam egreſſi & in aciem vtrinq; deductis copiis parati ad prælium cum eſſent,illico grando cæli fragore demiſſa ex ſumma capitolii rupe maximo turbine vẽtorum in aduerſa hoſtium ora,prohibuit: quod poſteaquam bis tẽtatum accidiſſet,miraculo concuſſus Hannibal dixiſſe traditur,Romam capiẽdi tum ſibi animũ deeſſe, tum fortunam: cumq; diu antea in Italia fuerit,nemo ei in acie reſtitiſſet,nemo aduerſus eum poſt Cannenſem pugnam in campo caſtra poſuiſſet. His itaque ad vaſtitatem Italiæ geſtis Scipio ille Aphricanus ſuperior dum clades patriæ, cladibus in Aphrica vindicaret,hinc reuocare potuit & acerrimũ hoſtem,eum inquam à quo pater apud Ticinum fugatus fuerat ad bellum arceſcere vincereque. Quo in bello vt valentior poſtea congrederetur,collatis iam ſignis,de legibus pacis colloquium fecit, conditiones quum haudquaquam conuenirent, tubæ cecinere,fit pugna & quidem nouiſſima, in qua nec melius inſtrui aciem, nec acrius potuiſſe pugnari,vt de victore victus,& de victo itidẽ victor ipſe confeſſus eſt, vterq; ingens talium rerum æſtimator, ceſſitque tandem Hannibal, adeò conſternatus vt nunquam poſtea reſurgeret,Scipioniq; præmium victoriæ Aphrica fuerit. Horum autem duorum qui non ſuæ modo ætatis, Liuio teſte, maximi duces, ſed omnis ante ſe memoriæ omnium gentium, cuilibet regum imperatorúmve pares,vel,vt Florus inquit,qui omnium antea & poſtea ducum clariſſimi fuere,vter vtro ſit prior habendus imperator,præter Scipionis cædes qui magnam partem ſceleris humani extinxit atque perdidit,vt de ſeipſo apud Ennium ſuum his verbis loquitur,

Si fas cædendo cæleſtia ſcandere cuiquam eſt
Mi ſoli cæli maxima porta patet,

hoc vnum dictum ſatis erit, quo intelligi poſſit quantus ille imperator fuerit. Si verũ eſt enim,quod nemo dubitat,vt Po.Ro. præ cæteris virtute bellica præſidentiã ſibi vindicet Hannibalémq; conſtet potuiſſe eum ſuperare,conſequens videtur Scipionem tanto non ſolum hunc,verùm cæteros imperatores anteiſſe, quanto Po.Ro.Pœnusq; Hannibal rerum geſtarum gloria antecellũt,quod nec tantus quidem hoſtis Hannibal ipſe diſſimulat. Apud Epheſum enim quò ambo conuenerant,altérque victus confugerat,alter ad Antiochum legatus & romanus orator acceſſerat, quum Hannibal digniorem deambulando locum primus arripuiſſet,idq; Aphricanus tam æquo tuliſſet animo vt facile nulla cũ contentione ea fuerit ambulatio, habito poſtmodum de ducum præſtãtia inter eos ſermone,interrogantiq; Scipioni quis ſibi ducum maximus videretur,eorũ omnium qui præceſſiſſent quiq; ad id vſque temporis ſuperſtites fuiſſent, tum Pœnus, Philippi filium Macedonúmq; regem Alexandrum profectò primũ: quem item ſecundum ſciſcitanti, Epirotarum regem Pyrrhum ſubieciſſe, tam illius quàm huius dicti rationem afferendo: exquirenti porrò quem tertiò præficeret, dubio procul ſeipſum,inquit: obortoq; riſu,Aphricanũ tum adieciſſe, Quàm maximi te faceres, quóve loco te dignum diceres Hannibal, ſi vti ego, ſuperior euaſiſſes? tum ille,Non ſolum ætatis huius, ſed omnium ſuperiorũ temporum,

gentium,

gentium, ac nationum imperatoribus anteferendum iudicarem: quo quidem dicto nõ obscurũ est sane per Hannibalem innui, Scipionem velut inæstimabilem, cæterisq; ducibus & imperatoribus longe dissimilem anteponendum. Seuerus autem septimus, dux & imperator inclytus simili modo quum de primo principum loco sermo esset, Augustum Vespasianũ, Titum, Traianum, Pium, Maximum magni præ cæteris fecit, reliquos fœmineos vèl venenatos nominãs: maxime in historiis Hannibalem, Marium, Camillum, & Q. Marium Coriolanum dilexit, summáque laude ac loco dignos censuit. Interrogatus porrò quid de vtroq; Aphricano sentiret, respondisse fertur, Fœlices illos fuisse magis quàm fortes, ídque probare domesticam vitam, & iuuentutem quæ in vtroque minus speciosa domi fuisset. Non minus etiã laudis & gloriæ Scipioni Nasicæ in ocio & toga quàm in negocio et armis, vtíq; Scipioni maiores nostros tribuisse percelebre est. Ferunt & Antigonum interrogatum, quis ducum sibi optimus videretur, respõdisse, Pyrrhum si senesceret omnium suæ ætatis ducum sibi optimum videri: sed quanquam hic ętatis suæ ducibus duntaxat eum prę ferat, satis tamen constans, auctore Iustino, inter omnes auctores fama est, nullum nec eius nec superioris ætatis regem comparandum Pyrrho fuisse, raróque non inter reges tantũ, verum etiam inter illustres viros, aut vitæ sanctioris aut iustitiæ probatioris visum, scientiam certe rei militaris in illo tantam fuisse, vt cum Lysimacho, Demetrio, Antigono, tantis regibus bella gesserit, & inuictus semper fuerit, Illyricorum quoq;, Siculorum, Romanorum, Carthaginensium bellis nunquam inferior, plerunque etiam victor extiterit: qui patriam certe suam angustam ignobilémque rerum gestarum fama & claritate nominis sui toto orbe illustrem reddiderit. Bellacissimum enim regum omnium vsque adeò fuisse constat, vt quum cæteri mortales pro gloria próque imperio, pro salute próque iniuriis pugnare soleant, hic pro voluptate pugnaret, neque hæc illi maior ex imperio, quàm de bello voluptas erat. Adde quòd militaribus artibus instructissimus ductandi exercitum, ordinandi acies, eligendi locum castris idoneum, conciliandi hominum animos, rei pace bellóque efficacissimæ. Cęterum ad bellandum quærendáque victorias, quàm victoriarum præmia seruanda, vir quàm longe melior. Qui verò hanc ipsam palmam Alexandro Macedonum regi tribuunt, non inscite id quidem facere videntur, nec minimis rationibus initi. Hic enim rex & imperator, parua manu vltra quàm credibile cuipiam videatur, peragrauit orbem, innumeras gentes fudit atque subegit. Vigesimum nanque ętatis annum agẽs. Macedonum rex declaratus, & ad bella promptus, vbi Macedoniam, Gręciam, & Illyriæ partem ordine composuisset, vltra Hellespontum in Asiam trãsgressus, primo Darium Persarum regem maximum expugnat, mox Phrygia & Paphlagonia in ditionem redactis per angustas rupium dubióq; aditus Ciliciã intrat, quæ ex improuiso exterrita victori paruit. Darius interea quingentorum milium instaurato exercitu, vel vt alii perhibent, ccc milia peditum & centum milia equitum in aciem producens inter arctas Ciliciæ rupium fauces commisso certamine victus ac fugatus terga celeri studio vertit, peditum octoginta milibus, equitum decem milibus cæsis, quadraginta milibus captis,

direptis

direptis caſtris cum regia matre,vxore,ac tota familia , ſobole etiam victor inſignis. Hinc ad profectionem Damaſci prouectus,ex proximis nationibus legati venere ſe ſuáſque vrbes dedẽtes. Syria,Phœnices & Sydon cum maritimis inſulis victori obtemperauerunt. Tyrum ferociter expugnatam & virtus & fortuna obtinendam dedit. Aliquamdiu obſeſſa Tenedos regi paruit, centum lx nauium claſſe deuicta Gaza, decem milibus hoſtium cęſis expugnata eſt. Victricibus armis ceſſit Aegyptus,& Cyrenæ ceruicẽ flexere: ad Iouis Hammonis templum quem ſibi patrem finxerat gentium domitor per arida & ſole aduſta vertit iter, vnde remeans, diuina ſtirpe ſe natum voluit credi haud quaquam mortali patre contentus. Reuerſus vrbem condidit, quam ex ſuo nomine Alexandriam appellauit. Hinc aduerſus Dariũ qui Arbelam ignobilem vicũ,ſed Perſica ſtrage nobilitatum ingenti armorum copia venerat , deintegro arma conuertit, & paribus vtriuſque partis & copiis & fortuna hic quoq; victor, orientis ſibi limen aperuit, ita vt proximæ gentes Perſidis & Babylonii paterentur imperia. Per difficiles aditus æthereaq; iuga ad ſeptentrionem conuerſus,Parthos Hyrcanóſque fregit . Caucaſum montem ad montis extrema cum ſuis labore deductus,maréque Caſpium cuncta ſternendo ſubegit , ad flumen Tanaim & Scythas circumtulit ſigna,& in finibus Aſię partem tenuit Europę,& Idaſpen amnem. Porum Indorum maximum regem,quia armis contradicere auſus,terribili prælio vicit: & quia victum ſe tam iniquo animo tulit,vt cibum vulnerũq; remedia reſpueret, mori volens, magnitudine animi delectatus Alexander , in amicis habuit,& honoribus auctum regnare compulit. Multa præterea cũ aliquot regibus & exteris gentibus per Indorum longiſſimos tractus prælia geſta ſunt, tantis illuſtrata victoriis ſiue Græcorum aſſertione contra Romanum nomen,Parthorum gloriæ fauentium , ſiue leuiſſimorum quorundam Gallorum, quos non veri ſtudium,non fides veri,non denique Alexãdri amor vllus,ſed Romanorum inuidia atque odium ſemper impulit, vt inuulgatum ſit eum totum terrarũ orbem peragraſſe,illiúſq; dominum fuiſſe: quę opinio quia quorundam mentes irrepſit minuenda omnino eſt,eóque maxime,quòd rerũ geſtarum ſcriptores aliqui et quidem non incelebres videntur in hãc ſententiã trahi. Primum itaque inter cæteros Annei Senecæ de Alexandro illud attingam , alterius rerũ ſuarũ & loci huius et dicti,memoria licet polleret eximia,reor obliti, Agebat, inquit,infœlicẽ furor aliena vaſtãdi,& ad ignota mittebat. An tu putas ſanum, quià Greciæ primũ cladibus in qua eruditus eſt incipit,qui quod cui optimum eſt eripit? Lacedæmona ſeruire iubet, Athenas iacere non contentus, tot ciuitatum ſtrage quas aut vicerat Philippus , aut interemerat, alias alio loco proiicit, & toto orbe arma circumfert , nec ſubſtitit vſquam laſſa crudelitas, immanium ferarũ modo,quæ pluſquam exigit fames mordẽt, iam in vnum regnum multa regna coniecit , iam Græci Perſæq; eundem timent, iam etiam à Dario liberæ nationes iugum accipiunt. Hinc tum vltra oceanum ſolémque indignantur ab Herculis Liberiq; veſtigiis victoriam flectere, ipſi naturæ vim parat, non ire ille vult, ſed non poteſt ſtare,non aliter quàm in pręceps deiecta põdera quibus eundi eſt finis iacuiſſe: quod à tanto viro tamq; pręclaro dictum miror. Nec minus

& illud Iuſtini, Vniuerſum terrarum orbem vtrum ſit mirabilius quia vicerit an aggredi auſus fuerit,incertum eſt. Nota enim hæc ſint licet tamen illud in Ciuitate dei nec minus incognitum eſſe debet, Quantalibet autem fide rerũ vel iſte vel Trogus,inquit,ſcripſerint(addo his ego & quẽ diximus Senecam)quę-dam tamen illos fuiſſe mentitos fideliores literę oſtendunt,quum non Romam quæ florere iam cœperat,aut Italiæ oram vllam, ſed nec Germaniam, nec Britanniam nec Hiſpaniam, Galliam vel Aphricam per ſeſe aut legatos vnquam adierit,nedum vicerit.Quid ergo?orientem adiit orientémque vicit,vnam,Alexandri Epirenſis regis & huius auũculi ſententia,ex omnibus vinci facillimam mundi partem, quod ſæpe alibi idem auctor ait:& vt Q. Curtii hunc eundem regem ſtilo nobilitantis verbis vtar, Ab Helleſponto vſque ad oceanum omnes gentes victoria emenſus,vtq; in quæſtionibus naturalibus inquit Seneca,Imperium ex angulo Thraciæ vſq; ad orientis terminos protulit. Quanquam quod conſtat,ante alias Carthagini infenſus, ſe ſubacta Aſia in Aphricam migraturum minaretur, & forte cogitaret inde ad Gades herculeas & Hiſpaniam traiecturum,ac porrò inde per Galllas ſecus Alpes & Italiam in Epirum atq; Macedoniam reuerſurum, ſicq; nondum alteram ſortem adortus, exceſſit è vita,nec aliter,vt ille inquit,quàm Babylone ſua Parthóq; verẽdus. Nam ſibi libertas vnquam ſi redderet orbem Ludibrio ſeu ratus erat non vtile mundo Editus exemplum eſt. Et quamdiu fuit de hoc ipſo quem modo diximus Alexandro & Philippo patre ac Macedonum rege inter doctiſſimos de vtriuſque præſtantia diſceptatio non leuis,& quanquam magno ſe iudice quiſq; et ſtrenue anteactis tueri poſſit,Philippũ tamen virtute,viribus animi,magnificentia,fide,rerũ moderatione,rebus geſtis & gloria ſuperatum à filio,facilitate verò,humanitate,conſiliorum prudẽtia,frugalitate,ſolertia, verborum deniq; ac orationis cultu Alexandro ſuperiorem fuiſſe non dubium eſt. Et licet regum clariſſimus teſte Iuſtino ſit Alexander,clariorem tamen,inquit Liuius,eum facit,quòd vnus fuit, q; adoleſcens,quòd incremẽto rerum, nondum alteram fortunam expertus deceſſit. Philippum autem Alexandri patrem Theophraſtus tradit non ſolum genere & dignitate regia ſed etiam fortuna & moribus maiorem cæteris regibus moderatiorémque extitiſſe. Sunt qui hoc decus imperii Cn. Pompeio Magno ob res ab eo præ cæteris magnificentiſſimè geſtas deferendũ putent: maximum enim & ſplendidiſſimum fuit,quod Romanorum nemini antea contigit, quòd tertiũ è tertia vniuerſi orbis parte triũphum duxit.Nã licet tres ex hac vna parte triumpharint,ipſe tamen primum ex Aphrica, ſecundum ex Europa, tertium hunc vltimum ex Aſia ducens triũphum,quodam quaſi modo viſus eſt ex vniuerſo ambitu orbis triumphaſſe.Ex quo autem genere gẽtium ſeorſum triumpharit ex his quæ ſubiiciemus licet agnoſcere.Erant quippe regionum illarum nomina huiuſmodi,Pontus,Armenia,Cappadocia,Paphlagonia,Media, Colchis,Hyberia inſula,Albania,Syria,Meſopotamia. Præterea hi qui circa Phœniciã & Paleſtinẽ incolunt Iudęi, Arabes.In oriẽtis etiã partibus,ac Cilicibus,& Iſauris, Pyratis latronibúſq; ſuperatis ſui nominis inter Ciliciã & Iſauriã cõdidit vrbẽ.Inter hęc trophæis etiã ſuis quę ſtatuebat in pyrenæo annotãtur octingenta

genta ſeptuaginta vii oppida ab Alpibus ad Hiſpanię vlterioris finem in deditionem à ſe redacta, ciuitates ferme noningentæ, pyraticæ naues cviii, captiui poſt principes pyratarum in triumpho ducti, Tygranes Armenus Tigranisq; filius cum vxore filiáque ipſius regis, rex Iudæorum Ariſtobolus, Mithridatis ſoror cum liberis quinq;, fuſis, fugatis, occiſis, in deditionem acceptis hominum centies vicies ſemel lxxx milibus. Nec huic quidem Cn. Pompeio ad hæc tanta tamq; præclara facinora virtus aut ratio ſuadebat, ſed inſanus amor magnitudinis falſæ, quòd ſi modo vt in Hiſpaniam, modo in truces Lepidi motus & Alpina bella, modo in Sertoriana arma, modo ad colligendos pyratas, maria tot ac varia pacanda proficiſceretur, cauſę per eũ prætexebantur ad continendã potentiam. Quid illum ergo in Aphricam, quid in ſeptentrionem, quid in Mithridatem & omnes Aſiæ angulos traxit, niſi infinita cupido creſcendi, quum ſibi vni parum magnus videretur? Quid Cæſarem in ſua facta pariter ac publica immiſit niſi gloria, & eius ambitio, & nullius ſupra cæteros eminendi modus, quum vnum ante ſe Cæſarem ferre non poſſet? cuius ècontrario ſi quiſpiam ſimili modo velit percenſere res fortiſſimè geſtas, ob quas Deus eſt à veteribus appellatus, immenſum & infinitum quippiam aggrediatur neceſſe eſt. Huic enim primum bellum cum Heluetiis fuit Gallorum omnium fortiſſimis, quibus tantus nedum pugnãdi ardor, ſed rabies erat vt patria profecti xvi eorum vrbibus vicíſque cccc à ſe cõcrematis, ne quid his deſiderii foret ex ſpe reuertendi vlterius, per Romanorum terras obſtinati magis in omnẽ fortunã migrarent, quemadmodum antea Cymbri & Theutones, quibus non audacia, non fortitudine, vlla ex parte inferiores erant. Horum plane multitudo numerúſque cæterarum gentium quæ auxilio illis exierant, in tabulis æneis, quæ in caſtris inuentę ſunt, dictu mirabile, literis græcis inſcríptus erat. Fuerant autem omnis generis hominum capita ccclxviii milia, ex quibus nonaginta & cẽtum bellaciſſimorum erant quos omnis quum apud Rhodanum fluuium obuiam Cæſar habuiſſet magno difficiliſque bello bis vicit, victóſq; ad deditionem coẽgit. Germanos etiam cum eorum animos ſortilegarum vaticinia mulierum nõ committere prælium antè ſinerent quàm noua luna fulgeret, congredi ſatius duxit trepidãtibus, quàm idoneum illis tempus expectantibus. Facto itaque in eorũ munitiones et tumulos impetu, non antè ſtimulare & inceſſere deſtitit, quàm ira deuicti pugnã capeſſerent. His in fugam verſis quorum fertur numerus cccclx milia fuiſſe, Cę ſar ſtadiis cccc aduſque Rhenum perſequẽs, cadaueribus, ſpoliisq; referſit: cęſorum numerum lxxx milia fuiſſe perhibent. Inde confluentis Rheni bis diſiunctiſſimas ripas ponte coniunxit, et primus Romanorum armis Germaniam inuaſit, verùm Barbari ſyluas petere properarunt ac paludes non auſi certare quod pro victoria fuit. Hinc Ariouiſtum Germanorum inſolentiſſimũ ducem vno prælio vicit ac expulit. Idẽ contra ferociſſimos & bellaciſſimos Neruios & Atrebates qui denſiſſimas incolunt ſyluas duxit exercitum. Vbi igitur in profundiſſimo nemore filios ac ſuppellectilem quàm procul ab hoſte collocaſſent, cum lx milibus armatorũ contra Cæſarem repentinos fecerunt impetus, eúmq; caſtra locantem pręlióque abſtinentem offenderunt, & verſo in fugam equitatu

ſeptem

ſeptimã & duodecimam legionem circũuenientes, vniuerſos trucidabant centuriones: quòd niſi Cæſar correpto ſcuto & his qui coram ſe præliabantur detentis, inter barbaros irruiſſet, ac ſubinde quodam ex tumulo decima legio per hoſtiles irrumpens acies periclitanti ſuccurriſſet, neminem euaſurum incolumẽ liquet: ac virtute Cæſaris & audacia ſupra vires (vt dici ſolet) decertantes, haud tamen Neruios dare terga coẽgerunt, verùm fortiter oppugnantes obtruncauerunt. Ex lx enim milibus, quingentos euaſiſſe traditur. Hinc deditiones vrbium ad extremos vſque oceani terminos conſecutæ. Adriatici eodem impetu fortunę profligati, ad quatuor milia cæſa, L. milia vęnundata. Cum Venetis qui ad oceanum terras incolebant nauale prælium & memorabile fuit, & hi quoq; victi & armis ſuperati Equitanorum qui ad defenſionem cum finitimis coniurarant. Fuit & bellum ei cum Belgis vnà cum Germanorum auxiliis, horum copiæ ad cclxxii milia lectiſſima numeratæ ſunt, quibus repentè è ſyluis erũpẽtibus, milites Cæſaris eos excipientes ſumma quidem arte obſtando ad internitionem deleuere, quouſque ad ſua remeare compuliſſent. Domuit præter hos omnem Galliam qtæ inter Alpes, flumen Rhodanum, Rhenumq; & oceanum eſt, & circuitu patet ad bis tricies centena milia paſſuum. In ea ſiquidem nec totum belligerans decennium octingenta viribus cœpit oppida, trecentos ſubiugauit populos, aduerſus trecentas parum inſtructus myriades, centum quidem ferro cæſis, totidem vitæ reſeruatas habuit captiuas: corpore, armis, ſpiritúque terribilem, nomine etiam quaſi ad terrorem compoſito Vercingẽtricem Aluernum Gallorum regẽ fortuna multis ſæpe ac magnis præliis atque conatibus retentata, poſt aliquot certamina horrida hinc inde vario diſcrimine geſta, in Allexia oppido vallo xi milibus paſſuũ circunducto concluſit, donec ccxlviii miliũ armatorum exercitu congeſto, auxilio regis ferme tota Gallia ſurrexerat, & hi quoq; cæſi, fuſi, fugati, qui potuere ad ſua remearunt, Rex ipſe nouiſſime in deditionem redactus, maximum & ampliſſimũ victoriæ decus, depoſito omni faſtu ſupplex cum in caſtra veniſſet, ante Cæſaris genua faleris abiectis & armis, Habe, inquit, fortem virum, vir fortiſſime, viciſti. Inde quaſi hic terrarum orbis non ſufficeret, alterum cogitauit, & in Britanniam tranſuectus, cui ne nomen quidem Romanorum antea cognitũ erat, & de qua nõ parua etiã inter ſcriptores & hiſtoricos contẽtio eſt, cum eã non re ſed verbo ſolũ ac nomine fictam nuſquã extare contendãt, ſubiugare adortus eſt, huiuſq; facinoris audacia magnã illi gloriam peperit. Primus nanq; occiduũ claſſe ingreſſus oceanum perq; atlanticum pelagus ad belligerandũ tranſportans exercitũ annauigare cœpit, mira celeritate trãſuectus armaq; & obſides accepit à trepidis: & vlterius iſſet, ni improbã claſſem naufragio caſtigaſſet oceanus. Reuerſus igitur in Galliã, claſſe maiore, auctiſq; admodum copiis in eundẽ rurſus oceanum eoſdẽ Britannos ſubſecutus eſt, qui tãdem expugnati cũ regibus, victoris iugo ceruicem flexere. Contentus his, non enim puinciæ ſed nomini ſtudebatur, cũ maiore q̃ prius prędа reuectus eſt. Triũphauit quater, vt teſtes fere omnes auctores ſunt, vt certiores, quinquies. Primus triũphus fuit de Gallia atque hac ipſa Britannia, íſq; omniũ clariſſimus. Secũdus de Aegypto, tertius de Pharnace & Ponto, quartus de Iuba & Aphrica, quintus

de Hiſpania.Ego verò adderem ſextum de Maſſilia,niſi quia forſitan iſte trium phus ſub gallico cõtinetur: nam de Maſſilia illum triumphaſſe,haudquaquam eſt dubium cuipiam qui acerrimam illam Ciceronis de Cæſare loquentis querimoniam in libris Officiorum legerunt, Vexatis,inquit,ac perditis exteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperii portari in triumpho Maſſiliam vidimus, & ex ea vrbe triumphari ſine qua noſtri imperatores ex trãſalpinis bellis triumpharunt .Prælia deniq; plura geſſit quàm recenſere quiſpiam poſſit. Huius inquam ductu,vt ab illuſtribus quibuſdam traditum eſt auctoribus vndecies cẽties triginta & duo milia,vel vt ab aliis,vndecies centena nonaginta milia hoſtium cæſa ſunt,ſignis collatis bis & quinquagies,vel vt alii,quinquagies tãtum dimicauit,M.Marcellum ſolus tranſgreſſus qui nouies & tricies,vel vt alii atq; alii, quadragies nouies pari penè modo fuerat præliatus.Quid cętera eius geſta proſequar? His tot bellis exactis,tot laboribus exantlatis,quos nedum pati,ſed ſcribere,ſed legere,ſed audire difficile eſt,victor Cæſar Romam rediit,vrbémq; vacuàm ingreſſus,dictatorem ſe fecit,negatámq; pecuniam ex ærario publico fractis foribus inuaſit:poſtea Pompeium inſecutus,infinitas eius copias cãpis Pharſalicis fugauit. Inde victo, & fugato in Aegyptum Pompeio, cum Alexandrinis terra marique ingens bellorum ei negocium fuit,demũ abſumpto fluctibus rege,victor Cęſar Cleopatram gentis reginam relinquens,per Syriam profectus, reſtituto in regnum minoris Armeniæ Deiotaro,Pharnacem bello victũ Ponti regno priuat.Inde tenuit Aphricam,& poſt aliquot clariſſima bella vnice geſta,tres duces partis diuerſæ Scipionem,Iubam regem,& Labienum proſtrauit. Cato Vticenſis vltro repetitum gladio pectus traiecit.Victor ad Italiã Cæſar rediit,mox ad Hiſpanias conuerſus,apud Mundam ancipiti euẽtu Cn.& Sextum Magni filios expugnat,xxx milibus Pompeianorum cæſis, obtruncato Cneo. Quantum autem his bellis romani ſanguinis fuderit,noluit annotari. Ad ſummum Veſtę pontifex creatus relatúſque eſt in numerum deorum,nõ modo principum auctoritate,ſed opinione etiam populari. Nam ludis quos ibi Auguſtus Cæſar hæres eius inſtituit,crinita ſtella ſeptẽ continuis diebus circa vndecimam horam lucis effulſit,perſuaſumq; credulæ plebi Cæſaris eſſe animam in cælum tranſmiſſi.Huius ſtellę & Virg.poëta meminit in Bucolico carmine, & ſimulacrum ipſum Cæſaris indicio eſt, cuius in vertice ſtella eſt . Poſt hæc Numidici lapidis columna in eodem loco poſita,xx pedum altitudine,Parenti patriæ inſcriptione addita,ad quam ſacrificare,& vouere, & iurare per Cæſarem diutius obſeruatũ eſt. Sed clari ſint licet illi quos antè diximus,clarus Scipio cuius conſilio atque virtute Hannibal in Aphricam decedere coactus eſt,ornetur & alter Scipio Aphricanus qui duas potentiſſimas vrbes imperio romano infeſtiſſimas, Carthaginem,Numantiámque deleuit,habeatur vir egregius, L.Paulus ille cuius currum rex potẽtiſſimus quondã & nobiliſſimus Perſes honeſtauit, ſit æterna gloria Marius,qui bis Italiam obſidione et metu ſeruitutis liberauit,miris tollatur in cælum laudibus,cui cum vel dictatoribus vel coſſ.Macedonũ rege Alexandro in Italiam traiecturo erat dimicandũ,M.dico Valerium Coruũ, Caium Martium Rutilium,Caiũ Sulpitiũ, T.Manlium Torquatum,Q.P.Philonẽ,L.

Papyrium

Papyrium curſorem, Q. Fabium Maxi. duos Decios, L. Volumnium, M. Coruum lõga belli experiẽtia Philopœmenem celebret, anteponatur omnibus Pompeius, cuius res geſtæ atque virtutes iiſdem quibus ſolis regionibus, curſu ac terminis continentur, Iulius tamen Cęſar in rebus bellicis, nec illis, nec his profectò, nec vlli hominum ſecundus fuiſſe memorabitur. Ita nanque de eo per Eutropium ſcriptum eſt, Vir quo nemo vnquam bellis magis emicuit. De huius etiam bellica virtute atq; præſtantia etſi abunde ſit dictum, non eſt tamẽ omittendum aliud Ciceronis teſtimonium, quod vulgatiſſimum omnibusq; notiſſimum ſit, tamen & clariſſimum eſt ſimulq; veriſſimum, Soleo ſæpe, inquit, ante oculos ponere, idque libenter crebris vſurpare ſermonibus, omnes noſtrorũ imperatorum, omnes exterarum gentium potentiſſimorumq; populorum, omnes regum clariſſimorum res geſtas, nec contentionum magnitudine, nec numero pręliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum poſſe conferri, nec verò diſiunctiſſimas terras citius paſſibus cuiuſquam iam potuiſſe peragrari, quàm tuis non dicam curſibus, ſed victoriis illuſtratæ ſunt. Neq; vt alibi idem Cicero inquit, ſi tuę res geſtę cæterorum laudibus obſcuritatem attulerint, idcirco Cn. Pompeii memoriam amiſimus, quantum nomen ipſius fuerit, quantę opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores Po. Ro. quanti ſenatus. quanti tui, quis ignorat? tanto ille ſuperiores vicerat gloria, quanto tu omnibus pręſtitiſti. Itaq; Cn. Pompeii bella, victorias, triumphos, conſulatus admirantes numerabimus, tuos enumerare non poſſumus. Et quoniam in quo maxime conſtet hæc ducum excellentia immẽſæ quæſtionis eſſe ſolet. Plutarchus tertius eòdẽ clariſſimus teſtis accedat, Summorũ, inquit, virorũ & clariſſimorum ducum neminem huic bellatori imperatori pręponendum cenſeas. Nam ſi quis Fabios, Scipiones, Metellos, & ætatis ſuę, & paulò ſuperioris duces, Syllam, Marium, vtrũq; Lucullum, & ipſum deniq; Pompeium, cuius omnimoda in re militari virtus & gloria ad cælum vſque perfloruit, comparandos duxerit, eos profectò Cęſaris geſta ſuperant. Quòd ſi præter hos alios quoque quoſdam intueri libet, Tarquinium Superbum, Regulum, Fabricium, Curium, atq; Camillum, Oratio Flacco quarto etiã grauiſſimo teſte, micat inter omnes ſidus, velut inter ignes luna minores. Ouidius quoque ad hæc, nec ſpernendus, nec ſubticendus auctor in faſtis, Magne tuum nomen rerum eſt menſura tuarũ, Sed qui te vicit nomine maior erat. Denique Solini vltimi teſtis verbo fretus, vt omnes huius imper. laudes compelctar, quantum inter milites Sicinius aut Sergius, tantum inter duces, immo vt verius dicam, inter homines omnes Cæſar dictator enituit. Catonum deinde ſi nobis inter maximos duces ſermo habendus, impaui dus profectò, & inter hos duos Cæſarem & Pompeium inceſſens erit Vticenſis ille, ciuili ſe bello inſerens: huic enim obuium non alium quempiam aſſignauerim. Altius certe nemo progredi potuit, quàm qui ſimul in illa reipub. trepidatione contra vtrũq; ſe ſuſtulerit, & aliis cæſarianas opes, aliis pompeianas ſibi vouentibus vtroſq; contempſerit, prouocauerit q;, ac oſtẽderit eſſe alias reipub. partes. Eleganter & compoſite etiam Criſpus Saluſtius cõmemorat, illam rempub. non habuiſſe quẽpiam virtute magnum, ſed memoria ſua ingenti virtute & di-

uersis moribus fuisse duos magnos & præclaros viros, M. Catonem & C. Cæsarem: alterũ seuerum, clementem alterum: constantem illum, hunc facilem: illum nihil largientẽ, hunc affluentem copiis omnibus. In huius etiam laudibus posuit, quòd sibi magnũ imperium, exercitum, bellum nouum exoptabat, vbi virtus enitescere posset. Ita fidebat in votis virorũ virtute magnorum, vt exercitaret in bellum miseras gentes, & flagello agitaret Bellona sanguineo, vt esset vbi virtus eorum enitesceret. In alterius autẽ commendatione si animo complecti volueris eius imaginem, animaduertes Atridem Priamũq; & seuũ ambobus Achillem: vtrunq; enim improbãs hãc verã de vtroq; tulit sentẽtiam, ait enim, si se Pompeius vicerit exulaturum, si Cæsar moriturũ: quod cum victore Cæsare mature pararet, admirari libet illius vltimum vulnus, ac nobile lætum, per quod, vt Seneca inquit, libertas amisit animã, vtq; omnem deniq; viri & ducis huius dignitatem in vnum coẽgerim pariter & gloriam, alterius romanæ scriptoris historiæ sententia fretus, Si veris magna paratur Fama bonis, et si successu nuda remoto Inspicitur virtus, quicquid laudamus in vllo Maiorũ fortuna fuit: quis Marte secundo, Quis meruit tantũ populorum sanguine nomen? Hunc ego per Syrtes, Libyæq; extrema triũphum Ducere maluerim, quàm ter capitolia curru Scandere Pompeii, q̃ frangere colla Iugurthæ. Ecce parens verus patriæ, digniſſimus aris Roma tuis, per quem nunquàm iurare pudebit, Et quem si steteris vnquam ceruice soluta, Nunc olim factura deum. Alterius & primi Catonis illius Porcii, domi, foris & militiæ, laudum plena sunt omnia. Egregium enim & summum præter sapientiæ nomẽ in qua nulli mortalium cessisse creditum est, magna hic & ingenti literarum illius temporis peritia ac eloquentiæ claritate fuit: nõdum enim latinæ linguæ splendor ad summũ & vltimum dignitatis suę culmẽ ascenderat, quod sub Cicerone factum vult Seneca. Censura & triumpho simili modo cæteris nec inferior, pręceptis omniũ rerũ expetẽdarũ ac seorsũ rei militaris datis generi romano. Inter prima verò agri colendi illius æui confessione sine æmulo agricola optimus fuit, & quæstor fortissimus, iustissimus prętor, tribunus militũ præcellẽs. Tres quoq; res in homine summas præstitisse legit, vt optimus orator, optimus senator, & optimus impator existimatus sit, quas omnes etsi non prius, attamẽ clarius fulsisse in Scipione Aemiliano nõ dubiũ est. Sũma etiã pręter illa quę diximus virtus Catonis Consulis in Celtiberorũ bello fuit, q̃ppe qui plura se oppida cepisse q̃ in Hispania dies egisse cõmemorat, eáque haud sanè iactantia est, si re vera quadringenta fuere. Fuit, vt fertur, summa quędã inter Cęsarẽ, et M. Antonium comparatio: nam cum ludis relaxandi animi gratia ambo persæpe occuparentur, vt aleis, aut perdicum, vel Gallorum certamine, & aliorum animantium, semper ab Antonio abiisse victorem eum constat: vnde non ab re quidam ex consuetis augurio sæpenumero monuisse eum his verbis visus est, Quid rei est tibi Antoni cum illo adolescente? Cæsarem indicans, fugæ ipsum: clarior enim licet sis, & seuerior, dignitate plurimũ domineris, bellisq; magis insudaueris, & plurimarum rerũ vsu excellas, tuus tamen genius tuũmq; fatum huiusce genium fatúmque reformidat: tuáque fortuna in seipsa permagna præclaráque licet sit, illius tamen fortunæ vsquequaq; blanditur. Hærent in superioris

Aphricani dicto vii C.Marii cõſulatus, immo reuera non ſeptẽ,ſed vnus,quum cæteros præter vnum minus acceperit,ſed rapuerit.Inhærent & duo ſpecioſiſſimi triumphi.Nam quum apud Numantiam ſub eo duce equeſtri ſtipendio mereret,& forte vt fit inter cœnandum quidam Scipionem interrogaſſet,ſi quid illi accidiſſet, quẽ nam reſpub.æque magnum habitura eſſet imperatorem,reſpiciens ſe ſupra ipſum Marium cubantem,Vel hunc dixit: quo dicto perfectiſſima virtus maximam orientem virtutem viderítne an certius acciderit perpẽdi vix poteſt.Illa nimirũ cœna militaris ſpecioſiſſimas tota in vrbe futuras cœnas Mario ominata eſt. Quum enim poſt Aphricam ſubactã & Iugurtham regem ante currum ductum,Theutonicorum exercitum deletum per Marium conſtet,ac porrò cc milia Cymbrorum cæſa, lxxx per eum capta cum duce Hermodo in initio noctis nuncium retuliſſet, nemo fuit qui non illi tanquam diis immortalibus apud ſacra menſæ ſuæ libauerit. Subit in hac reputatione M. Claudius Marcellus qui primus Hannibalem vinci poſſe docuit, ingentis ardentiſq; animi vir, bellator acerrimus vnus ex paucis, inq; omni clarus hiſtoria,ſed imprimis Virgiliano carmine nobilis: ſic enim de hoc loquens ait, Aſpice vt inſignis ſpoliis Marcellus opimis ingreditur, Victórque viros ſupereminet omnes. Plura quidem viri huius & ducis in laudem dici poterant,plus autem haudquaquã. Quid eſt enim homini,et quid eſſe poteſt amplius quàm omnes excellere? quanquam id Virgilius non tam veri ſtudio dixerit,quàm laudandi illum alterũ gratia qui hunc ibi ſequitur Marcellum, Octauiæ ſororis Auguſti filium: multos enim iſte,ſed omnes haud dubie nõ excellit.Non indignabuntur ſuperiores romanorum,exterarũ gentium pręter Hannibalem duces,ſi inter eorum eximium fulgorem Q.Fabius Maxi.ſe iterum immiſcuerit,tũ quòd romani generis prudentiſſimus habitus eſt(nondum enim Cato Cenſorius famæ huius primum locum præoccupauerat) tum quòd huic ipſi Cato idem apud Ciceronem clarum magnæ ſapientiæ ac virtutis teſtimonium præbet. Apprime autem honeſtatus eſt illo Ennii carmine notiſſimo,Vnus homo nobis cunctãdo reſtituit rem.Non hic rumores ponebat ante ſalutem. Ergo póſtque magiſq; viri nunc gloria claret. Nota ſunt reliqua quibus hoc famæ decus Maximíque cognomen iure ſibi debitum,etiam ſi ab eo ortũ,eſſe cenſeri poſſet.Et quanquã huius viri plura conſilia q̃ pręlia memorentur, nõ deſunt tamen prælia & ad æquandã aui gloriam Fabii Maxi. Rutiliani qui haud dubie victoriarũ numero & magnitudine pręliorũ ſuperior fuit. Vnum hoſtẽ Hannibalẽ,quem mora & patientia fregit, ſatis eſſe vult Liuius,inter romani ducis laudes magnum hoſtis et ſingulare pręconium. Q.etiã Catullũ in hoc ſummorũ imperatorũ numero & præcellẽtia po. rovoce ſua ad ſidera vſq; produxit.Nam quũ ab eo pro roſtris interrogaretur,ſi in vno Põpeio Magno omnia rẽponere pſeueraret, aſſumpto illo ſubiti caſus incurſu,in quo ſpẽ eſſet habiturus,ſummo cõſenſu acclamauit,In te,iudicioq; tali Magnũ Pompeium cũ omnibus ornamentis quę paulò ante retulimus duarum ſyllabarũ ſpacio incluſum, Catullo æquauit.Merito etiam huic cõmemorationi præcipuũ L.Marius,inuſitati decoris exemplum adiicitur,quem equitẽ romanum duo exercitus, P. & Cn. Scipionum interitu, victoriáque Hannibalis la-

cerati ducem legerunt, quo tempore ſalus eorum in vltimas anguſtias deducta nulli ambitioni locum relinquebat . Adiicietur & aliud pulcherrimum maximarum optimarumq; rerum L.Metelli vnicum exẽplum, pontificis imprimis, bis deinde conſulis,dictatoris,magiſtri equitum,agris diuidendis vigintiduûm viri,ſummi ſenatoris,oratoris optimi, primarii bellatoris, imperatoris fortiſſimi,ſapientiſſimi denique & ditiſſimi, clariſſimaq; in vrbe ſua ciuis,quæ ſibi ſimul ſoli contigiſſe nec vlli alteri ab vrbe condita,ſatis conſtans opinio eſt. Alterum L. Syllam qui fœlicitatis nomen aſſerendum ſibi putauit,neq; laudare,neque vituperare quiſquam ſatis digne poteſt. Dum enim quærit victorias,Scipionem ſe popu. ro. quum exercet ſæuitiam,Hannibalem repræſentat. Auguſtus etiam rariſſimum virtutis ornamentum ſe inter ſtrenuiſſimos fœliciſſimóſque duces & principes digne quidem enumerandum tradit . Decimum enim & ſeptimum annum agens, comparatis exercitibus,Hyrcio & Panſa coſſ.aduerſus Marcum Antonium & Decium Brutum tunc Mutinæ obſidentem pro prætore miſſus,primo licet conflictu parũ proſpere geſto,interempto Panſa,& ſecundo prælio exanimato Hyrcio,ferox iuuenis ſuperſtes deuictum fugauit Antonium, Romamq; reuerſus ſenatui ſe inuiſum quum videret,aduerſus ingratiſſimos ciues cum Lepido et Antonio ſe coniunxit,vbi coſ. creatus,relicto Lepido cum Marco Antonio,interfectores Cęſaris Caſſiũ & Brutum inſecutus in Græciam,tenuit Emathiam,poſtremo vi et armis ſuperati parricidę,inter tres viros tripartito imperio, Aſiam tenuit Antonius,Lepidus Aphricã, Octauianus Europam. Hæc inter L. Antonius coſ. M. Antonii frater vrbem hoſtiliter inuaſit, imperioſum iuuenem oppreſſurus, quem prælio victum ac fugatũ Peruſiæ obſeſſum,impellente fame,viribus ſuis Octauianus ſuccũbere coẽgit. Inde Sextum Pomp . Magni filium, qui infeſtatione pyratica vndique maria terrore cõpleuerat trecentarum nauium claſſe toto mari diſperſa , expugnatum reddidit, in fugam verſum,eodémq; ſucceſſu cum Lepido qui ex Aphrica multitudine armatorum venerat occaſione data in Sicilia conflixere , ibíque victor míſere vitam implorãti remiſit. Ad Adriaticum littus profectus,Illyricos, Liburnos,Dalmatas vincere maturauit: ad Actium deinde Græcię promontorium, vbi cum regina Cleopatra ducentarum nauium claſſe M. Antonius venerat armis petiturus Italiam,ad ſummum cladis terreſtri naualíque prælio certatum eſt: denique Auguſto victore Antonius cum regina , infauſta vela in Aegyptum dedere. Octauianus eum inſecutus penes ipſum Pharũ deleuit. Victor ad Italiam profectus bis ouans,poſt Philippenſe,rurſus poſt Siculum bellum,de Dalmatia ſiue Illyria , deq; ad Actium victoria & Alexandrina triplici curruli triumpho continuoq; triduo vrbem introiit , clauſo Iano,pacis indicio. Cæterùm diutius quieſcere non potuit,rebellione gentiũ concitus. Recluſo igitur Iano ad Hiſpanias extremáque oceani littora traductus,ad Cantabros & Aſtures,ſub iugo romano ceruices reflectere coëgit,et totam peruagatus prouinciam,terrore armorum docuit ſeruare mãdata. Sarmatæ ſimul & Parthi qui inter ſeptentrionem & ortum ſolis terras incolunt,ad Auguſtum ſe ad obſequia paratos miſerunt. Tigranem in Syria à Cæſaris Auguſti legato victũ pœnituit defeciſſe. Ad orientem

entem deinde per legatos omnibus pacatis,ex occiduo littore & Hiſpania Romam reuectus Ianum deintegro clauſit, quem paulò pòſt reſerare opportunum fuit,indéque ad arcticum polum ire coactus, vbi ferociſſimæ gentes cõtrà facere auſæ erant,ideoq; Vindelicos,Salaſſos,Germanos,Marcomanos, Sueuos, Sicambros,& quicquid citra vltraq; Rhenum,Danubiúmve Barbaria effera ſpectat ſic perdomuit,vt enixè paterentur imperia.Ad meridiem conuerſus,Getulos vicit,& Garamantes, & Marmaridas, & quicquid ad auſtrum pacãdum reſtabat cõpoſuit. Nec eſt de reliquis prouinciis aliqua præter Aphricã & Sardiniam, quã non ille adierit,ſine exemplo rerũ potitus,totq; demũ ſubactis,Romæ quum eſſet, terra mariq; pace parta,Ianum Quiritum tertio firmauit, & perpetuus dictator ac patrię pater factus eſt,fœliciſſimus omniũ principum,necdum aliorũ ſed ſuo etiam iudicio habitus eſt . Nam quum nepotem in militiam deſtinaret,à diis optauit vt illi fortitudinem Scipionis,beneuolentiam Pompeii,ſuíque ipſius fortunam darent, veluti ſibiipſi permaximum opus fuiſſe fortunam diceret. Præter ipſius fortunam,ſimilem denique ei ducem vt nulla vnquã tempora tulerunt,ſic nulla forent,po.ro. ſententiæ ſi credimus,grauiſſimíque poẽtæ Flacci dicentis,

Præſenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasq; tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum aliàs,nil ortum tale fatentes,
Sed tuus hic populus ſapiens & iuſtus in vno,
Te noſtris ducibus,te graiis anteferendo.

Hæc de ducũ pręſtantia ſuperioris æui pauca quędã attigiſſe ſat ſit,Nino,Libero,Caſtore,Polluce Herculéq; deinduſtria omiſſis:ea enim eos ſingulari amplitudine fuiſſe ſinguli fatentur, vt omnium quæ memoria hominũ complexa eſt res geſtas ſuperare videantur. Quiſquis verò tantorum clariſſimorum quos diximus ducum & imperatorum rebus geſtis acta recentia comparanda cõtumaci ac proterua obſtinatione duxerit ,à vetuſtatis veritatisq; omnis cognitione alienus ſit neceſſe eſt.Ego enim hanc ducũ præcellentiam noſtris & temporibus et ducibus deferendã maxime cuperẽ,ſed vafra & callida maiorũ noſtrorũ conſilia, admirabilemq; illam & incredibilem ac pene diuinam rerum militarium gloriam animo mecum ipſe voluens,velut ęquus arbiter omni vtrinque affectu vacuus,cui iure quodam ſuo comparanda ſint inuenio neminẽ. Cæterum,ſtrenuiſſime dux,Sigiſmunde Pandulphe,quum fiat inter claros et illuſtres viros,vt perſæpe ſolet,non iniocunda ſuperſtitum concertatio ducum , qui rei militaris peritia,qui armorum exercitatione, qui præliorum numero , qui nationum ac hoſtium varietate,qui probitate,qui prudentia,grauitate,fide,conſtantia,animi magnitudine,celeritate, cæterisq; præclaris monumentis & imperatoriis virtutibus digniores cenſeantur,maioribúſque illis propius videantur accedere,aliiq; alios quoſque noſtræ ætatis in medium vnúmque locum conferant,ſemper cæteris te deniq; ſine controuerſia probabilibus adducti rationibus nõ ſolum prę-ferunt,ſed ſummos quoque & maximos,retúmque huiuſcemodi gnaros homines,ac aliorum omnium mortalium fama celebres,ſecum in eandem ſentẽtiam

trahunt:

trahunt: quanquam hoc minime dubium esse debeat, sed luce clarius, cuiuis recte rerum tuarum cumulū recensenti, quum solus laceram et infractam tot bellorum incendiis hactenus Italiam atque ruinam extremam minitantem, humeris tuis velut Atlas cælum, ne in se ipsam funditus tota collaberetur, in auxilia hinc inde accitus ipse sustuleris. Nota quin ita etiam sunt illa, quæ hoc aspero & difficili temporum curriculo, pro clarissimo imperatore Francisco Sphortia in eius tutelam aduersus Eugenium, Pontificem Maximum, quæ pro Eugenio aduersus hunc ipsum strenuissimum ducem, quæ pro illustrissimo Taraconensium rege Alfonso, quæ pro Insubrium, Genuensiumq; bellicosissimo duce Philippo Maria, quæ denique ab vtriusque superi atq; inferi maris littore pro Florentinorum, Venetorumq; ac Senensium, potentissimarum rerum publicarum amplitudine, splēdore ac gloria, virtute animi, aut dextrę robore passim & vbique cōgrediendo, audendo, agendo perpessus es, vt omnibus non solum nostris, sed exteris nationibus, et remotissimis populis inter excellentissimos ac probatissimos imperatores, qui bellicosissimi & strenua manu docti sint, iuxta Homerum, tradere equos pugnæ peditumq; furoribus vti, ipse primus facile videare.

Pœnæ desertorum, & militum animaduersio uaria, ducibus non obtemperantium, Cap. XVI.

IN eos verò qui ducis aut legis minus obtemperasse n tarbitrio, varia dissimilisq; animaduersio procedebat. Nam alii in fortuna, infamia alii, atque alii in sanguine lędebātur: & quoniam acerbitas vlciscendi plerunque maleficii, pœnarúmq; formido, bene atque caute viuendi disciplina est, violatæ fidei quā semper maiores nostri maximi fecere sumemus initia. Historia de Metio Suffetio Albano nobis ignota non est, quoniam pactum atq; condictum cum Tullo rege po.ro. perfide ruperat, binis quadrigis euinctus in diuersa nitentibus laceratus est: nouum sane atque asperum supplicii genus. Dissectum enim antea fuisse apud Romanos, neminem equidem neque legi, neq; audiui. Et quoniam nihil videri potest efferacius, nihil ab hominis ingenio diuersius, quàm quòd mēbra & artus breuissimo laniatu distrahantur, restat vt quod de sectione partitionéque corporis inhumanissimum visum est, rationem breuibus reddamus. Omnibus quidem virtutū generibus exercendis colendísq; po.ro. è parua origine ad tantæ amplitudinis instar emicuit, sed omnium maxime atque præcipue fidem coluit sanctámque habuit tam priuatim quàm publice. Sic consules, clarissimos viros, hostibus confirmandæ fidei publicæ causa dedit: sic cliētem in fidem acceptū cariorem haberi quàm propinquos, tuendumq; esse contra cognatos censuit, neque peius vllum facinus existimatum est, quàm si cui probaretur clientem diuisum habuisse. Hanc autem fidem maiores in officiorum militarium vicibus, vsu atq; commercio maxime sanxerūt, quòd aliter totius rei militaris disciplinę neruos adimi putarent, si hominum perfidia sine immani & horrenda pœna eluderet: in aliis constat, nulli gentium mitiores pœnas placuisse. Sic Aurelius Cotta cos. quum ad opus equites necessitate cogente iussisset accedere eorúmque pars detrectasset imperium, questus apud censores effecit vt â patribus notarentur, deinde obtinuit ne eis propterea æra procederent, quos quia stipendium menstruale vel annuum

ignomi

ignominiæ cauſa adimebatur,dirutos ære appellabant antiqui,quòd æs diruebatur in fiſcum,non in militis ſacculum. Artaxerxes Arbacem quendam, medum hominem,qui in prelio ad Cyrum defecerat ac rurſus eo mortuo rebellarat,quum eum ignauiæ non proditionis neque ſimultatis reum ſtatuens cõdem naſſet, iuſſit nudum ſcortum impoſitũ ceruicibus diem totum in foro circunferre. Alterius verò quòd ad defectionem duos quoque ex hoſtibus ſe aditurum pollicitus in mẽdacio deprehenſus eſſet,linguã tribus clauis affigi iuſſit. Quum Hannibal Pœnus cum exercitu in Italia eſſet,& aliquot pugnas po.ro.aduerſus pugnaſſet,primi totius Italiæ Brutii ad Hannibalem deſciuerũt,id romani egrè paſſi poſteaquam Hannibal Italia deceſſit ſuperatíque Pœni ſunt, Brutios ignominiæ cauſa non milites ſcribebant nec pro ſociis habebãt, ſed magiſtratibus in prouincias euntibus parére & præminiſtrare ſeruorum vice iuſſerunt: itaq; hi ſequebantur magiſtratus tanquam in ſcenicis fabulis qui dicebantur lorarii, aut quos erant iuſſi vinciebant,aut verberabant. Appii Claudii ſententia ſenatuſq; conſultum omnes qui à Pyrrho rege Epirotarum capti,& poſtea ab eo vltro remiſſi erant, decreuit vt ex his qui equo meruiſſent peditum numero militarent: qui pedites,funditorum auxiliis adſcriberentur, néve eorum cuipiam ad priſtinum tandem militiæ ordinem liceret redire, niſi bina quiſque ſpolia ex hoſtibus reportaret. Fuit & antiquis quoq; animaduerſio militaris, iubere ignominiæ cauſa militi venam ſolui & ſanguinem mitti: cuius rei rationem etſi in veterum libris haudquaquam potuerunt inuenire,hoc tamen pòſt factum opinati in militibus ſtupentis animi & à naturali habitu declinantis,vt non tam pœna quam medicina videretur, poſtea tamen ob pleraque alia delicta id factum eſſe credunt per conſuetudinem, quaſi minus ſani viderentur omnes qui contra officium deliquiſſent. Craſſus is qui à Sempronio Aſellione & à pleriſq; aliis hiſtoriæ romanæ ſcriptoribus traditur habuiſſe quinque rerum bonarum maxima & præcipua,quòd ditiſſimus,quòd eloquentiſſimus,quòd nobiliſſimus, & iureconſultiſſimus, quòd pontifex maximus eſſet,cum conſulatu obtineret Aſiam prouinciam & circũſidere & oppugnare Leucas pararet opusq; eſſet firma & procera trabe qua arietem faceret quo oppidanorum muri quaterentur,ſcripſit ad magiſtrum græcum,maiorem Athenienſium ſociorum,amicorum po.ro.vt ex malis duobus quos apud eos viderat maiorẽ ei mittere procuraret: tunc magiſter græcus cõperto quamobrem malum deſideraret, non vti iuſſerat maiorem,ſed quem magis eſſe idoneum aptiorémq; faciendo arieti faciliorémque portatu exiſtimabat,minorem miſit. Craſſus eum vocari iuſſit,& quum interrogaſſet cur non quod iuſſerat miſiſſet, cauſis rationibúſque quas dictabat ſpretis,veſtimẽta detrahi iuſſit virgíſque cecídit, corrumpi atque ſolui ratus omne officiũ imperantis, ſi quis ad id quod facere iuſſus eſt, non obſequio debito,ſed conſilio non deſiderato reſponderit. L.Papyrius dictator Q.Fabiũ Rutilianum magiſtrum equitũ, quòd aduerſus dictũ eius quàmuis fœlici pugna dimicaſſet, Samnitibus fulis,virgis tamen cæſum popoſcit,ſecuri percuſſurus,& contentione aut precibus exercitus occaſionem Fabio confugiendi in vrbem dedit,eumq; profugientẽ Romam proſecutus eſt,ne ibi quidem remiſſo ſupplicii prius metu

quàm

quàm ad genua eius & Fabius cũ patre prouolueretur, & pariter ſenatus ac populus ro. rogarent: teſtatus tandem eam pœnam non Fabio, ſed populo & tribunorum concedere poteſtati. L. Calfurnius Piſo coſ. quum in Sicilia bellum aduerſus fugitiuos gereret,& T. equitum præfectus fugitiuorũ,multitudine hoſtium circunuentus arma tradidiſſet,his præfectum ignominiæ generibus affici iuſſit,Eum toga laciniis abſciſſis amictum, diſcinctaq; tunica indutũ nudis pedibus totum diem ad principia vſq; per omne tempus militiæ quo ab eo meruerat adeſſe iubens, conuictu hominum,balneorum vſu, turmisq; equitum ac equis quibus præfuerat ademptis,in funditorum alas tranſcripſit. Q. etiam Fuluius Flaccus cenſor Fuluium fratrem cohortem legionis in qua tribunus militum erat iniuſſu conſulis domũ dimittere auſum ſenatu amouit. T. Manlius Torquatus filium quòd is cõtra edictum cum hoſte Gemino Metio Tuſculanorum duce,inſcio vel ingnaro patre prouocatus pugnauerat, quamuis victorem,in cõſpectu exercitus cęſum,ſecuri percuſſit. Poſthumius Tyburtius dictator, A. Poſthumium & filiũ quòd nõ ſuo iuſſu,ſed ſua ſpõte ſuos egreſſum hoſtes fuderat, victoriæ gloriã licet reportaſſet,ſecuri percuti iuſſit. Nec minus animoſe A. Fuluius ſenatorii ordinis euntem in aciem filium iniuſſu ſuo è vita ſuſtulit, quàm T. Manlius, aut Poſthumius dictator. Iuuenem nanque ingenio,literis, & forma inter æquales pręſtantem prauo conſilio Catilinæ familiaritatem aſſecutum, inq; caſtra eius temerario impetu ruẽtem in medio itinere abſtractum vltimæ pœnæ ſupplicio affecit, præfatus non ſe Catilinæ aduerſus patriam,ſed patriæ aduerſus Catilinã genuiſſe filium. Milites autem qui hoſtium caſtra iniuſſu principis aggredi eſſent auſi exauctorauit omnes Claudius,ſecundus eius nominis imperator,eóſque Romam vt digne punirentur miſit,ſicq; in bello ſæpius ſeueriúſque vindicatũ eſſe conſtat apud maiores noſtros in eos qui contra imperium in hoſtem pugnarunt,quíque tardius reuocati prælio exceſſerunt,quàm qui ſigna relinquere aut pulſi loco,cedere auſi erant. Q. Fabius Maximus & ſi tranſfugarum dextras qui & in præſidiis Romanorum ad hoſtium ſtationes cõfugerant ipſe aliquando præcidit,vt defectionis metum reliquis iniiceret,ſuapte tamen natura & clementia defectiones prohibendas placandasq; eſſe manſuetudine ac miti oratione cenſuit,neque omnem ſuſpicionem accuſare atq; omnino omnibus ſuſpectis moleſtum eſſe. Nam quum animaduertiſſet, militem quendam Marſum fortitudine & genere inter ſocios primarium defectionis accuſari,nullam in eum animaduerſionem egit, ſed cum ſineret ſe præter dignitatem neglectum iri, Tunc, inquit, duces ad gratiam ineundam potius accuſantur,quum pro eorum virtute honores impartiantur: deinde illum accuſauit, qui nulla in re officium eius expoſcebat. Hæc enim cùm dixiſſet,acerrimo equo, aliiſq; muneribus eum ornauit: quare exinde virũ ſibi fideliſſimum ſtudioſiſſimúmque effecit. Apud eundem Fabium quum miles Lucanus eſſet accuſatus quòd mulieris amore noctu ſæpe à caſtris vagaretur, cæterùm mirabili armorum virtute vir eſſe narraretur,quã deperibat comprehẽdi ea clam iuſſit,& ad ſe adduci: vt autem adducta eſt,accerſito homine, quòd præter legem, inqt,pernoctaret haudquaq; nos latuit,ac ne prius quidẽ latuerat q; ꝑbitati ſtu-

deres

deres,quare fortiter ac recte factis errata cõdonẽtur : reliquũ nobiſcũ eris,habeo enim ſponſorem,& adductã mulierculam ei cõmendauit,ac tradidit.Non ſinit nos Q.Fabius Max.inter has rei militaris pœnas hoc in loco de te ſilentium facere,Sigiſmunde, quòd militum peccata more ſuo neque obſerues omnia, neq; meritis ac debitis eos pœnis proſequaris,verùm ex induſtria permultas diſſimules,ſciens genus hominum ad peccandum pronum , nec facile naturam & conſuetudinem eorum inueteratã extirpari poſſe,vtq; laſciuiæ & lætitiæ frena perſæpe relaxas,ſic quum hoſtis in propinquo eſt,ſegnes,contumaces,deſides,negligentes,ſeditioſos,ac deſertores ſeueriſſime punis, quòd hæc vitia non ad ſingulorum mores tantum, ſed ad ſummam rerũ & omnium ſalutem pertinere intelligas.Illud etiam ſemper tibi innatum & ingenitum intelleximus, vt vehementer vſque dolueris pro erratis militum & aduerſum quẽquam arma ſumi oportere: contrà verò lætari admodum, abs te plurimos ſeruatos & exornatos iri : & quod diuini muneris eſt,hac ſua ſeueritate non hominum interitum cupere,ſed ſalutem potius ſingulis pro virili pręſtare velle. Admirantibus autem multis ac reprehendentibus quòd vt mitis nimium ſis, ita & truculẽtus nimis & atrox aliquando videare,reſpõdere ſoles crudelitatem ſcilicet nemini minus quàm principi conuenire,imperatorémq; exercitus vt victoria potiatur potius timendum eſſe quàm hoſtem . Iulius Cæſar oborta ſeditione militũ paucis percuſſis caſtra ſedaſſe legitur,& fidem militum reparaſſe: vbi verò ſacrificia committerent militiæ,milites ſuos fertur compeſcuiſſe, maxime quando vrbem ingreſſos non licuit homines ſpoliare,aut templa deorum, quod eis poſtmodum ingraueſcente ſeditione exprobrauit. Numinibus nanque Romanis ciuibusq; iurati impugnare non poterant quæ ſacramento militiæ ſuſceperant defendenda . Qui autem tali ignominia notabãtur milites,nec ęra percipere,nec militaribus gaudere priuilegiis, nec habere aliquod cum gladio telóque commercium, neque porro ad cingulum reſtitui fas erat , niſi eos antè præ cæteris virtutũ meritis inſignirent. Auguſtus militarem diſciplinam ſeueriſſime rexit,legiones contumacius parentes,ac immodeſtè miſſionẽ poſtulantes dimiſit exauctorauitq; . Cẽturiones item ſtatione relicta,itidẽ vt manipulares capitali animaduerſione puniit. Pro cætero autem delictorum genere variis milites ignominiis affecit,vt ſtare per totum diem iuberet ante prętorium,interdum tunicatos diſcinctóſque,nonnunquam ceſpitem portãtes.C.Curio bello Dardanico circa Dyrrhachium quum vnam de quinq; legionibus ſeditioſam vidiſſet, eam procedere iuſſit inermem,diſcinctámque in conſpectu armati exercitus ſtramenta coẽgit ſecare. Poſtero autem die ſimiliter foſſam diſcinctos milites facere , nulliſque precibus legionis ab eo impetrari potuit, ne ſigna eius ſubmitteret nomenq; aboleret,& milites in ſupplementum aliarum legionum diſtribueret. L.Domitius Corbulo in Armenia duas alas,& tres cohortes quæ ſecum ad caſtellum initio hoſtibus ceſſerãt,extra vallum iuſſit tendere, donec aſſiduo labore & proſperis excurſionibus redimerent ignominiam.P.Cornelio Naſica, Decimo Iulio coſſ. qui exercitum deſeruerant damnati,virgisq; cæſi publicè vænierunt. M.Cato ab hoſtili littore in quo per aliquot dies mãſerat,cũ tardo profectionis ſigno claſſem ſoluiſſet,& reli

ctis è militibus quidã acerrima voce et geſtu expoſtularet vti tolleretur,circumacta ad littus vniuerſa claſſe comprehenſum ſupplicio affici iuſſit,& quem occiſuri per ignominiam hoſtes fuerant,exemplo potius impendit.L Paulus,Perſa rege ſuperato, externorum quoſdam tranſfugarum elephantis conculcãdos cenſuit. Aphricanus item poſterior euerſo punico imperio, eiuſdem generis & culpæ hominis in edendis populo ſpectaculis feris beſtiis obiecit.Eundem cenſorem declaratum , ferunt adoleſcentem priuaſſe equo quoniam ſumptuoſè in cœna quo tempore Carthago oppugnabatur placentã melle confectam quam in vrbis ſimilitudinẽ formarat,& hanc Carthaginem appellarat,conuiuis prę-poſuit rapinæ , percũctantiq; adoleſcenti quam ob rem equum ſibi abſtuliſſet , Prior quàm ego,Carthaginem, inquit, diripuiſti. Xerxes Perſarum rex Phitio quinq; filiorum patri vnius vacationem petenti,quem vellet eligere permiſit,deinde quem elegerat in partes duas diſtractum ab vtroq; latere vię poſuit,& hac victoria luſtrauit exercitũ.Actiſanes Aethiopum rex Aegyptiis in deditionem ſuam redactis,ſumma eis ęquitate imperauit. Latrocinia enim nouo more conpeſcuit,ſontes neq; morte plectens, neque linquẽs impunitos,iudicio conſtituto, reos omnes in vnum cogens miti ſentẽtia damnauit. Amputatis enim naribus in vltimam deſerti ire eos compulit,ibiq; ciuitatem condidit ab exciſis naribus Rhinoceram appellatam . Aſſuerus quum cuperet famam & ſermonem apud omnes gentes & nationes vulgari à ſe Cyrum interfectum eſſe, Mithridate qui primũ Cyro vulnus inflixerat,Chare deinde à quo ſucciſa poplitis vena Cyrus conciderat quàm ægrè ferentibus ſe iniuſte ea gloria muneribus à rege miſſis ſpoliari , his regi nuntiatis vehementer ira incenſus , caput Charis à ceruicibus abſcindi iuſſit: hiſq; quũ intereſſet mater,Ne tu,inquit,rex ita hunc Charẽ capitalem hominem breui pœna neces: à me enim ſibi eorum quę diu audet merces perſoluenda eſt. Permittente autem rege matri ſupplicii ſumendi poteſtatem,à tortoribus ſuis hominem comprehendi iuſſit , decẽmque dies in tortura haberi,tum oculos effodi, & in aures liquefactum æs infundi,ſic omni ſupplicio excruciatum necari. Paulò pòſt ob eandẽ cauſam Mithridatem quòd apertè profitebatur manu ſua Cyrum concidiſſe , nec vt Artaxerxes vanum neq; irritum telum adieciſſe, ſed tranſfixo tempore hominem ſtrauiſſe eóque vulnere tãdem interiiſſe,ſcaphis necari iuſſit.Genus autem mortis ac ſupplicii huiuſmodi fuit, Duabus exædificatis ſcaphis inter ſe congruentibus, in altera hominem qui ad ſuppliciũ datur reſupinant , alteram deſuper imponentes,ſic ambas coniũgunt vt caput,manus,ac pedes foris excludantur , reliquum verò corpus totum intus claudatur: præbent homini cibum,ſtimuliſq; oculos fodientes veſci et inuitum cogunt: veſcenti autem pro potu lac melle mixtum in os infundunt,faciẽmque eodem conſpergunt,ſic eius verſantes ſcapham ſemper aduerſo ſoli opponunt, & muſcarum inſidentium multitudine ora quotidie obtegunt , cũmq; virtus ea faciat quæ edentes bibentesq; homines neceſſitas cogit,ex corruptione & putredine varii pullulãt vermes,quibus intra veſtes penetrantibus corpus abrodatur : quum enim perfuncto vita homine ſuperior amouetur ſcapha,exeſa caro aſpicitur, & circa viſcera talium ferarum aliarúmque quottidie ſubcreſcẽtium

multitudo

multitudo apparet. Huiuſmodi ſuppliciis Mithridates excruciatus ad decimũ vſque diem calamitoſam vitam perduxit,atq; ſic demum extinctus eſt. Auidius Caſſius qui ſe Mariũ dici voluit,milites qui prouincialibus per vim aliquid ſurripuiſſent his in quibus peccauerãt locis in crucem ſuſtulit. Primus etiam id crudelitatis potius quàm ſeueritatis ſupplicii genus excogitaſſe fertur,vt pergrandi & procero ſtipite terræ affixo à ſummo ad imum vſq; dãnatos ligaret, ab imõque ignem adiiciens incenſis aliis, alios fumo cruciat uq; ignis, alios metu ac timore necaret. Idem denos cathenis vinctos in profluentem mergi iuſſit,multíſque deſertorum manus excidit,aliis crura & poplites,maius exemplum eſſe aſſerens viuẽtis miſerabiliter criminoſi quàm occiſi. Idem cũ ipſo inſcio manus auxiliaris tria milia Sarmatarũ negligentius agentiũ in Danubii ripis occidiſſet, & cum præda ingenti ad eum rediiſſet,ſperantibus tribunis præmium q; quàm parua manu tantum hoſtium occidiſſent,rapi eos iuſſit,& in crucem tolli,atque vltimo ſupplicio affici,dicens euenire potuiſſe vt eſſent inſidiæ,ac periret romani imperii reuerentia: & quum ingens ſeditio in exercitu orta eſſet,proceſſit nudus in medium,campeſtribus ſolum tectus,& ait,Percutite me ſi audetis,& corruptæ diſciplinæ facinus edite : tunc quieſcentibus cunctis timeri meruit, quia ipſe non timuit. Peſcenius Niger decem milites qui prouinciali ablatum gallinacium comediſſent necari iuſſit,exercitum autem qui ne occiderentur, non armis, ſed precibus impediret, interdixit igni & cibo cocto , nec re veſci alia niſi aqua frigida,et pane conceſſit,decupli precio prouinciali primum reddito ac ſoluto. Alexandri vero Seueri vel Aurelii ſententia mulierculę miles carpentarius adiudicatus eſt,vt qui conuitia dixerat, ſeruili opere annoſæ fœminæ nutrimenta præſtaret: & quũ ęgre hoc ferrent milites, perſuaſit omnibus vt ne moleſte ferrent,ac modeſte eos terruit. Libidinis autem caſtigator Aurelianus maxime fuit.Nam & ſeipſum continuit,& adulteros atroci pœna coërcuit milites:nanque qui hoſpitis vxorem violaſſent,duabus inflexis arboribus fune alligauit,quo demiſſo reus è veſtigio vtrinque pendens laceratus occubuit. Longe aſperius Macrinus caſtigauit milites,qui cum ancillã hoſpitis violaſſent,eos viuos(duo nanque erant)boum in corio emiſſis modo capitibus ſepeliuit , vt vermium multitudine ſuccreſcentium diutius torquerentur.Inuenerunt alii crucibus non vnius quidem generis capite conuerſos in terram ſuſpẽdere , alii per obſcœna ſtipitem immittere, alii patibulo brachia explicare, alii viuentibus cadauera alligare,vt Opilius Macrinus & Mezentius,de quo Maro,

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Componens manibusq; manus atque oribus ora,
Tormenti genus,& ſanie tabóque fluentes
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

Statuerunt etiam in infligendis pœnis aliquãdo maiores noſtri vt ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum , ſortitione in quoſdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad omnes ,pœna ad paucos perueniret.Nam miles qui locum non tenuit,qui hoſtium impetum vímque pertinuit,poteſt idem poſtea & miles eſſe melior,& ciuis vtilis & vir bonus.Circa ducum itaque & imperatorum edi-

cta boni milites parebunt & obſequentur,niſi forte quod præcipitur ſaluti reip. aduerſum inueniatur . In eo enim haudquaquam obtemperat, niſi perfidus & impius miles. Quid enim iniquius,quid deteſtabilius quàm ſine diſcrimine aggredi quæcunq; dictauerit imperator? Nonne apud omnes vox iſta quondam in caſtris forſan probata funeſta eſt,& crudelis plenaq; perfidiæ habita,

Pectore ſi fratris gladium iuguloq; parentis
Condere me iubeas,plenoq; in viſcera partu
Coniugis, inuita peragam tamen omnia dextra.
Si ſpoliare deos,ignemq; immittere templis,
Numina miſcebit caſtrenſis flamma monetæ.
Caſtra ſuper Tuſci ſi ponere Tybridis vndis,
Heſperios audax veniam metator in agros.
Tum quoſcunq; voles in planum effundere muros,
His aries actus diſperget ſaxa lacertis.
Illa licet penitus tolli quam iuſſeris vrbem
Roma ſit.

Et quanquam hoc nequius dici ab homine potuerit nihil,& vnde magis deberet,ſi fidelis eſſet , romanus imperator offendi , in eo tamen ſceleratus miles officii ſui fidem his verbis facere ſtuduit , vnde ſeipſum circunſcripta militari obedientia maxime infidelem & perfidum eſſe conuincit.Hęc cõtra eos qui militaria ſegnius ac negligentius,vel aliter ac diſciplina cõmunis exigit tractantes, ignominię ac dedecoris notã ſubiere dicta ſint, & exemplis plurimis cõfirmata,vt ex alie no milites malo ſuum diſcant pręcauere , aut alienis virtutis exemplis prouocentur.

Finis Vndecimi.

ROBERTI VALTVRII

AD MAGNANIMVM ET ILLVSTREM

Heroa Sigiſmundum Pandulphum Malateſtam ſplendidiſſimum
Ariminenſium regem, ac imperatorem ſemper inuictum,
de re Militari Liber Duodecimus.

De triumphis, quidq; triumphus, & unde. Cap. I.

VSto denique ac debito narrationis noſtræ ordine, Sigiſmunde Pandulphe, operi conſummationem triũphis imponemus, quum hi bellorũ ſint finis, victoribus decus & gloria. Eſt enim triumphus omnium militarium rerum honos ſupremus, maximáque omnis vtriuſque ſexus, ætatis, vniuerſæ vrbis exultatio, & occurſus quidam, quod fiebat honorifica hoſtium clade duci & victrici turbæ redeunti, rerúmque fortiter ac fœliciter geſtarum ſpeciem præ ſe ferenti, ſic dictus vt perhibent à græco θριάμβευσις quod latinè exultationem ſignificat. Credunt hoc alii à Græcis nomen in cõſuetudinem deriuatum, ſimúlque huius honoris quicquam ad Liberum patrem, primum eius auctorem pertinere, quem θρίαμβον nominant: quod etſi haudquaquam verum eſſe, Plutarcho auctore conſtet, vir tamen omnium vndecunque doctiſſimus atque acutiſſimus, M. Varro, hinc inde aſſerit inclinatum. Tranquillus autem triumphum latinè dicit potius appellatum, quòd is qui triumphãs vrbem ingrederetur, tripartito iudicio honoraretur. Prius autem de triumpho duci concedẽdo exercitum iudicare ſolitum erat, ſecundò ſenatum, tertiò populum: atqui de eo maxime qui vel dictator, vel conſul, ſiue prætor res geſſiſſet triumpho dignas. Liuius, Omnibus locis re bene geſta de hoc iudicabat exercitus, ſenatuſconſulto, iuſſũque populi triumphans, dictator in vrbem rediit. Idem xxxi. L. Cor. Lentulus procoſ. ex Hiſpania rediit, qui quum in ſenatu res ab ſe per multos annos fortiter fœliciterq; geſtas expoſuiſſet, poſtulaſſetque vt triũphanti ſibi inuehi liceret vrbem, res triumpho dignas eſſe cenſebat ſenatus, ſed exemplum à maioribus non accepiſſe, vt qui neque dictator, neque conſul, neque prætor res geſſiſſet triumpharet, proconſulem illum Hiſpaniam prouinciam, non conſulem aut prætorem obtinuiſſe: decernebatur tamen vt eo ouans vrbem iniret, intercedẽte etiam Sempronio Longo, Tribuno pleb. qui nihilominus more maiorum haud vllo exemplo futurum dicebat. Poſtremo victus conſenſu patrum tribunus ceſſit, & ex ſenatuſconſulto L. Lentulus ouans vrbem eſt ingreſſus.

De Trophæis & unde, & in quo à triumpho differant, quodq; ouem alij uictoria potiti, alij bouem: huncq; alij, uel gallum immolare consueuerant. Cap. II.

ILlud etiam animaduertendum, ne quod de triũpho & trophæo male accipiunt, nos quoque confundat, opinantes vnam rem duobus nominibus appellari debere. Vt enim re vera qui Martiam & terrificam hostium cæde pompam lege triumphali agebat triumphans dicebatur, sic qui hostes fugasset trophęum appellabãt: non ab re, à græco τροπαιον, hoc est, ab hostium conuersione dictum. Vocabant etiam veteres trophæum stipitem siue truncum montanæ quercus abscisum, instar superati hominis fabricatum, & veluti spoliis & armis eiusdem indutum: affixa enim quaqua versum spolia impendebant, ornatu plurimo, ac decore disposita, neque hoc nisi in eminentioribus locis figebatur: vnde Crispus de Pompeio, Deuictis Hispanis trophæa in Pyreneis constituit, ex quo more in vrbibus trophæa figebantur in arcubus exædificatis: vnde poëta noster elegantissimus,

Ingentem quercum decisis vndique ramis
Constituit tumulo, fulgentiáque induit arma.
Mezenti ducis exuuias tibi magne tropæum
Bellipotens aptat rorantes sanguine cristas,
Teláque trunca viri & bis sex thoraca petitum,
Perfossumque locis, clypeúmque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Alio idem in loco,

Indutósque iubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicáque nomina figi, pro inimicorum.

Dicit autem affixos trophæis titulos cum nominibus occisorum. Ad hæc Iunius Iuuenalis Aquinas,

Bellorum exuuiæ truncis affixa trophæis,
Lorica & fracta de casside bucula pendens,
Et curuum temone iugum victæq; triremes,
Amplustre & summo tristis captiuus in arcu.

Illud quoq; nec prætermittendũ, triũphi genus non ab ouatione, hoc est, clamore Bacchico, sicuti multi putauere, ouationẽ appellari, tãetsi ouantes illam canẽtésq; transmittant, vt Plutarchus inquit, at quum milites in magno triumpho & plena victoria bouem, in hoc immolare ouem cõsueuerunt, vnde huic triũphi generi nomẽ extat: vtq; qui de pugna venientes cum multitudine obuiã ad numina minora ibant, & ibi fugatis hostibus oues diis immolabãt, Ouantes dicebantur, sic & ouatio, ppriè minor triũphus, & qui ouationẽ meretur, & vno equo vtitur, et à plebeis vel equitibus romanis deducitur ad capitoliũ, et de ouibus sacrificat, vnde et, vt dictũ est, ouatio: qui autẽ triumphat, equis albis vtitur quatuor, & senatu præeũte in capitoliũ de tauris in eo sacrificat: in quo nec illud silentio obuoluendũ quod ad mitiores triũphos, & ad ouationes attinet, super quo dissensisse veteres scriptores inuenio. Partim enim scripserunt, qui ouaret introire solitum equo deuectũ, & Sabinus Massurius pedibus ingredi ouantes dicit non sequentibus

quentibus eos militibus, ſed vniuerſo ſenatu. Dignũ & opportunũ etiã arbitror Spartanorũ legiſlatorem cõtemplari, qui aliquanto aliter ac Romanorũ more ſacrificandum inſtituit. Nam ſi quis Lacedæmoniorum dux quod velit dolo aut perſuaſione cõfecerit, bouem mactat: ſi in bello res geſta fuerit, Gallum. Hi enim etſi bellaciſſimum genus ſint, & apud omnes habeantur, ampliora tamen magiſq; homine digna quæ ratione ac prudentia, quàm quæ vi aut fortitudine facta ſint, iudicabant.

Varia ſecundum diuerſas gentes & nationes triumphorum genera. Cap. III.

VTq; non idem in triumphorum ſacrificiis apud omnes ſeruatæ religionis exemplũ extat, ſic varium apud diuerſas nationes triumphandi morem fuiſſe cõſtat. Et vt triumphi primum omnium repetamus auctorem, Dionyſium, qui latine Liber pater dicitur, India ſubacta, multarum gentium ſpoliis triumphantem, vincti primum elephanti ſubi iſſe currum eius memorantur. Apud Aegyptios Seſoſtris eorum rex, tam elato, tam immani animo fuiſſe fertur, vt quotannis non elephãtos, ſed ſorte reges ſingulos è ſubiectis iungere ad currum ſolitus erat, ſicq; triumphaſſe, nullo maiorum fretus exemplo, quod equidem inuenerim: tantũ licentiæ dabat gloria, immanitas, & intoleranda ſuperbia. Erichthonius etiam victor, quadrigam & equos quatuor primus iunxit in Græcia. Apud noſtros Coſſus et Marcellus opima ſpolia ferentes, quadriiugo ſimiliter curru inuecti ſunt. Romulum verò non recte Dionyſius ait curru eſſe vſum: erant enim Romę, in promptuq; omnibus, vt memorię proditũ eſt, Romuli pedeſtres ſtatuæ ſpolia ferẽtes, ex quo pedeſtres quoq; eius fuiſſe triumphos nõ obſcurum eſt. Tarquinium Priſcum deinde, deinde Damarati filium indecoram huiuſmodi currus & equorum quatuor formam, & magnificẽtiam triumpho ſtatuiſſe memorãt, ab Hetruſcis tamen prius ſumptam & in vſu habitam: affirment licet alii Publicolam primùm in curru, tali pompa triumphaſſe, quam & ipſam vt maiorum legibus plurimis & maximis ducibus conceſſam, ſic nonnullis ademptam denegatamq; non ſine maximis rationibus inuenio.

Quòd non omnibus triumphi decernebantur, & quibus. Cap. IIII.

QVum enim eò triumphandi honos perueniſſet, vt poſſe maius quicquàm neq; imperatori ſenatus populusq; ro. ac exercitus dare, nec ab his imperator accipere, deuictis hoſtibus ampliſſimo pro honore & gloria videretur, proinde ob exigua quoq; prælia leuesq; conflictus, honorum maximum ſibi decerni dux quiſq; triumphũ expoſceret, lege fuit occurſum vt ei ſoli liceret vrbem triũpho inuehi, qui rebus fortiter ſtrenueq; geſtis clarus eſſet imperator, & hoſtiles exercitus ad quinq; miliũ vſq; numerum fundendo profligãdoq; vna dimicatione cecidiſſet. Pœna deinde per L. Mariũ Marcũmq; Catonem trib. pleb. ducibus iniecta, qui falſo vel perẽptorum hoſtiũ vel deſideratorum ciuium numerũ ſenatui per literas retuliſſent, iubentéq; pręterea ingrediẽtibus vrbem, quæſtorũ officium his de rebus iureiurãdo adigi, vana ſcilicet ea nequaquã fuiſſe quæ ſenatui nunciaſſent tribuni ple. itidem vt antè ſolebant triũphum poſtulãtibus aduerſari, ita vt nonnunq; viros fortes ac ſtrenuos

impedientes,aliorum triũphos deterrebant,vtq; triumpharent,ſicut de Manlio proditũ eſt efficiebãt. Moris etiã erat vt imperii auctione,nõ ꝑ reſtitutis quę aliquando eius fuiſſent,laureã decerni ius eſſet,ſicq; ab Q.Fuluio,Campano populo ſubacto,et L.Opimio Fragellanis in ditionem redactis,triumphandi poteſtatem à ſenatu petentibus,illis triumphus minime decretus eſt,miniméque obtentus : ſemper enim exiſtimationem arbitriũmque huius honoris penes ſenatum fuiſſe,Valerio licet,& Horatio coſſ.(quod antea nũquam actum) tum primum ſit ſine auctoritate ſenatus,populi iuſſu triũphatum. Inſtituti etiam huius pompæ veteris fuiſſe comperio,vt illis haudquaquam triumphi deberentur , qui ad res quanquam maximas atque clariſſimas bello conficiendas,abſque vlla magiſtratus auctoritate tranſmiſſi fuiſſent: vnde nec M.Marcellus,nec P. Scipio curru triumphali inuecti ſunt,quum Syracuſas alter,alter Hiſpanias ſine magiſtratu in poteſtatem romanam redegiſſent.Ita etiam more maiorum comparatum erat ne quis qui exercitum non deportaſſet triumpharet, niſi perdomitam pacatámque prouinciam tradidiſſet ſucceſſori: ſic L . Manlio proconſuli ex Hiſpania redeunti poſtulantíque ab ſenatu in æde Bellonæ triumphum, rerum geſtarum magnitudo impetrabilem faciebat, exemplum aliorum obſtabat : medius tamen honos Manlio habitus,vt ouans non triumphãs vrbem iniret. Ad hæc ſimili modo triũphum ita decerni à ſenatu ſolitum , vt nullius ipſe niſi eius qui triumphaturus eſſet,& eorum qui bello interfuiſſent verba audiret,inſtitutumq; ideo vt legati,tribuni,centuriones,milites denique triumpho adeſſent, vt virtus rerum geſtarũ eius cui tantus honos haberetur publicè videretur. Veteri etiam Romanorum more,nunquam triumphus lachrymis ac ciuium cruore quærebatur,nec admittebatur oblatus. M. enim Fabius coſ. inclyta Hetruſcis,Veientibus ſuperatis pugna, oblatum ſibi ſummo ſenatus populíq; ſtudio triũphum ducere renuit,quòd eo prælio Q. Fabius frater atque coſ. fortiſſimè dimicãs cecidiſſet,inquiẽs,quia tantis reipub. detrimentis luctus potius deberetur quàm triumphus. Triumphi negãdi cauſa ſenatui,vel ab eo aliis oblatum renuendi etiam fuit ei qui alieno auſpicio,& in aliena prouincia pugnaſſet,vt Helius primo Cn . quoque Claudius , Nero deinde , qui Liuii licet Salinatoris in Haſdrubale opprimendo gloriæ particeps fuiſſet,tamen triũphantem eum equo ſequi,quàm triumpho quem ei ſenatus æque decreuerat vti maluit.Et quia res in prouincia fuerat Salinatoris geſta,ſine curru triumphauit. Ei ſimiliter triumphus adimebatur qui alieno exercitu rem geſſiſſet, prouinciãq; reliquiſſet vtilitate rapiendi, vt L. Furio prætori pene contigit,cui nullo licet exemplo id ipſe feciſſet,amplitudine tamen rerum geſtarum,gratia & amicorum orationibus, & cõſulis abſentia,de Gallis præter morem triumphum decreuerunt. Militaris etiam licentię ſuperioris ætatis currum triumphalem proſequentibus fuiſſe legimus, vt triumphans per iocum plurimis ea die impunè ſalibus & carminibus aſpergeretur:ea tamen à militibus in imperatorem ita dicebantur, vt facile appareret in ducem indulgentem ambitioſúmq; ea dici . Citeriam inſuper,hoc eſt , effigiem quandam argutam & loquacem ridiculi gratia in pompa vehi ſolitam accepimus cum populo colloquentem; vnde M.Cato in M.Cæcilium,Quid ego dixerim

rim amplius, quem ego deniq; credo in pompa vectitatum ire ludis pro citeria, atque cum ſpectatoribus ſermocinaturum. Sanctiſſimum denique ac omni laude inter cætera digniſſimum vrbis inſtitutum, quę ideo communibus incipiendis gerendiſque deos adhiberet, quia nullius calumniæ ſubiiciebãtur ea quę dii comprobaſſent, & in ſolẽnibus verbis haberet, cum ſupplicationem aut triumphum decerneret, quòd bene ac fœliciter rempublicam adminiſtrarit.

Triumphantium inſignia & ornatus, *Cap.* V.

MVlta quin etiam triumphantium erant inſignia, aurea corona ſiue laurea, aurea patera & ſacrificalis, ferreus annulus, toga picta & palmata, ſcipio eburneus, ſiue Iouis optimi maximique ſceptrum, facies præter hæc minio illita coloris inſtar ætherei, vtq; Iouis ſimulachri faciem diebus feſtis minio illiniri ſolitam, maximi nõ ſolum ſed ſacri auctores teſtantur, ſic triumphantium corpora ſicq; Camillum hac religione triumphaſſe. Bulla etiã vt prætextatorum puerorũ, ita & triumphantium erat inſigne à pectore cordetenus depẽdens cordisq; figuram habens, & ea intra ſe remedia quæ aduerſus liuoris ſtimulos & inuidiæ morſus arbitrarentur maxime profutura, háncque ideo cordetenus geſtaſſe triumphantes conſtat, vt intuẽtes eam ita denique ſe hominum appellatione dignos putarẽt ſi ea corporis parte cæteros antecellerent: ſicq; proinde bulla à græco ſermone βουλὴ dicta, qui conſilium latine dicitur: vel quòd eam partem corporis bulla contingat, in qua naturale manet conſilium. Homines quoque ſe eſſe in illo ſublimiſſimo curru triumphantes admonebantur à tergo: ſuggerebatur enim, Reſpice poſt te, hominem te meméto: & vtique hoc maxime gaudebant, tanta ſe gloria coruſcare vt illis admonitio ſuæ conditionis eſſet opportuna. Cum enim corona ſuſtineretur à tergo annuloſque digito ferreus eſſet, æque fortuna triumphantis & ſui coronam retinentis annotabatur. Indui porrò ſolenni geſtamine ac cultu triumphantes ius erat, & quem ſingulis vſurpare fas non eſſet. Ex virtute nanque petita, non omnibus eadẽ. Veſtis ipſa & materia, & colore, & forma plurimũ differebat. Purpuræ vſũ ſemper Romæ fuiſſe video, ſed Romulo in trabea. Tullus Hoſtilius Hetruſcis deuictis è regibus primus vſus inuenitur toga prætexta & latiore clauo. Tarquinium Priſcum deinde tunica aurea triumphaſſe Verius docet: hanc palmatam auctores vocant, vel quòd veſtis ea ſit qua qui palmam meruerunt vterentur, vel quòd palmæ in ea expreſſæ viderentur. Palmæ enim arborem non ab re inter victoriæ & triumphantium inſignia connumerari teſtis eſt Ariſtoteles vi. problematũ, & Plutar. in 8 Symp. Si enim ſuper huiuſce arboris lignũ magna ſuperimponas pondera, ac tam grauiter vrgeas oneresq; vt oneris magnitudo ſuſtineri non queat, non cedit palma deorſum, nec in terram flectitur ſed aduerſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur recuruatúrque: propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus Palmam ſignum placet eſſe victoriæ, & quoniam ingenuum huiuſmodi lignum eſt, & vrgentibus opprimẽtibúſque non cedat. Hinc palmarum ramos triumphantes geſtaſſe proditũ eſt. Ex lauro etiam coronam portari mos inoleuit, & ramum manu teneri: non quia, vt quidam perhibent, inter armatos hoſtes quietis indiciũ, Romanis præcipuæ læticiæ victoriarúmq;

nuncia

nuncia fuiſſet, nec quia perpetuò vireat, nec quia pacifera, nec quia in grẽmio Iouis optimi maximíque deponeretur quoties læticiam noua victoria attuliſſet, præferenda enim vtroque olea, ſed quia ſpectatiſſima in monte Parnaſo, ideóq; & grata Apollini, aſſuetis eò dona mittere iam & regibus, & Romanis teſte L. Bruto: fortaſſis etiam in argumentum quòd ibi libertatem publicam is meruiſſet, lauriferam tellurem illam oſculatus ex reſponſo: & quia manu ſatarum receptarũ in domos fulmine ſola non iacitur. Ob has cauſas equidem crediderim honorem habitum in triumphis potius quàm quia ſuffimentum ſit cædis hoſtiũ, & purgatio, vt tradit Maſurius. Fuerunt & arboris huius circa Auguſtum euenta digna memoratu, ob quæ etiam triumphis vſurpatum arbitror. Nanq; Liuiæ Druſillę, quæ poſtea Auguſta matrimonii nomen accepit, adſidenti gallinam conſpicui cãdoris aquila ex alto obiecit illeſam intrepide, miranti acceſſit miraculũ, quoniã teneret roſtro laureum ramũ Baccis ſuis onuſtũ: aſſeruari hanc alitem & ſobolem iuſſere aruſpices ramúmque ſeri ac rite cuſtodiri, quod & factum in villa Cęſarum fluuio Tyberi impoſita, iuxta nonum lapidem via Flaminia, quæ ob id vocatur ad Gallinas cãdidas, mireq; Sylua prouenit: ex ea triumphans poſtea Cæſar laurum in manu tenuit coronamq; capite geſſit, ac deinde imperatores cuncti, traditúſque mos eſt ramos quos tenuerint ſerendi, durabantq; ſyluæ nominibus ſuis diſcretæ.

Romanorum mores in triumphis, Cap. VI.

IPſum autem triumphantium morem proſequemur, Romanum in his ordinem exprimentes. Die itaque quo futura erat pompa po.ro. multitudo viſendi ſtudio ad ſpectaculum triumphi effuſa cõfluebat omnis, pulcherrimis & nitidis vt quibat quiſque veſtibus ornatus, nemóque ex multitudine tota ciuiũ domi remanebat, ſed ſinguli nocte quæ triumphi diẽ præceſſura erat, loca præueniebant in equeſtribus theatris quos Circos appellãt, in locisq; circa forum ad hoc ipſum ligno exædificatis, in templis, in porticibus, in viis patentibus & publicis, in feneſtris ac domorum tectis, & in aliis quibuſcunq; vrbis partibus per quas tranſitus erat ſeſe ad ſpectandũ comparabant, imperatori neceſſario tranſitu prætermiſſo, inſtratóque paſſim floribus ſertisq; odoriferis, verbenis ac herbis aliis ſuauitatem odoris affatim redolentibus. Multitudo deinde miniſtrorũ haſtilia manibus geſtantium ex medio confluẽtem dimouebat turbam, & vias puras apertáſque præſtabant. Pars verò militaris ante lucẽ per turmas atque ordines cum rectoribus progrediebatur, & iuxta Iſidis templum (ibi enim principes illa nocte quieſcebant) conſtituebatur: vbi verò illuceſcebat aurato ſublimiſſimóque curru inuecti vt conſpici poſſent, eburnea curruliq; ſella in maieſtate ſedẽtes, purpurã auro cõtextã induti & Lauri ramũ dextra gerentes ferebãt. Hos peditatus omnis ſub ſignis ac tribunis anteibat. Ferebantur poſt hæc hoſtium ſpolia, coronæ aureæ, dona ſociarum ciuitatũ tranſlata. Tubarũ deinde clangor ſequebatur ac obſidum captiuorũq; nobilitas omnis vultu & amictu ſubtriſti, et qui hoſtiũ dux fuiſſet, ſi captus aderat, captiuis poſterior omnibus, cathenis vinctus ante currũ ducebatur, quadrigam equi pulcherrimi niueiq; ac phalerati quattuor trahebant: pòſt verò captiui qui

per

pẽr pꝛouinciam vẹnerant vniuerſi raſis capitibus ob deterſam ſeruitutem vel pi leo capiti impoſito, qui donatæ libertatis ſignum erat, currum triumphantis ſequebantur. Hunc etiam milites & equites currum imperatorum ſecundum legiones,cohortes et manipulos lauro manibus ſequẽtes,partim carmina patria ſalibus permixta & iocis,partim triumphantium laudes cantantes,ad vrbis am bulationes tranſibant, vbi ſenatus & omnes ordines obuiam effuſi eorum præ-ſtolabantur aduentum,qui erat fiebatq; non niſi per portam ſiue viam triũpha-lem iuxta Vaticanum,quæ ab eo quòd per illam ſemper triumphorum pompa ducebatur nomẽ accepit. Ibi votis prius diis ſolutis cibum capiebãt, & magni-ficis ac triumphalibus veſtibus amicti,diis ad portam collocatis cæſa hoſtia in-ter ſpectacula tranſeuntes triumphum ducebãt,vt multitudini facilior pꝛębere-tur aſpectus. Pro merito autẽ narrari multitudo illorũ ſpectaculorũ & magnifi centia non poteſt: in omnibus quiq; cogitauere, vel artium vel diuitiarũ vel na-turæ nouitate. Nam pene quę cum hominibus qui vſquam ſunt fortunatis,aliis alia mirabilia magis atque magnifica quæſita ſunt. Etenim argenti auriq; facti & infecti,atque ſignati,necnon eboris ac gẽmarum,clariſſimarum etiam rariſſi mi generis veſtium infinita multitudo ſequebatur :crateras alii & phialas cali-céſque ornatiſſimos, & ingentes geſtabant, alii vaſa permulta ex auro & gem-mis eximiæ artis & magni ponderis. Torques deinde & montes aurei cũ ceruis & leonibus & pomis omnis generis circundati certo ordine deferebantur. Fere-bant ſimulachrorum ſigilla, deóſq; quos illi habebant & magnitudine mirabili & arte nõ defunctiore facta : ſigna deinde ænea, marmoreáq;, tabulæ & coloſſi vehiculis portabãtur. Adhæc tela & cætera hoſtiũ ſpolia,catapultæ,baliſtæ, tor menta quęque & arma porrò ornatiſſima atque pulcherrima ſplendentia ære & ferro abſterſo,atque ita diſpoſito vt caſu maxime cecidiſſe viderentur : galeæ, ſcuta,thoraces,ocreæ,peltæ,geſa, coryti, equorum frena & enſes ſtricti per hæc iacentes,& ſariſſæ infixæ ita vt nec victorum quidem abſq; metu aſpectus eſſet. Maxime autem ſtupor erat machinarum quæ portabantur, pro cuius magni-tudine timendum viribus portantium occurrentes putabant. Ferebantur in triũpho ſigna militaria,vrbes, & oppidorum ſimulachra: quinetiam equorum captorum greges,& animalium diuerſa genera, elephantorum & leonum pro-ducebantur,propriis ornamentis induta: ducebantur & boues pòſt auratis cor-nibus,vittis ornati & ſertis,ducebant eos adoleſcẽtes ſuccincti ad immolãdum, & pueri aureas & argenteas pateras ſacrificii gratia deferebant. Atque hæc ea-dem denique præ multitudine rerum & copia ſi non vna die tranſuehi poterãt, in altera nonnunquam tranſuehebantur, atque altera belli poſt hęc facies præ-ferri videbatur ex ludis: erãtque cernere vaſtari fortiſſimas terras, interfici acies hoſtium,alios cædi,alios fugere,alios captiuos duci, muróſque excellentes ma-gnitudine machinis dirui, caſtella excindi,ciuitates populoſas diſturbari, exer-citum intra muros fundi, cædíſque omnia loca plena, & eorum qui manu reſi-ſtere non poterant preces,ignémq; templis immiſſum, ædiumq; ſuper dominos ſubuerſionem. Ars autem & operum magnitudo neſcientibus adhuc illa, fieri tanquam vera præſentibus oſtendebant, in Ponto etiam dicente Naſone,

Oppida

Oppida turritis cingantur eburnea muris,
Fictáque res vero more putetur agi.

Huius autem pompę finis Iouis Capitolini templum erat, vbi poſtquam eò peruentum erat, more vetere victores operiebantur donec mortem ducis hoſtium quiſpiam nunciaret. (Nam hoſtium rex dúxve qui fuiſſet, aut publicæ cuſtodiæ perpetuò dãnabatur, aut traductus laqueóve circundatus per publicũ ad necem trahebatur): Poſtquam igitur eum finem vitę habere nunciabatur, omniumq; fauor ſecutus erat, votis ſecundò celebratis peractíſque, ſolenniter in palatiũ recedebant, & alios quidem epulis excipientes, conſules de more inuitari faciebant vt cœnę adeſſent: deinde rogari quo minus venirẽt, ne celebritatis illius diei maiore quiſpiam imperio fructum ſiue locum ſibi præoccuparet. Aliis autem omnibus domi conuiuiorum inſtructi erant apparatus, ſicq; omnium plauſu vltra omnem conſuetum honorandi modum, hunc fauſtũ & fœlicem diem ob rempub. auctam imperiúmque Populi Romani propagatũ, & malorum ciuilium finem vrbs romana celebrabat.

De Coronis leges, Cap. VII.

INtereſt coronarum quoque maieſtatem ſpeciali conſideratione metiri, vtpote quibus ingens dignitas inſit & ingentiſſimum ad fortitudinem calcar. Morem nanque hunc à veteribus traditum incitandos ad animos Romana prudentia tenuit, quòd imperator re bene, fauſte, ac fœliciter geſta, tribunal aſcenderet concionéque aduocaret milites vt operam quam nauaſſet quiſque laudaret, virtutis quoq; ad teſtimonium, vt eſſet fauoris qualitas, de repub. bene meritos corona donaret. Vtq; ab ipſis propemodum incunabulis ordiar, tenuiores in vſu antiqui habebant ſtrophios appellantes, vnde nata & ſtrophiola: quin etiam vocabulum ipſum tandem communicatum eſt inter ſacra et bellicos honores, coronis ſibi nomen ſuum vindicantibus. Quum verò è floribus fierent ſerta, à ſerẽdo ſeruiæ appellatæ ſunt, ſuaria eadem ob ſimilitudinẽ Suarii cuiuſdam, negociatoris, cognominata: quod apud Græcos quoque non adeò antiquitus placuit. Arborum enim ramis coronari in ſacris certaminibus mos erat primum, in caſtrisq; romanis aliquandiu obſeruatus. Sic Romulus frõdea coronauit Hoſtilium Tulli Hoſtilii regis auum, quòd Fidenas primus irrupiſſet: ſic Publium Decium patrem, tribunum militũ frondea donauit exercitus, ab eo imperatore Cornelio Coſſo coſ. Samnitũ bello ſeruatus. Poſtea variari cœptum, mixtura verſicoloris florúmque inuicem odores coloréſque acceſſere. Nec in promiſcuum quorumcunque vſum, ſed ingenti ſeueritate admiſſi: horum enim licentiæ exemplum apud maiores non eſt aliud q̃ in filia Diui Auguſti, cuius luxuria noctibus coronatum Marſiam literæ illius indicant. Florum quidem populus romanus honorem Scipioni tantum adhibuit. P. enim Mutianus quum demptam Martiæ coronam è floribus, capiti ſuo impoſuiſſet, atq; ob id duci eum in vincula trib. pleb. iuſſiſſet, appellauit Tribunos pleb. nec interceſſere. L. etiam Fuluius argẽtarius in bello Carthaginenſi ſecundo cum corona roſacea interdiu in foro proſpectus eſſet, auctoritate ſenatus in carcerem abductus, non ante finem belli emiſſus eſt. Sic coronis eiuſmodi receptis,

ceptis paulò mox ſubiere quę vocantur ægyptiæ,ac deinde hybernæ cũ terra flo res negat,ramento è cornibus tincto: ac eius quę ab Homero στέφανος dicta,paula tim Romæ ſubrepſit à Lucilio appellatio. Corollę inter initia propter gracilitatem nominatæ, mox & corollaria poſtquam maxime è lamina aurea tenui, & ea inaurata aut inargentata dabatur. Coronandi autem morem, gentilium primo deorum fuiſſe conſtat, feruntq; alii Dionyſium, auctore Diodoro, ſi quando ex potu bibentis caput agitaretur, mitra id illigare, vnde & μιτροφόρος dictus eſt, regéſque deinde pro mitra caput diademate vinciri ſolitos, ſicq; proinde primum omnium Liberum patrem impoſuiſſe capiti ſuo quum ex Indis triumphaſſet ex hedera: alii Saturnum, vt Phęrecides, ante omnes coronatum referũt. Iouem nonnulli quoque poſt deuictos Titanas hoc munere præ cæteris honoratum. Romulo inſuper qui aruorum ſacerdotes in primis inſtituerat, ſeq; duodecimum fratrem inter ipſos appellauerat, ſpicea corona quæ vitta alba colligaretur in ſacerdotio pro religioſiſſimo inſigni data, quæ prima apud Romanos corona fuit, honóſque is non niſi vita finitur. Poſtea verò quàm deorum honori tribui cœpere, victimis ſimul coronatis, ſacris deinde certaminibus vſurpatæ ſunt. Coronare nãq; apio victores ſacri certaminis Nemeæ, honos maximus habebatur in Achaia, ſicut Ambroſia, quæ à quibuſdam botrys vocatur, ab aliis Artemiſia: coronantur illa apud Cappadoces. Nec his victores donari tantum, ſed patriam quoque coronari pronunciabant. Inde natum vt triũphaturis conferrentur in templis Dianæ, mox vt ludis darentur, quæ donaticę dictæ ſunt & his victores in ludis donabantur, nec aliter minoribus triumphis ouantes. Athenas quoq; nõ victores ſolũ, ſed virtute præſtantes ciues primum oleæ vſum introduxiſſe, clariſſimum Periclis caput ambiendo: Gręcos autem oleaſtro Olympiæ, vnde Hercules nunc oleaſtri, nunc populi, nunc apii fronde redimitum caput præferebat: nunc Athenienſes quidem ſoli, & Græcorum plurimi coronæ oleaginæ: cæterum romanæ quoque maieſtatis honorẽ magnum præbuit turmas equitum coronando. Hæc corona apud noſtros non peruetuſta eſt, nec priſcis illis temporibus, ſed Q. Fabii Rutiliani tẽporibus collata: hic enim primus inſtituit vti equites romani idibus quintilibus ab æde Honoris equis inſidentes in capitolium tranſirẽt, oleę ſertis de more redimiti: inde poſtea increbuit vt eo genere frondis coronentur in equeſtri ordine admittendi, quaſi tunc primum tranſueherẽtur ad eam dignitatẽ additi. Hac etiam corona non qui præliis interfuiſſent, ſed qui triũphum procuraſſent decorari ſolitos legimus. Cur autem ex olea fuerit ea corona quàm ex alia fronde non facile dixerim, nec apud alios ſcriptores quum curioſe quæſiſſem legiſſe memini me, & ſi minus ignorem ad diuerſas ſignificationes ac potius ineptias quaſdã & deliramẽta pertrahi poſſe: ſed quum hanc apud gentem vnam terrarum vrbiũmque principem plura ſint coronarum genera, quàm cunctis, quę magno interuallo magnâque differentia fuere, vt aureæ, vallares, murales, roſtratæ, ciuicæ, profectò corona quidem nulla fuit, graminea nobilior. Hanc ſtatuit in triumphis Senatus, cura belli ſolutus & ocioſus, populus nunquam, in deſperatione ſuprema nulli contigere, nec niſi ab vniuerſo exercitu ſeruato decerni, coronas cęteras imperatores dedere, hanc

ſolam

ſolam miles imperatori. Eadē vocatur obſidionalis, quòd hi qui obſidione liberati ſint, ei dant duci qui liberauit. Huic ſummus honos, ſummaq; gloria: nam ſi ciuicæ honos vno aliquo vel humillimo ciue ſeruato præclarus ſacérque habetur, quid tādem exiſtimari debet vnius virtute ſeruatus vniuerſus exercitus? Donabatur hæc viridi è gramine, decerpto inde vbi obſeſſos ſeruaſſet aliquis. Nanque ſummum apud antiquos ſignum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc eſt, terra & altrice humo, & humanitate cedere, q̄ mos diu valuit apud Germanos: herbam enim veteres palmam vel victoriam dici voluerunt, quod Actius in Meleagro plane oſtendit, Gaudēt, inquit, currūt, celebrant, herbā conferūt, Donant, tenent pro ſe quiſq; cū clarū circūſtat corona caput. Proinde quū herbam do inquit Plautus, ſignificat victum me fateor, quod eſt antiquæ & paſtoralis vitæ indiciū. Nam qui prato, curſu aut viribus cōtendebāt homines, quū ſuperati erant, ex eo ſolo in quo certamen erat decerptā herbā aduerſario tradebant. Hac corona donatus eſt L. Siccius Dētatus ſemel quū ciuicas quatuordecim meruiſſet. Quidam etiā hac corona imperatores & ſæpius donati ſūt, veluti Decius vna tribunus militum ab exercitu, altera ab his qui in præſidio obſeſſi fuerant. Quanta eſſet honoris huius auctoritas, confeſſus eſt religione: ſiquidem donatus, bouem album immolauit Marti, & centum ſuluos qui ei virtutis cauſa donati fuerant ſimul ab obſeſſis. Præter hos cōtigit coronæ eius honor M. Calphurnio Flamini, trib. militum in Sicilia. Cēturioni verò vni per id tēpus Treio Acinati Cymbrico bello. Scripſit & Sylla dictator ab exercitu ſe quoq; ea donatum apud Nollam legatum bello Marſico, idq; etiam in villa Tuſculana, quæ fuit poſtea Ciceronis, pinxit: quod ſi verum eſt, hoc execrabiliorem eum dixerim, quandoquidem eam proſcriptione ſua ipſe detrahit, tanto paucioribus ciuium ſeruatis quàm poſtea ſeptem milibus trucidatis & occiſis. Hæc corona Sertorio ceſſit, & Fabio illi, Hannibale pulſo. Aemilianum quoque Scipionem hac ipſa obſidionali corona donatum in Aphrica, Manilio coſ. cohortibus ſeruatis, totidémque ad ſeruādas eas eductis M. Varro meminit. Ipſum quoque Auguſtum idibus ſeptēbribus à ſenatu obſidionali etiā donatum memoriæ proditum eſt. Et quanquam ea conſuetudo ſicut & pleraque alia maiorum noſtrorum deleta eſt, hac tamen corona noſtris temporibus, Sigiſmunde, Populonea expeditione vno omnium ore donata eſt præcellens animi magnitudo tui. Ab vniuerſo nāque & vnanimi primum Hetruſcorum exercitu abs te ſeruato, ab his deinde qui obſidebantur, à ſenatu porrò Florentinóque populo, à tota Hetruria, ab omni deniq; Italia, ab exercitu & populo barbaro per te liberata (qua claritate nihil profectò humanis in rebus ſublimius duco) quum Tarraconenſi, rege maximo, Sicilię, citra & vltra Pharū, Valentię, Hieruſalem, Vngariæ, Minoricarum, Maioricarumq;, Sardiniæ, Corſicæ, comite Barchinone, duce Athenarum & Neopatrię, ac etiā comite Roſilenis et Ceritanię per te ex Hetruria pulſo, iamiā plures ſuis qui extremæ expeditionis illius muros aſcenderāt militibus murales coronæ decernerentur, tam parua manu tantis periculis te illi obiiciendo, rémque omnem Hetruſcam labantem iam ac penè prolapſam reſtituendo, fulminis inſtar eius caſtra peruaſeris, ad cuius reſtituentis redeuntíſque exercitus

Laus Sigiſmundi.

ſpeciem

ſpeciem atq; pompam effuſa omnis incolarum & oppidorũ multitudo obuiam proceſſit, & vniuerſi quidem milites tuos tãtumq; te vnum inter tot tribunos & clariſſimos eorum duces Sigiſmũdum admirabantur, in te oculos vniuerſa Florentiæ ciuitas, in te omnium ora pẽdebant, teq; tanq̃ diuum hominem cælitus miſſum vt ipſam victoriam contuebantur, laudabãtq; te ſinguli pro eorum patriæ tutela, nec minus admirabantur tantũ in te vno principe fuiſſe momẽti vt antiquiſſimæ ditionis libertatisq; ſuæ penè per regem reſtinctę, & rurſum per te receptæ auctor eſſet, & vnde ſtetiſſet iam eò ſe victoria tranſferret, fierétque cum eo mira quædam regiæ gloriæ inclinatio. Adde quòd Hetruria relicta ex his rebus ſtrenue in ea geſtis, tui nominis gloria increbeſcente, Veneti cẽturiatis comitiis ex ſenatuſconſulto omnibus non humanis tantũ, verùm etiam diuinis te honoribus proſequũtur, te tollunt in eorũ tutelam cõtra Franciſcum Sphortiam, Inſubrium agro apparatu maximo maximisq; impenſis, eorum te gẽtibus præficiunt, te inquam, ſuis primùm per eũ ex ſuperioris prælii dimicatione infauſtè & infœliciter geſta cõfectis, fuſis, fugatis, captisq; quàm plurimis terris expoſitíſque prædæ & exponẽdis, in cunctisq; quæ ſiue ingenio, ſiue aſtu, ſiue locorũ præoccupatione, pręuẽtione hoſtiliũ, vigiliis, mora, celeritate, fallaciis, circũuentionibus, & dolis conficienda, quãdo, & quoties opus erit, aduerſis in rebus, & ſecũdis, in ſubitis improuiſisq; tanq̃ profundiſſimũ artificẽ obiiciunt, quo res ſuas omnes tueantur & foueant, neq; quàmdiu monitis vſi ſunt tuis optatę in te ſpei defuit euentus. Simili enim modo nec aliter ac per Hetruriam fama tui Galliæ ciſalpinæ terras peruagãte, ſumma rerũ merito prę cęteris in te collata. Non multò pòſt Cremam fortiſſimum oppidũ ac inexpugnabile cum vniuerſo exercitu traiiciens, ſata exurẽs, diruens tecta, prædas hominum pecorumq; agens, ſingula quæque & vniuerſa agri illius populatione ſternendo, ſiccatis deinde paludibus, mœnia nõ ſolum quæ nunquã antea cuiuſquàm ductu vel imperio obſidionem paſſa erant, aliquãdiu expugnata victori tibi paruere: cæterum alia plurima loca, & ardua quidem, & ineunda conatibus tuis ceruicem flexere. Quid quòd anno ſequẽti in Hetruriam p̃ S. C. inter tot clariſſimos duces tertio imperator deſignatus & accitus, Ferdinandum regis Tarraconenſium filiũ cum omni exercitu regio ad mare vſq; Tyrrhenum repuliſti, & Folianum primùm, prẽter plurima loca, maximũ & ampliſſimũ oppidũ gentibus regiis occupatum, omni commeatu armorũq; genere munitum, quũ Florentini ad priſtinam ſui ditionẽ redigere cuperẽt, adq; id exequendũ validiſſimo inſtructus exercitu p̃fectus eſſes, obſeſſos per te illius loci homines, plurimis vigiliis & aſſiduis laboribus, prælijs diurnis, & nocturnis dimicationibus feſſos non ſine maximo tui tuorumq; diſcrimine atq; cæde in poteſtatem eorũ redactos fuiſſe conſtat? Vada deinde maritimum et vetuſta nobilitate inclytum oppidũ, horreũq; quaſi belli ad pugnam regiam in Hetruſcos, quanquã maxima in mari claſſe, immẽſoq; terra vallum ſpatio portusq; vicinitate, inexpugnabili loco ſitum, ac tanta vi annonæ & armatorum ſelectorũ copia refertum (quatuor enim milia erant) vt ne ſpes vlla eſſet cuipiam potiũdi loci, turribus, mœnibus, vallo, foſſa, aggeribus muniti, hæc tamen velocitas ſagacitatis tuæ valentiorem armis excogitauit rationem, qua præter

omnium iudicium & opinionem interceptum exitio multorum ac fuga,demolitione loci,cui deſtinatum fuerat Florentinorum imperio adiiceretur. His atq; aliis virtutibus tuis quum dignitatẽ, laudem,immortale nomẽ et ſempiternam gloriã nõ ſolum tibi & nobiliſſimę Malateſtarum familiæ,ſed toti etiam Italiæ cõparaueris,ſummus tibi cedit honos & gloria, quum tuę laudes nõ modo noſtris ſed Hetruſcorum,Gallorum, Hybernorum ac reliquarum quæ vſquã ſunt gentium linguis celebratæ ſint,ac futuris ſeculis celebrandæ.Corona ciuica,cuique cũ ciuem ex nece ſeruaſſe cõtigerat ex lege dabatur,ilignea quæ prima fuit. Id autem arboris eſt genus,frõdem habens perẽnem: vnde Cęcilius, Aduehũtur cum ilignea corona,et chlamyde in noſtrã fidem.Poſtea magis placuit eadem ex eſculo Iouis. Variatumq; & cũ quercu eſt,ſiue propter Arcadas is præcipue quercui reddatur honos quos glandiphagos vocare diuinũ oraculũ ſolebat, ſiue propterea q; ea arbor inter ſylueſtres fructu lõge belliſſima atq; fertiliſſima: intermitigatas autem, validiſſima.(Ab ea enim cibus & opes multarũ gentium, etiam pace gaudẽtium erant glandes,paſtæq; ex ea feræ atq; alites, inde magnũ quoq; venatoribus inſtrumẽtũ viſcus erat)ſiue q; facilẽ militi fructũ,tũ ocius,tũ paſſim quercus exhibebat,ſiue id cõueniens ſeruati ciuis exiſtat præmiũ, quoniam Ioui in cuius tutela ſunt ciuitates,ſacra quercus eſt: vnde poẽta nobilis Claudianus,

Mos erat in veterum caſtris vt tempora quercu
Vallaret validis fuſum qui viribus hoſtis
Caſurum potuit morti ſubducere ciuem.

Sunt ergo ex glandiferis ciuicæ coronæ militum virtutis inſigne clariſſimũ. Cedunt his murales vallaresq; & aureæ,quanquam precio antecedẽtes ſint: cedunt & roſtratæ, quãuis in duobus maximè fuerint celebratæ, M. ſcilicet Varrone è pyraticis bellis dante Pompeio Magno: itẽ M. Agrippa, tribuente Cæſare ê Siculis,quæ & ipſa pyratica fuere. Antè roſtra nauium tribunali præfixa fori decus erant,veluti po. ro. ipſa corona impoſita videretur, poſtquã verò tribunitiis ſeditionibus calcari ac pollui cœperunt,poſtquã vires ex publico in priuatũ magis ſingulisq; ciuiũ quæri,ac ſacroſancta omnia,prophana fieri, tunc à pedibus eorum ſubiere in capita ciuium roſtra. Dedit hanc Auguſtus coronam Agrippæ,hac & Iulius Cęſar à Thermo in expugnatione Mitylenarũ donatus eſt. Huius quoq; honore donari contigit à romano populo latini parentem eloquii,M. T. Ciceronẽ, L. Gellio,viro Cenſorio in ſenatu fauente,quòd huius ampliſſimi oratoris induſtria & eloquentiæ neruis eſſet truculentiſſima Catilinæ coniuratio detecta vindicatâque. Sabinus autẽ Maſſurius libro memorabilium xi,teſte Gellio, Ciuicam hanc coronam ei dari ſolitum dicit qui eodem tempore & ciuem ſeruaſſet & hoſtem peremiſſet,atque eum locum in quo eſſet actũ certamen obtinuiſſet: Tyberium tamen Cæſarem cõſultum, hóc ne honoris inſigne ſumere quiret qui ciuem in pugna ſeruaſſet & hoſtes inibi duos de medio ſuſtuliſſet,verùm locum in quo certamen eſſet actum amiſiſſet, eúmque locum amoto eo hoſtis potius accepiſſet,reſpondiſſe ait, ei huius coronæ decus & honorem iure negari non debere, quum tam iniquo loco dimicatum eſſet, vt neque à quoquam etiam fortiſſime pugnanti ſeruari potuiſſet. Addunt alii præter

hæc

hæc quæ à Sabino Massurio ad ciuicam coronam spectare dicta sunt, conuenire maximè senatus vt eo die fateatur, aliàs testes nihil p̄ esse vt ciues fuerint auxilio quàmuis rege seruato. Decus non dant, nec crescit honos idem imperatore seruato, quoniam conditores in quocūq; ciuem summum esse voluerunt. Accepta licet vti perpetuò: ludos ineunti semper assurgi etiam ab senatu in more est, sedendi ius in proximo senatui: vacatio munerum omnium ipsi patríque & auo paterno. Coronę triumphales sunt illæ quę imperatori victori aureę p̄ferunt̄r. Equidem quis corona ex auro donatus sit nō inuenio, quis autem primum donauerit à L. Pisone tradit̄r. A. Posthumius dictator apud lacum Regillum expugnatis Latinorum castris, eum cuius maximè opera capta essent donauit ex præda hac, quæ laurea veterum tēporibus, aurea postea facta, idq; aurū coronarium vulgo dictum. Lauream coronam Pindarus atq; Callimachus memorant Apollinem interfecto dracone induisse, esculeam alii. Ouidius,

Né ve operis famam possit delere vetustas
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.
Hic iuuenum quicunque manu pedibúsve rotáve
Vicerat, esculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat, longóque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

Laurea etiam Liber pater incessit cinctus, quū ex Indis triumphauit, cui hedera etiam sacrata erat, ex qua coronam alii perhibent primū omnium capiti suo imposuisse. Cæsar Augustus triūphans, laurum tenuit coronámque capite gessit ex lauro, quę quanquàm triumphis propriè dicata sit, gratissima tamē multis variísque rationibus domibus ianitrix Cæsarum. Ouidius,

Tu ducibus lætis aderis, quum læta triumphos
Vox canet, & visent longas capitolia pompas.
Postibus augustis eadem fidissima custos,
Ante fores stabis mediamq; tuebere quercum. Alio idem in loco,
Cur tamen apposita velatur ianua lauro,
Cingit & augustas arbor opaca fores?
An quia perpetuos meruit domus ista triumphos?
An quia Leucadio semper amata deo?
Ipsá ne quòd festa est, an quòd facit omnia festa?
Quam tribuit terris pacis an ista nota est?
Vtque viret laurus semper nec fronde caduca
Carpitur, æternum sic habet ille decus?
Causa superpositæ scripto testante coronæ
Seruatos ciues indicat huius ope.

Hæc deniq; vt Cæsarum pontificúmque, sic poëtarum quoque domos exornabat & tempora, quibus coronandis apud veteres obseruatum legimus, cōsueuisse Græcos singulis lustris triplex certamen celebrare, musicū, gymnicum, equestre, quę Nero Claudius Romā primus omniū inuexit, neronianáq; à nomine suo ap

pellauit,poſtea & Domitianus eum ſecutus celebrauit. Vt igitur athletarum,ſic communium ſcriptorum & maximè poëtarum victoribus præmia & honores conſtituebantur, deligebanturq; ex omni numero literatorũ doctiſſimi aliquot, vt eorum iudicio qui carminibus decertaturi præ cęteris laudarẽtur, coronis & honoribus meritis,inſtar militum inter ſe pugnantiũ illuſtrarentur. Nec id quidem ab re,eadem enim vtriſque propemodum gloria,idem vtriſque pene honos debetur,& his qui geſſerunt,& his qui rerum geſtarũ & literarum et ingenii ſui monumentis,poſteris demãdando,immortalitatẽ ſint nominis aſſecuti. Oualis corona bellicis etiam ſe rebus inſerit,leniter tamen & ſine cruore, deditione hoſtium è veſtigio ſubſecuta. Huic lenitati maxime cõuenire Veneris victricis frõdem prodiderunt,quòd non Martius,ſed quaſi Venereus quidam triumphus foret. Eam coronam non in curru nec circũ clangentibus tubis,ſed pedes, patritiis in calceis,modulãtibus tibiis quiſq; geſtabat, ducendo Pæanis cantu põpam. Tibia enim pacis eſt, Veneriſq; arbuſcula myrtus, quæ vim maximê bellumq; peroſa eſt. Hac fronde myrtea triũphans de Sabinis Poſthumius libertus in conſulatu,qui primus omnium ouans vrbem ingreſſus eſt,coronatus inceſſit,optabilémq; arborem fecit. Hæc omnium poſtea ouantium corona fuit, vno excepto M. Craſſo,qui cum bello fugitiuorum cõfecto ouans rediret,ſenatus conſ. facto per gratiam myrtum paruifaciens,lauro coronatus inuectus eſt. Maximus auctor eſt,curru quoque triumphantes myrtea corona vſos. L. Piſo tradit,Papyrium Naſonem qui primus in monte Albano triumphauit de Corſis, myrto coronatum ludos circenſes ſpectare ſolitum, auus maternus Aphricani ſequentis hic fuit. M. Valerius duabus coronis vtebatur,laurea & myrtea,qui & hoc voue rat. Corona muralis eſt quæ donatur ab imperatore ei qui primus murum ſubiit, ínque oppidum hoſtium per vim aſcendit: idcirco, inquit Liuius, præcipuum muralis coronæ decus eius eſſe qui primus murũ aſcendiſſet. Tautẽ Romilius primus omnium eques hanc accepiſſe coronam dicitur. Hac quoq; Q. Trebellius,& Sextus Digitius pariter in murũ aſcẽdentes,virtutis cauſa ambo à Scipione donati ſunt. Caſtrenſis corona ea eſt qua qui primus hoſtium caſtra pugnando vallo introiſſet donabatur,& cui inſigne erat ex auro vallũ. Corona naualis eſt quę ſolet donari maritima pugna ei qui vi primum in hoſtium nauem armatus tranſilierit. Atqui hãc et muralem & vallarem ex auro fere donari conſueuiſſe longum eſſet & operoſum nimis externa domeſticáque oratione complecti: quis item quamque prius inuenerit, quis ve primus acceperit: innumerę enim ſunt & penè infinitę,ac multiplices de his libri à diuerſis auctoribus conſcripti. In vniuerſum autem de his coronis apud Græcos quidem priuatim ſcripſere Mneſteus atq; Callimachus medici,& Theophraſtus: ex noſtris autem inſcripſere aliqui libros,flores verò proſecutus eſt nemo quem equidem inueniam. Deorum autem gẽtiliũ coronas perſtrinxit libro de ipſis edito cõmẽtator Claudius Saturnius,in quo ita exarauit cauſas & origines, ſpecies & ſolennitates, vt nulla gratia floris,nulla lætitia frondis, nullus ceſpes aut palmes ſit qui non alicuius capiti inueniatur conſecratus. Et hæc de coronis hactenus dicta ſint.

Priuato

Priuatorum honores Cap. VIII.

ALia ſubeunt in præſentiarum bellicæ virtutis inſignia quę imperatores certe ſoli nō vſurpabant, verùm his potius communicabant quibus certaminum labores participarent: non enim ab re Dauid in militem ſuum, Poſuit, inquit, cruorem prælii in baltheo qui erat circa lumbos eius, & in calciamento quod erat in pedibus eius, niſi quia & in habitu ipſo priuatorum, quædam inſignia virtutum ſunt. Eſt enim baltheus non tantum quo cingimur, ſed etiam à quo arma depẽdent, & ſigna legionis ex ſumma internoſci poſſunt. Romanos etiam auxilia externoſq; torquibus aureis donaſſe, ciues non niſi argenteis conſtat, iidémque armillas dedere, quas non haberent externi: donabantur ob virtutem phaleris quoq; & haſtis antiqui. L. enim Siccius Dentatus qui trib. militū fuit, duodeuiginti phaleris & haſtis clx, eóq; amplius donatus eſt: armorum nanque & imperii ſumma erat haſta, quam ob cauſam viri ea fortes donabantur, & captiui ſub ea vęniebant, ſicq; tempore regum romanorum ipſi reges pro diademate haſtas habebāt, quas Græci σκῆπτρα dixere. Nam ab origine rerum pro diis immortalibus veteres haſtas coluere, ob cuius religionis memoriam poſtea ſimulacris haſtæ addebantur. Nec phaleris ſolum & haſtis ob virtutis merita veteres cōſtat eſſe donatos, ſed & bullis. Tarquinio enim Priſco omnium primo filium quum prętextę annis occidiſſet hoſtem, bullā aureā donatam legimus, vnde bullæ vſus poſtea ſucceſſit, adeô vt eorū qui equo meruiſſent inſigne id haberent, quo & nobilium quoq; filii à plebeis ſecernerentur. Erat & exteris gentibus & noſtris hominibus auctoritatis & amplę dignitatis ornatus annulus aureus, cuius fabulæ primordiū aruſpices ex Aſia tradidere, vinculorum potius interpretatione fatali quàm geſtaminis. De Prometheo nanque fabuloſum reor, quòd illi annulum primum & ferreum dederit antiquitas. Midæ autem annulum quo circumacto habētem nemo cerneret, quanquam fieri id quidem poſſit, vt inquit Cicero, quis non etiam alienum à verò, ac magis abhorrentem quoque dixerit? Fama eſt etiam Pyrrho regi qui bellum aduerſus Romanos geſſit Achatem fuiſſe lapidem, non fabuloſum, ſed precioſiſſimum, in quo quidem rerum diuerſarum, iumētorum, fluminum, nemorum, volucrum, ferarumq; nulla penitus manu artificis, ſed naturæ ſpectarentur imagines, non impreſſis, ſed ingenitis figuris, tam ſparſis támque nexis inuicem notis, vt tot imaginum in tam paruo ſpacio vnaquæque ſuis digno diſcerneretur inſignibus. Eſt etiā Polycratis annuli fama vetuſtior, cuius ſardonyx ille in delitiis habitus abiectus in mare capto relatus eſt piſce, ipſo circiter ccxxx anno vrbis noſtrę interfecto. Et quāq; iliacis tēporibus nullos fuiſſe annulos apud Homērū legimus, tū & codicillos epiſtolarū gratia inuſitatos, nodi nō annuli nota colligatos fuiſſe non dubium ſit, apud Carthaginēſes tamen ferunt annulorū ornātum accipi ſolere p numero expeditionū in quibus militaſſet. Lacedęmonii ferreis vſi ferūtur. Apud Romanos equeſtris ordinis annulus quondā fuit ornatus, equites à plebe ſecernens: nec ſimul cū equeſtri ſenatorioq; ordine cœpit, verùm aliquamdiu pòſt annulos habuiſſe aureos eos manifeſtū eſt: ſiquidem his tātum qui legati ad exteras gentes ituri eſſent, aurei publicè donabantur, quibus quum

intra domos ferreos geſtarent,in publico tantum vterentur:credo quoniam ita exterorũ ornatiſſimi intelligebãtur, neq; aliis vti mos fuit quàm qui ex ea cauſa publica accepiſſent,vulgoq; ſic triũphabant vt cũ corona Hetruſca aurea ſuſtineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat. Sic triũphauit C. Marius de Iugurtha. Aureum tertio conſulatu ſumpſiſſe traditur: ſicq; Romæ quidem non fuit aurum niſi admodũ exiguum longo tẽpore : certe à Gallis capta vrbe vt pax emeretur,non plus quàm pondo M. ſoluere potuere. Secundo etiam punico bello,annulorũ perq; rarus erat vſus. Nam quũ ad Cãnenſis maximę cladis põpam Hãnibalis iuſſu in veſtibulo curiæ annulos aureos effuſos cõſtet, eorum tãtus aceruus fuit vt metientibus dimidiũ ſuper tres modios,qdã autẽ tres,qdam duos integros Carthaginẽ miſſos afferant: q̃q̃ fama tenuit,vt Liuio placet, quæ propior vero eſt , haud plus fuiſſe modio : adiecítq; deinde verbis quo maioris cladis indiciũ eſſet,neminem niſi equitem aut eorum ipſorũ primores id geſſiſſe inſigne. Multi etiam equitũ & qui prætura functi ſint ẽ numero, in ferreo cenſu erãt,annulorũ huiuſmodi aureorum vſum aſpernati,vt Manilius,L. Suffidius, Calphurniúſq; & alii plerique fortiſſimi Romanorũ,tãquam ꝓbroſum,muliebre, & nota dignũ id eſſet : vnde adhuc illud Gracchi in Neuiũ celebre memoratur, Cõſiderate,inquit,Quirites ſiniſtram eius: en cuius auctoritatem ſequimini, qui propter mulierũ cupiditatem vt mulier eſt ornatus. Qui primus itaq; annulum inſtituit non ab re læuis manibus atq; latentibus induit, quaſi non ſecurus dextrę fuerit oſtentandę. Craſſus imperator maximus in ſenectute duos habuit annulos cauſam præferens quia pecunia ei immenſa creuiſſet: vtq; ſeueritatis illius priſcæ nonnullis annuli omnino nulli, ſic præcipuis etiam viris quibuſdã laſciuiẽte tunc ætate gẽmati ſculptiq; fuere. Ad id auiditatis ſtudiũ progreſſus eſt Sylla,vt annuli gẽmæ inſculptam eius rei geſtæ circũferret imaginẽ,eáq; continue vteretur. Erat autẽ ſculptura Bocchus,is ſuperioris Mauritaniæ rex erat qui viuũ Iugurtham generũ traderet Syllæ qui manibus ſuſciperet,quod inter Syllam & Mariũ inſanabilis eius diſcordiæ cauſa fuit,quæ ferè rem romanã euertit,quum multi qui inuidia in Marium flagrarent,id fuiſſe opus Syllæ inuulgarent. Pompeii quoq; annulũ gẽmam legimus habuiſſe,enſiferi leonis cęlaturam habentem. Verùm etiam non ornatus tantũ,ſed ſignandi cauſa annulum geſtare moris erat,vnde neq; plures quàm vnum,neq; ſingulis niſi liberis quos ſolos fides decerneret,quę ſculptura aſſeruabatur,habere licebat,ideo geſtãdi huius annuli ius famulis nõ erat. Annulos etiam quidam mortis gratia, in cerauneis,& hyacinthis & ſmaragdis aliisq; gemmis ſub quibus venena includebantur parauere. Sic Demoſthenes belli dux & ſummus oratorum Græciæ,ſic Pœnorum dux Hannibal,ſic Heliogabalus,vt hauſto quod ſub gẽma annuli habebant veneno,quũ opus eſſet,hoc eſt,ſi quando vis aliqua vrgeret,ilico abſumerẽtur. Aureorũ itaq; annulorũ vſus equites , vt diximus,à plebe ſecernebat,quum eos qui equites non eſſent ferreos habere mos eſſet,nec aliud quicquam pacis tẽpore . Nam in pręliis auro quibuſdã arma decorare mos etiã fuit,pręſertim apud Gallos,de quibus nõ ab re extat adhuc Homericũ illud, Aurea cæſaries ollis atq; aurea veſtis. Virgatis lucẽt ſagulis, tum lactea colla Auro innectũtur. Simili modo

Alexandri

Alexandri quoq; exercitus Argyraſpides nonnullos, ob arma argentea appellatos legimus, ſicut noſtri temporis duces equitéſq; lophos habent & galeas, ac lacernas, auro plurimo argentóque redimitas.

Merita uictorum ac triumphantium, cognominibus ſiue prænominibus celebrata. Cap. IX.

SEd præter dictarũ cumulum rerum, cognomina ſiue prænomina etiam his qui meruiſſent ex rebus clariſſime geſtis ad nominis diuturnitatem addebantur, veluti Romulo à ῥώμη, hoc eſt, robore dicto, quẽ Quirinũ veteres cognominauere, tãquàm id cognomẽ Martium quippiam & bellicoſum prę ſe ferret. Veteres enim lãceam Quirinũ vocare ſolitos legimus, eam quoq; in regia poſitam Martem appellare. Lãcea quoq; donari conſueuiſſe illos qui in bellis quàm acriter ſtrenuéq; pugnãtes fortitudinis laudem meruiſſent, proinde effectũ eſſe vt Romulus veluti Martius quidam deus et pugnax, Quirinus diceretur: quanquam nec clari deſint auctores qui id cognomen ex eo ductũ aſſerant, ꝙ ciues quirites appellarentur, qui regi ſuo nomen impoſuere, ſiue ꝙ Cures rex ipſe Romanus vixerit. Camillus dictator recuperata ex hoſtibus patria, ac in vrbem triũpho inuectus, rediens iocis militaribus quos de more incõditos iaciebãt, Romulus ac parẽs patriæ cõditórq; alter vrbis haud vanis laudibus appellatus eſt: nec aliter M. Claudium quinquies coſ. Marciq; filium cognominatum perhibent: quũ enim eſſet exercitatione bellicoſus, manu ac toto corpore potens, et vir ſuapte natura ad dimicandũ ardens, ei ſicuti Poſſidonius inquit, cognomen quod Martium eſt primum ex familia fuiſſe Marcello: atq; vt eodem Poſſidonio auctore Fabiũ clypeũ, ſic hũc à Romanis gladium vocitatum conſtat. Sic M. Manilio quia Gallos primus ab arce depulit, quũ per noctẽ inuaſere capitolium, Capitolino ei cognomen eſt inditum. Aphricani autem militarisne prius fauor, an populares auræ celebrauerint, an ſicuti Fœlicis Syllæ, Magníq; Pompeii patrum memoria cœptũ ab aſſentatione familiari ſit, non ſatis compertum habeo, primus certe hic imperator nomine victæ à ſe gentis, vt inquit Liuius, eſt nobilitatus: quod equidem profiteor apud tantum auctorem me non parum admirari, quum Cn. antè Martius captis Coriolis vrbe Volſcorũ, Coriolanus ob egregia militiæ facinora dictus ſit. Quid Cato ille primus, nónne Cenſorius à ſeueritate cenſoria, quum Priſcus antea vocaretur, poſtea Cato virtutis & ſapientiæ quaſi cognomentum ei eſt additum? ſiue vt Cæſarienſi placet, à catus, quod non, vt aiunt, ſapiẽtem ſed acutum ſonat, vt Helius Sextus & Varro tradunt: ſiue ꝙ quum Plutarcho auctore Romani in quo multarum rerũ vſus & experientia vigeret Catonem nominauere? Fabius item Rutilianus ſimul concordiæ cauſa, ne humillimorũ manu comitia eſſent, omnem foreſem turbam excretam in quatuor tantũmodo tribus cõiecit, Vrbanáſq; eas appellauit: adeoq; eã rem acceptã gratis animis ferunt, vt Maximi, qđ tot victoriis non poterat, nomen, hac ſibi ordinũ temperatione pararet. Q. quoq; Fabius Cunctatoris ſibi cognominationem aſciuit, ſiue ꝙ ingenio & ſuapte natura remiſſior eſſet, quippe qui armorũ clementia ouicula iudicaretur, ſiue ꝙ deinduſtria nouã victoriam ac ſãlutarem cunctando, nec cũ hoſte confligendo romanam rempub. reſtituerit. Alter quidam ꝙ paucis poſt patris obitum diebus funebribus

nebribus ludis gladiatorum munus exhibuerit Celerem vocauerũt, celeritatem ac apparatus maturitatẽ admirati,ſicut Appium Claudiũ victis Vulſinẽſibus audaciæ cognomento nominatũ.In annalibus etiam ſcriptum eſſe inuenio,L.Siciũ trib.pleb.plus quàm credi debeat ſtrennuũ bellatorem fuiſſe,nomenq; ei factum ob ingentem fortitudinem,appellatúmq; romanum Achillem: nec aliter hac L.Siccius, Q.Cottius propter fortitudinem cognominatus eſt.T.Manlio ſummo loco nato cognomentum eſt Torquatus, cauſámque cognomẽti fuiſſe accepimus, Torquis ex auro induuias, quam ex hoſte quem ceciderat detractam induit,quo ex facto ipſe poſteriq; eius Torquati ſunt cognominati. Valerius autem Maximus adoleſcens ac tribunus militaris ſua etiam virtute nixus & opera corui alitis repentè diuina quadam vi aduolantis & aduerſarii oculos & proſpectum alis & vnguibus prępedientis,quia ducẽ Gallorum vicit interfecitq;,ob hanc cauſam cognomen ſibi Coruini vẽdicaſſe haudquaquam eſt nobilium ſcriptorũ qui ſecus dixerit.Idem ob victam Meſſanam,nobiliſſimã Sicilię vrbem,primùm honoris cauſa Meſſana,deinde paulatim vulgo literam permutante Meſſala nuncupatus.Cornelius Rufus eo decemuiro, bello punico ſecundo,ſuadẽte vt libri Apollinares ex libris Sibyllinis inſtituerẽtur,Sibylla ob eam rem poſtea vocatus eſt, & vt nos antè diximus corrupto deinde vocabulo Sylla nominari cœpit: vnde & Sylla dictator poſtea ſequitur,qui Fœlix cognomento vt apud Latinos habitus eſt,ſic apud Græcos ſe inſcripſit L. Cornelium Syllam venereum,vt in chæronia Plutarchi qui de hoc græcè deſcripſit notum eſt,et vt de bello Mithridatico trophæa pariter inſcripta reperta ſunt: nec id ineptè,Plurimũ enim Veneris,nõ nox,vt inquit Menãder,ſed fortuna ſortitur,cui cũ clariſſime rebus ipſius geſtis ſeſe ipſe dicauit,exclamãs iuxta Oedipodem Sophocleũ,Ego meipſum fortunæ filium fero.Iulius Cæſar prænomen imperatoris & cognomẽ patris patriæ inter alia permulta nomen ſuũ illuſtrantia decerni ſibi voluit.Huius ſucceſſor Octauius quoq; Cæſar,ampliore Auguſti cognomine dictus eſt: vel ꝙ magnos, ſãctos,fœlicesq;,auguſtos vocãt: vel ꝙ loca religioſa et in qbus quid auguratò cõſecraretur,auguſta dicerentur,ab auctu,vel ab auiũ geſtu,guſtúq;,quę idẽ ſunt.Q.Fabius Maximus gallica victoria cognomẽ Allobrogis ſibimet ac poſteris peperit: ſic à deuictis hoſtibus bello,Germanici ſibi cognomen meruit.Hæc itaq; cognominationem ſiue prænominationẽ aſſumunt apud noſtros,quemadmodum apud Græcos huiuſcemodi indi ſolebant prænomina ſiue cognomina: ſic Dionyſio plurima ab rebus quas egit ſunt ab hominibus indita.Nam alii Bacchum à mulieribus quæ bacchantes illum ſequebantur dixere,alii à torculari quo vinum exprimitur Lenæum,quidam Bromium,à tonitu qui in eius ortu contigit. Pingenius inſuper ex eadem appellatur cauſa. Quinetiam triumphator dicitur,ꝙ primus omnium de Indis, multis cum ſpoliis in patriam reuerſus triumpharit.Liberum etiam appellatũ putant, non ob licentiam linguæ,ſed quia liberat animum à ſeruitio curarum efficiatq; vegetiorem,& audaciorem in omnes conatus reddat: patrẽ proinde,ꝙ de Indis victoria potitus,Thebani ſeſe liberos ipſo viuẽte & quaſi ſub optimi patris tutela ſeruatos arbitrarentur. A rebus geſtis inſuper alia, ſicuti Sotera & Callineon:à

virtute

virtute,vt Euergetẽ & Philadelphon. Iam excellentem virtute abſtinentiæ Ariſtidẽ fuiſſe aſſerũt,tanta vitæ integritate Phorionẽ vt cognomine ille iuſtus,hic bonus ſit appellatus. A virtutis quoq; præſtantia prudẽtięq; ac viriũ,Iouis filios appellauerunt,vt Aeacũ,Minoa,& Sarpedona. Ferociſſimos & immanes & alienos ab omni humanitate tanquam è mari genitos,Neptuni filios dixerũt, Cyclopa,Geriona et Lęſtrygonas: à fortunę fœlicitate,vt Eudęmona,ſicut Baſſum ſecundum vocatum legimus:ab exitio verò vrbium,ſiue peritia diſciplináq; obſidionis faciendę,machinarúmq; ſolertia,& ad expugnanda oppida inuentione, Poliorcetes cognomentum fuit Demetrio Antigoni filio,duci illius temporis inclyto. Nonnullos adhuc è naſcendi ſorte nuncupamus, vt Proculos qui foris procul abſentibus parentibus nati ſunt,Poſthumium qui patre mortuo, Vopiſcum quum ex gemellis ſuperſtitem alteri eſſe contigerit,Cęſarem quum enecta parente exciſo vtero gignitur,ſic Scipio Aphricanus prior natus,primúſq; Romanorum ob cæſum matris vterum Cæſar dictus eſt,Seruium qui mortua matre in vtero ſeruetur . Nonnullos corporeum etiam prænomen ſiue cognomen habuiſſe legimus. Horatius enim Cocles quum alterũ oculum antea bello amiſiſſet, cognomẽtum admiſit quaſi luſci et vno lumine tantum cernentis.Luſcos enim et vnoculos coclites dixerũt veteres,ſicq; Cyclopas coclites legimus dictos, q; oculum vnum habuiſſe memorantur.Quidam tamen id ex ſimitate naſi tractum autumant,qui ſub ipſa fronte ita depreſſus demiſſuſq; erat vt nullum fere inter oculos diſcrimen extaret,ipſáq; ſupercilia commixta inuicem confuſáque forent: iccirco volẽtibus eũ multis Cyclopem nominare,delapſa loquendi conſuetudo obtinuit vt iam cocles à plurimis appellaretur. M. quoq; Tul.in extrema naſi parte eminens quoddam in figuram ciceris habuit,à quo Ciceronis cognomẽtum ſibi inditum eſt . Q.etiam Fabius Cũctator à verrucâ in labiis verrucoſus, & Cneus ob inſigne nęui appellatus.M.Curius & Cn.Papyrius Carbo quia cum dentibus eos naſci contigit, ob id Dentati cognominati ſunt . Neoptolemus à capillorum qualitate Pyrrhus,à quo & pyratica primum ars perhibetur inuenta. Aſcanius à prima barbæ lanugine,quę ei tẽpore victoriæ naſcebatur,Iulius. Artaxerxes à dextra manu illius læua lõgiore,Longimanus. Ancum prænomen Varro ex Sabinis tranſlatum putat. Valerius Ancias ſcribit q; cubitum vitioſum habuerit,quod gręcè ἀγκὼν vocant.Papyrius è præcipua pedum pernicitate Curſor. Quorum verò in naſcendo non caput ſed pedes primi extiterant , qui partus difficilimus & ęgerrimus habetur , Agrippæ appellati , vocabulo ab ęgritudine & pedibus cõficto. A cognatione alios dictos legimus, vt Manlios,& Cornelios,& Pompeios,quos quia auctor ex Hiſpania Pompeius boum pompam duxerat alii cognominatos perhibent. Sic apud Gręcos Heraclides,& Pelopidas à morũ imitatione & quadã quaſi ſimilitudine aliis plurima contigerunt, viuentium gloriam prorogantia: quum alii fulmina, vt, geminos duo fulmina belli Scipiadas,cladem libyæ:alii victrices aquilas & accipitres inuictos,alii & diuos deóq; genitos, vt Alexander ille Macedo,& præter eum ducem plerique alii cognominari ſe ingenti cum voluptate voluerint.

Ex rebus ſtrenue geſtis maiorum præmia Cap. X.

ET quoniam eò impendi labor ac periculũ perſæpe ſolet vnde emolumentum atq; honos ſperetur, nec diſcriminis quippiã ſint aggreſſuri homines ſi magnis conatibus magna præmia haud ꝓponantur, fuerunt pręter hęc quæ modo diximus alia ob ſtrenue geſta fortiſſimis ducibus, auxiliariis, & legionibus, tũ ex ſenatuſconſulto, tum ex maiorũ liberalitate conceſſa, quæ plurima quidẽ & varia prodũtur. Decreuerũt enim ad præmia ſuperiori Aphricano paribus ornamẽtis exoluẽdas ſtatuas plurimas, & triumphali etiam habitu viſendas, in pluribus & celeberrimis vrbis partibus, in comitio, in roſtris, in curia, in capitolio ponere decreuerunt, continuum per omnes vitæ annos conſulatum perpetuamq; dictaturam tribuere: decreuerunt vt imago eius triumphali ornatu è templo Iouis optimi maximi exiret, & quę ſibi neq; plebiſcito dari, neq; ſenatuſcõſulto illius magnitudo animi ac ſpectata modeſtia paſſa eſt, poſt obitum recuſare non potuit. Liberalis etiam po.ro. magnitudine munerũ, q; Attalo regi Aſiam dono dedit: ſed Attalus teſtamenti æquitate accepti muneris haud immemor, qui eandem Aſiam moriens po. ro. legauit. Eumenes Attali regis frater, & qui auxilio aduerſus Antiochũ Macedonem fuit, omnibus Aſiæ ciuitatibus quas Antiochus bello amiſerat à ſenatu donatus eſt. Pompeius Deiotaro Galatiæ regi Armeniã minorẽ contulit, q; ſocius bello Mithridatico fuerit. Numidarum item rex Maſſiniſſa in amicitiam receptus à P. Scipione Aphricano, multa & præclara rei militaris facinora quũ feciſſet, ob quæ victis Carthaginenſibus & capto Syphace cuius in Aphrica magnum atq; latũ imperiũ, magnã gloriã noſtris hominibus peperit, po.ro. quaſcũq; vrbes & agros quos manu ceperat ſibi dono dedit. M. Curius quũ Italia Pyrrhum regem exegiſſet, decretis à ſenatu ſeptenis iugeribus agri populo, ſibi autem quinquaginta, popularis aſſignationis modum nõ exceſſit, parum idoneum reipub. ciuem exiſtimans qui eo quod reliquis tribueretur contentus non eſſet. P. Cornelii quoq; Scipionis conſulis decretum de agris militum eius fuit, vt quot quiſque eorũ annos in Hiſpania aut Aphrica militaſſet, in ſingulos annos bina iugera acciperet. Scipionem itẽ poſteriorẽ dona militaria his qui ſtrenuã operam ediderant diuidentem, T. Labienus vt forti equiti aureas armillas tribueret admonuit, eoq; ſe negante id facturum ne caſtrenſis honos in eo qui paulo antè ſeruiuiſſet violaretur, ipſi ex præda gallica aurũ equiti largitus eſt: nec tacite id Scipio tulit, nanq; equiti, Habebis, inquit, donum viri diuitis: quod vbi ille accepit, proiecto ante pedes Labieni auro, vultũ demiſit. Idem vt audiuit Scipionem dicentem, Imperator te argenteis armis donat, alacer gaudénſq; abiit. C. etiam Marii præcipuus non ſolum, cæterum præpotens gratæ mẽtis fuit affectus: duas enim Camertium cohortes mira virtute vim Cymbrorum ſuſtinentes in ipſa acie aduerſus cõditionẽ fœderis præter omnes leges ciuitate donauit: quod quidem factum quum à nonnullis accuſaretur, aiebat verba legum propter armorum ſtrepitum exaudire nequiuiſſe. Inſuper quum C. Lucius ſororis filius atque præfectus in eius ſecundo conſulatu militi cuidam præſtanti forma Trebonio nomine ſub ſe militanti vim afferret, & ab adoleſcente occiſus eſſet, multis Trebonium

bonium accusantibus ac nullis patrocinantibus, Trebonius à se illum occisum qui in magistratu esset non negauit, sed hanc necis causam dixit atq; probauit, q; Lucio se solicitãti obstitisset, & quamuis multa darentur, suum tamen corpus nunquam prostituere voluisset: itaq; Marius quæ pro præclaris militiæ faci noribus corona dari cõsueuerat ferri ad se iussit Trebonioq; imposuit. Bãdius quum aliquando Marcellum salutasset, quis nam sit homo Marcellus rogat, q̃uis illũ probe norat antea: eo autem respondente, L. Bandius, quasi lętatus magnopere admiratúsq; Marcellus, Tu ille Bãdius es, inquit, cuius maxima inter Cannarum bellatores fama est q; P. Aemilium cõsulem solus ne deseruerís, in quem cum densissima coniicerentur missilia ea corpore subiiciens excepisti? assentiente Bandio & vulnera quædam ostentante, Talia, inquit, quum in nos amicitiæ signa proferres, ad nos cur non cõfestim ibas? an nos ad retribuẽda amicorum virtutis præmia quibus & penes hostes tantus habetur honos iniquos cẽsuisti? Hæc benigne locutus comprehẽsum dextra iuuenem eximio ad pugnam equo & quingẽtis argẽti drachmis donat. Hannibal militibus suis quoq; Insubrium agro in concionẽ vocatis, ampliſſima & certissima prędmia pronunciat. Agrum enim sese daturũ in Italia, Aphrica, Hispania, et vbi quisq; velit immunẽ ipsi qui accepisset liberisq; : qui pecuniam q̃ agrũ maluisset, eius se voto satisfacturũ: qui Carthaginenses ciues fieri vellent, potestatem facturũ: qui domos redire mallent, daturum se operam ne cuius suorũ populariũ immutatam secum fortunam esse vellent. Seruis quoq; dominos prosecutis libertatẽ proponit, binaq; pro his mancipia dominis se redditurum, eaq; vt scirent rata fore, agnum lęua manu, dextra silicẽ retinens, si falleret, Iouẽ cęterosq; precatus deos ita se mactarent, quẽadmodum ipse agnũ mactasset, et secũdũ precationẽ pecudis caput elisit. Et ne sua deessent præmia claris gestorũ titulis, eminentibus Cæsar grauioribus præliis, singulis legionibus quæstores præficiebat qui fortiter agentes agnoscerent, & remuneratione dignos afficerent. Diuitias idem ac pecunias non voluptatis aut suarum gratia delitiarum ex bellis cumulasse, sed cõmunia potius virorum fortium pręmia apud se conseruata iacere voluit seq; maxima ex parte locupletari putans quoties illa benemeritis viris militibúsq; impartisset. Aurum nanque & argentum cæteráq; diuitias ex hostibus partas, quãta horum aderat copia magno in numero Romam mittebat, ædilibúsq; ad spectacula tribuens, prętoribus quoq; atq; cõsulibus eorúmq; donans vxoribus multos sibi allexit, aliósq; omnĩ spe donisq; dimisit. Illud inter cuncta nec silentio prætereũdum, q; ærarium poro. quod tot reges victi, tot Asiæ populi, tot nationes, tot bella, tot triũphi compleuerant, & tot annis intactum mãserat, primo introitu in ciuili bello suo, vno die solus exhausit, intérq; alia vt scriptũ est protulit ex eo laterum aureorũ xxxvi. milia, & innumera pondo, trium milium, siue vt alibi, quatuor milium centum triginta & quinque, argenti verò nõgentorum propè milium. Nec aliam ob rem, vt diximus, quàm cupiditate largiendi: nam vt alter ait, Nemo liberalius victoria vsus est: nihil enim sibi retinuit nisi disp̃sandi libertatem. Inde magnifica & probãda omnibus Titi vox, & exhortatio illa Hierosolymarum obsidione, Me pudeat, inquit, nisi eum qui prius murum ascenderat remuneratione

inuidẽdum fecero,vt ſi quidem vixerit ſimilibus præſit. Nec pollicitis minor inuentus,qui in cõcione,ea deuicta dixit illis,qui maiore vi decertaſſent, & præclaris facinorũ titulis naturam ſuam rebus bene ac fortiter geſtis nobiliorem reddidiſſent, præmia & honores redditurum, nec eorum vllum qui plus alio laboraſſet iuſta neceſſitudine carituru m. Confeſtim itaque iuſſit eos quorum partes erant, indicare quoſnã ſcirent omnes fortiter geſſiſſe, & nominibus ſuis quoſq; interpellans preſentes collaudabat, quaſi qui domeſticis recte geſtis, ſatis ſuperq; lætarentur,& coronas eis aureas imponebat, & torques longasq; haſtas & ſigna ex argento facta donabat,& vniuſcuiuſq; ordinem mutabat in melius: quin etiam ex manubiis aurum & argẽtum, veſtes item aliámque prędam ſumma quadam liberalitate diſtribuens.

Superſtitum non ſolum ſed defunctorum ducum memoriæ celebres tituli, et de columnis, obeliſcis, pyramidibus, arcubus, ſtatuis, clypeis, tabulis, cantariſque ad id exædificatis, Cap. XI.

NVnc memoriæ nedum ſuperſtitum ſed defunctorum ducum prorogatæ celebres titulos referamus,ac primum Iouis, qui vt cæteris deitatis nomine,ita & rebus geſtis multorũ opinione ſuperior fuit. Etenim,vt Euemerus qui res geſtas eius & cæterorum qui dii putantur colligens,hiſtoriamq; contexens ex titulis & inſcriptionibus ſacris quæ in antiquiſſimis templis habebantur auctor eſt,in phano Iouis trifilii auream columnam eſſe poſitam ab ipſo Ioue conſtat, in qua titulo monſtrante ſua geſta perſcripſit,vt monumentũ eſſet poſteris rerum ſuarum. Seſooſis finem expeditionis in Thracia ſtatuens,multis in locis ab ſe deuictis colũnas erexit, in queis Aegyptiis quas ſacras dicunt literis ſcriptum extat, Hanc prouinciam armis ſubegit rex regum,princeps principum Seſooſis. Quid Alexander ille Macedo? nónne in Sogdianorum finibus Alexandriam condidit ad cõteſtandos itineris ſui terminos? quo in loco ab Hercule primũ,à Libero deinde patre, Cyro item & Semyramide atq; ab ipſo Alexãdro deniq; aræ ſunt conſtitutæ,quòd proximum gloriæ omnium duxerint illò vſque promouiſſe itineris ſui metas, ab illa parte terratũ fluuio fines ſecante,quem Bactri ſoli Iaxatem vocant,Scythæ Filin nominant,hunc eundẽ eſſe Tanaim exercitus Alexandri magni crediderunt: verum vbi Demodamas Seleuci & Antiochi regũ dux, ſatis idoneus verò auctor tranſgreſſus amnem iſtum titulos omnes ſupergreſſus,alium eſſe q̃ Tanaim deprehẽdit,ob cuius gloriæ inſigne dedit nomini ſuo vt altaria ibi ſtrueret Apollini Dindimo,hoc eſt,Colliminio,q; limes Perſicus vna cum Scythis iũgeretur. Idem Alexander triũphorum ſuorũ auſpiciis condidit in ægyptii maris littore vrbẽ aliam ſui nominis,quam metatus eſt Denochares ſiue Democrates,architectus memorabili ingenio,xv milia paſſuũ laxitate cõplexus,ad effigiem Macedonicæ chlamydis,hoc eſt,orbe gyrato,lacunoſo dextra lęuaq;,anguloſo ꝑcurſu,iam tũ tamen quinta ſitus parte regi dicata. In diuerſis inſuper Aſiæ regionibus xii inuenitur cõdidiſſe muros eorũ, inſigniẽs græcorũ quibuſdam elemẽtorũ characteribus,vti legeretur in eis, Alexander rex filius Iouis fecit. Idem Herculis & Liberi patris laboribus ſuperatis præcepit ei quem Perſidi præfecerat,vt pilas ſolidas auri pedum vicenûm quinûm erigeret,& in his facta eius ſcriberet ponerétq;

ponerêtq; in vltima India vltra Liberi patris & Herculis trophęa: vnde ad præceptorẽ ſuũ Ariſtotelẽ ſcribẽs, Et ego, inquit, mea quinq; aurea trophęa prioribus altiora denis pedibus ſtatui, atq; imperaui, quæ miraculo ſint futura, chariſſime præceptor, poſteris, ſcilicet nõ parua admiratione nouũ perpetuúmq; virtutibus monumentum, non inuidendũ mortalibus perpetuæ de nobis opinionis & animi induſtriæ. Huius regis gloriam emulati ſunt Romani, ſed non diuitias adæquarunt: ſtatuerũt enim columnas & ipſi quę rerum geſtarum referrent memoriam, ſed æreas atque marmoreas. Auguſtus nanq; victor totius Aegypti quam Cæſar pro parte ſuperauerat, multa de nauali certamine ſuſtulit roſtra, quibus conflatis quatuor fecit columnas, quæ poſtea à Domitiano in capitolio ſunt collocatæ: nã roſtratas Iulius poſuit victis Pœnis nauali certamine, è quibus vnam in roſtris, alteram ante curiam poſitam conſtat. Fuerunt & marmoreæ colũnę, quibus apud maiores, nobiles aut ſub montibus, aut in mõtibus ſepeliebantur: vnde natum eſt vt ſupra cadauera aut pyramides fierẽt, moles ab imo latiſſimę, in ſummitates acutiſſimas deſinentes, ſic dictè, quòd ad ignis ſpeciem in conum tenuarẽtur, aut ingentes collocarentur columnæ. Verum quanquã de pyramidum mole ac forma ſcripſerint Herodotus & Homerus Duriſianus, Ariſtagoras, Dionyſius, Artemidorus, Alexander, Polyhiſtor, Buthoriades, Antiſthenes, Demetrius, inter omnes eos tamen non conſtat à quibus cœptæ ſint auctoribus. Erigendarun autem dicandarúmque pyramidum cauſa in Aegypto, regum pecunię ocioſa & ſtulta oſtentatio à pleriſque traditur, ne pecuniã ſucceſſoribus aut emulis inſidiantibus præberẽt, aut ne plebs ocioſa langueret. Colũnarum verò vſus in Romanis cœpit à Cornelio Menio qui priſcos deuicerat, anno vrbis cõditę ccccxvi. Erat & in foro Traiani columna ſub qua oſſa eius poſita in vrnam aureã collocata fuiſſe conſtat, permanentq; duæ adhuc Romæ Hadriani & M. Antonii ſuis nominibus celebres. Harum autẽ ratio eſt, quibus dicatę fuerint attolli ſuper cæteros mortales, quẽadmodum in vrbe Roma inter diuerſas moles obeliſcos videmus plures, aliosq; iacentes, alios erectos, quos imperatores maximi bello domitis gẽtibus & proſperitatibus clariſſimarũ rerum geſtarum elati diis ſuperis in religione dicarunt. Sic Seſooſis Aegypti rex obeliſcos ex lapide puro duos erexit, vtrũq; altũ cubitis centumuiginti, in quibus tum imperii magnitudinem, tũ quas ſubegit nationes deſcripſit. Sic apud Hyberos pugnacẽ gẽtem tot obeliſcos erigere circa cuiuſq; ſepulchrũ moris erat quot homines ex numero hoſtiũ ille necaſſet. Erãt & Triũphales arcus, ſuntq; adhuc Romæ ſuo loco, imprimis imper. Cæſaris, L. Septimii, & imper. Cæſ. M. Aurelii, Antonini Pii, rerum ſuarum inſigni marmore & claro artificio, vt impreſſa docet inſcriptio. Et arcus etiam triumpho inſignis Conſtantini, quem inciſæ literæ liberatorem vrbis, fundatorẽ quietis indicãt. Eſt & nobilis atq; triũphalis Hieruſalem, hunc titulũ habens, Diuo Veſpaſiano & Diuo Tito filio. S. P. Q. R. Pauca reliquorũ deinde veſtigia ſupſunt, quanq; trecẽtos et viginti triũphos ab vrbe cond. ad hęc ipſa quę modo diximus tẽpora numerent. Nec etiã dubium eſt ob virtutis miraculũ quin maiores noſtri reges ipſos vita functos iactare ſũmis laudibus ac nouis et exquiſitis honoribus cœperint, ſiue vt fieri ſolet in adulationẽ eorum,

ſiue ob beneficia quibus erāt humanitate compoſiti, ipſi reges deinde cum chariſſimi fuiſſent his quorum vitam compoſuerant multisq; honoribus referſerāt, non paruum deniq; ſui deſiderium de medio ſublati reliquerunt: ſicq; homines ætatis illius ſiue Samii,ſiue Corinthii,ſiue Aſſyrii,ſiue Aegyptii,ſiue alterius gētis fuerint,ſimulachra finxerunt & ſtatuas, vt haberēt quo aliquam voluptatem ex imaginum talium proſpectione reciperent, progreſſique lōgius per amorem memoriam cœperūt colere defunctorum vt & gratiam referre benemeritis viderētur,et ſucceſſores eorū allicere ad bene imperandi cupiditatē: quod orator eximius in Natura deorum monet dicēs, Suſcepit autem vita hominis cōſuetudóque communis vt beneficiis excellentes viros in cælū fama ac voluptate tollerēt. Hinc Hercules, hinc Caſtor, hinc Pollux, hinc Aeſculapius,hinc Liber, & alio loco,atq; alio, & in pleriſq; ciuitatibus intelligi poteſt, acuendæ virtutis gratia: aut quo libentius reipublicæ gratia periculum adiret optimusquiſque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium conſecratam . Hac ratione Mauri proprios reges,Romani ſuos Cęſares,& qui viri fortitudine inſignes erāt conſecrauere. Inde per gentes & prouincias ſingulas varia deorum religio mutatur,dum non vnus ab omnibus deus colitur,ſed propria cuiq; maiorū ſuorum cultura ſeruatur. Hoc ita eſſe Alexander Magnus inſigni volumine ad matrem ſuam ſcribit ,metu ſuæ poteſtatis proditū ſibi à diis, hominibus, à ſacerdote ſecretum,quòd maiorum & regū memoria ſeruata ſit: inde paulatim cultu in metum verſo , ſuperſtitionem mortiferam irrepſiſſe, verúmque eſſe poëticum illud, Primos in vrbe deos fecit timor. Quo autem tempore huiuſmodi diuini honores mortalibus eſſe cœperint,non eſt obſcurum,præſertim quum nulli reges ante Saturnum vel Vranum fuerint,& Iouis temporibus ab initio templa conſtituta eſſent,& noui deorum cultus inuenti. Sic hominum effigies quum nō ſolerent, exprimi cœpere,nec niſi ab aliqua inſigni eorū qui diuturnitatem nominis meruiſſent: primoq; ſacrorum certaminum victoriæ, maximeq; Olympiæ,vbi omnes quicūq; victores fuiſſent ſimulacra effingi ſolere moris erat , eorum qui ter huiuſmodi in certamine ſuperiores euaſiſſent, ex vniuerſo corpore lineamentis ad ipſorum ſimilitudinem expreſſis.Primus tamen hic ſtatuarum honos,vt videre videor,Græcis debetur, nullísque apud eos reor plures dicatas q̄ Demetrio Phanoſtrati filio Phalereo,qui quum apud Athenienſes cōcionaretur vrbi prę-fuit annis decem,æreisq; ſtatuis honoratus eſt trecentis ſexaginta,quarum plures equeſtres erant, & in curribus ſeu bigis ſtabant ſummóque ſtudio ferme intra quadringentos dies conſumatę erant. Iam quum apud Athenienſes clariſſimus eſſet,ſic quoq; ipſe ab ea quę cuncta conſumit inuidia tentatus, quippe inſidias paſſus à quibuſdam,mortis ſententiam abſens excepit,non tamen eius corpore potiti ſunt,verùm ipſius deiiciētes imagines, ærugine de induſtria fœdatas, alias quidem vendiderunt,alias ſubmerſerunt, alias in fruſta concidērūt,vna autem in acie ſeruata: atque hoc intuliſſe Athenienſes huic Demetrio, iubente rege proditum eſt. Apud Romanos etiam & pedeſtres et equeſtres ſtatuas proculdubio aliquādiu in ſumma veneratione & auctoritate habitas conſtat,equeſtrium tamen origo perquàm vetus eſt,& cum fœminis etiam honore communicato,

to,exemplo Clodiæ cuius ſtatua equeſtris erat, ceu parum eſſet toga eam cingi, quum nec Lucretiæ, nec Bruto qui expulerant reges, propter quos Clodia inter obſides fuerat decerneretur: & quanquam Catonis in cenſura vociferationes eſ ſent,mulieribus romanis in prouinciis ſtatuas poni,non tamen potuit inhibere quominus Romæ quoque ponerentur,ſicuti Corneliæ Gracchorum matri ,quæ fuit Aphricani prioris filia . Togatæ antiquitus ſtatuæ dicabantur , deinde nudæ,haſtam tenentes: græca enim res erat,ſtatuas nudas dicare, nihilq; in eis condere: ecõtrario verò romana,togas & militares thoracas ſuperaddere.Cæſar quidem dictator loricatam ſibi in foro dicari paſſus eſt ſtatuã.Fuit Marci Tremelii equeſtris toga,qui Samnites bis deuicerat,captaq; Anania populũ ſtipendio liberauerat.Fuit etiam Scipionis qui bellum in Aſia geſſit,Antiochúmque deuicit non ſolum cum chlamyde ſed etiam cum crepidis in capitolio ſita. Dicabantur quibuſdam argenteæ,quibuſdam aureæ . Pompeius nanq; in triũpho Pharnacis qui primus regnum tenuit in Ponto argẽteam trãſtulit. Mithridates item currus aureos & argenteos,quanquã nec deſint qui argenti vſum primum Diuo Auguſto dicatum in ſtatuis falſò arbitrentur. Aurea autem ſtatua, ac omnium prima nulla inanitate,in templo Anetidis,numine gentibus illis ſacratiſſima poſita eſt. Antonii deinde Parthicis rebus direpta ſtatua quoq; regis Aſſarii quã non adoraſſe capitale erat,ex auro fuit ſexagintarúmq; cubitorum proceritate. Domitianus etiam apud noſtros quum de Dacis Germaniſq; triumphaſſet,tantæ fuit inſolentiæ atque ſuperbiæ vt aureas atq; argenteas ſtatuas ſibi in capitolio poni iuſſerit.Ex ære etiam primam Romæ ſtatuam cõflatam, & Cæreri primùm dicatam ex Spurii Caſſii peculio quem regnum appetentem pater eius occiderat inuenio.Statua quoque Horatii qui & Cocles cognominatus eſt ęnea fuit,& in æde Vulcani poſita eſt,quę detrimentũ corporis acceptum (claudus enim teſte Plutarcho poſtea fuit)quod armatus in Tyberim deſiliens tyrrheno telo ſautius ille admiſerat oſtendit,Liuius licet obſtet, multíſq; ſuperincidentibus telis incolumẽ ad ſuos tranſnatauiſſe aſſerat.Cæſar dictator nõ ſolum ſibi in foro dicari ſtatuas paſſus eſt, ſed diſiectas Pompeii ſtatuas repoſuit. Ex hoc etiam Auguſti Cęſaris morem probandum cẽſeo, quòd illuſtrandis ducibus antiquis qui romanũ imperium auxiſſent exactiſſimam diligentiam impendit,opera cuiuis reintegrans ac titulos,dedicatis omnium ſtatuis triumphali habitu in porticibus ſui fori:factum placet,nec minus ratio: ſiquidem edicto præfatus eſt,eo ſe propoſito id agere,vt eſſent quorum ad exẽpla & ipſius & ſuperioris temporis clarorum virorum formarentur mores,ad quorúmque velutĩ præſentem regulam inſtitutos principes ſuos po. ro.exigeret: ſapienter vtique. Nam quum aliquando ſtatuæ fuiſſent inſignia virtutum & his ponerentur qui ingenio & doctrina præſtarent, quíque magna geſſiſſent, aut mortem pro republica obiiſſent,quales decretas legatis à rege Veientium interfectis legimus, nullum mortuo , Ciceronis ſententia , ab homine mortali vel carius vel diuturnius præmium vel gratia maior vlla pręſtari poteſt quàm ſtatuæ vel ſepulchri.Harum rerum geſtarum & gloriæ memoriã quamplurimi ex his quos diximus bellorum duces æternitati commendari poſſe exiſtimantes ardenter affectarunt,

tanquam plus præmii de vrnis & figmẽtis huiuſmodi ſenſu carentibus adepturi,quàm ex conſcientia honeſte rectéq; factorũ. Quòd autem ſit pulchrum veluti exigua hęc & minima ſpernere ad aſcenſum veræ gloriæ tendentẽ,Cato Cenſorinus monſtrauit, qui interrogatus quã ob rem inter multos præclaros ſtatuam non haberet,Malo,inquit,ambigere bonos quã ob rem id non meruerim, q̃ quod eſt grauius cur impetrauerim muſſitare. Militari etiam gloriæ clypei ſe ingerunt,quos in ſacro vel in publico priuatim dicari inſtituti veteris fuiſſe cõperio. Primus qui hoc egerit, Appius Claudius fertur: is dico q cũ Seruilio coſ. fuit, anno vrbis cclxx. Poſuit enim in Bellonæ æde maiores ſuos,voluitq; in ſublimi videri, & clariſſime geſtorũ titulos legi. M. Aemilius in conſulatu collega Q. Luctatii poſt eũ nõ in baſilica modo Aemilia,verùm & domi ſuæ poſuit, placuitq; plenã virtutis imaginẽ reddi clypeo cuiuſq; qui fuerit illo vſus. Hos Pœni ex auro factitauere: ſicq; clypeos & imagines ſecũ in caſtris vexere. Eiuſmodi quoque ſcutis apud Troiam pugnatũ eſt,expreſſis quoq; imaginibus: & clypeus ſupra fores capitolinæ ædis vſq; ad incendium primũ fuit, tãtáq; maiorum quidem noſtrorum auctoritas in ea re annotatur, vt L. Manilio Fuluio coſ.anno vrbis dlxxv M. Aufidius tutelæ capitolii redẽptor,docuerit patres argenteos eſſe clypeos qui pro æreis per aliquot iam luſtra aſſignabantur. Tabulis ſimiliter pictis ſunt qui rerum ſuarũ memoriam excoluerunt,vt L. Aemilius Paulus, Luciusq; Scipio,ac Meſſala princeps. Horum enim primus de Liguribus triumphans geſtorum ordinem in tabula pictum publicè reliquit, ſecundus tabulam victorię ſuæ aſiaticæ in capitolio poſuit, tertiam tabulam pictã prælii quo Carthaginenſes & Gerionem in Sicilia vicerat in latere curiæ hoſtiliæ affixit,anno ab vrbe cond. dccccxl. Arator autẽ ille Arpinas & manipularis imp. C. Marius non clypeis pendẽtibus, non pictis tabulis,non toreumate ſignóve, non ſtatuis, marmore,aut ære,nõ obeliſco,non triumphali arcu,non pyramide,non columna,non pila aurea ædificióve quopiam tantum,ſed cantharo res ſuas clariſſime geſtas illuſtrauit. Poſt Iugurthinum enim & cymbricum theutonicúmq; triumphum, cantharis potaſſe Liberi patris exemplo traditur, quo inter bibendũ indice illius victoriæ ex Aſia ductæ ſuam compararet ac ſimillimam redderet.

Ludorum celebrationes, Cap. XII.

POſt hæc inſuper ludorum celebrationes, ſiquidem ad natales eorum, vel templorum nouorum dedicationes, vel vota ducum perſoluenda ingenti confluentis multitudinis copia ſunt conſtitutæ:& primitus quidẽ venationes quę vocãtur munera Saturno deo ſunt attributæ, ſiue q̃ ad expeditiones ituri, debeant pugnas & coẽuntes inter ſe acies ſpectare,ne in bello armatos hoſtes,vel vulnera, vel ſanguinem perhorreſcant, ſiue vt nonnulli perhibent,hãc apud veteres deuotionem factam,vt contra hoſtes ciuium ſanguine primũ tali deo litaretur. Peſcenius enim Feſtus in libris hiſtoriarum refert Carthaginẽſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare, & cum victi eſſent ab Agathocle Siculorum rege iratum ſibi deum putauiſſe,itaque vt diligentius piaculum ſoluerent,ducentos nobilium filios immolaſſe,tantum religio potuit ſuadere malorum,vt tãtam ciuitatis partem occiderent,quantã fortaſſe

taſſe nec Agathocles victor occiderat. Idem in Latio quoq; eodem genere ſacrificii cultus eſt, non quidem vt homo ad aram immolaretur, ſed vt in Tyberim de ponte Miluio mitteretur. Verùm id genus ſacrificii ab Hercule fuit poſtea cum Geryonis pecore ex Hiſpania per Italiam reuertente ſublatum, perſuaſitq; illorum populis vt fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent, ritu tamen permanente, vt pro veris hominibus imagines iacerentur è ſcirpo, vt Ouidius in faſtis docet,

Donec in hæc venit Tyrinthius arua, quotannis
Triſtia Leucadio ſacra parata deo.

Illum ſtramineos in aquam miſiſſe quirites Herculis exemplo corpora falſa iace. Hæc ſacra veſtales etiam virgines feciſſe his verbis idē poëta meminit,

Tum quoq; priſcorum virgo ſimulacra virorum
Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.

Ex his cauſis quæ de origine huius feſti relatæ ſunt apparet, Saturnalia vetuſtiora eſſe vrbe romana, adeò vt ante Romā in Græcia hoc ſolēne cœpiſſet. L. Accius in annalibus ſuis refert his verſibus, Maxima pars Graiûm Saturno & maxime Athenæ
Conficiunt ſacra quæ cronia eſſe iterantur ab illis.
Quúmque diem celebrāt per agros vrbesq; fere omnes
Exercent epulis læti famulóſque procurāt
Quiſq; ſuos.

Noſtríſq; itidem etiā mos traditus illinc eſt, vt cū dominis famuli epulentur. Ibidem eodē quoq; tempore quum diu etiam humanis capitibus Ditem placare ſe crederent, eundem ferunt Herculem ſimili modo redeuntem per Italiam gētibus ſuaſiſſe vt ſacrificia mutarent, inferentes Diti nō hominum capita ſed oſcilla ad viuā effigiem arte ſimulata. Inuenio poſtea quum ludi per vrbem in cōpitis agitabantur, reſtitui ſcilicet à Tarquinio Superbo laribus ac Maniæ ex reſponſo Apollinis, quo præceptum eſt vt capitibus pro capitibus ſupplicaretur, idq; quàmdiu obſeruatū vt pro familiarium ſoſpitate pueri mactarentur Maniæ deę matri larium, ideſt, deorum inferorum: quod ſacrificii genus Iunius Brutus coſ. pulſo Tarquinio aliter conſtituit celebrandum. Nam capitibus allii & papaueris ſacrificari iuſſit vt reſponſo Apollinis ſatiffieret de numero capitum, remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis, factúmque eſt vt pilæ & effigies viriles & muliebres ex lana cōpitalibus ſuſpēderentur, tótque his pilæ quot capita ſeruorum, tot effigies quot eſſent liberi ponerentur, quæ denique effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorū foribus periculum ſi quod immineret familiis expiarent, ac dea viuis parceret his pilis & ſimulacris contenta. Ludos autem ipſos ex viis cōpitorum in quibus agitabantur compitalia appellitauerunt. Deinde quoniam fuiſſe Pani lyceo rem diuinam, & cum hac Luperca lia feſta quōdam celebrata primum fuiſſe apud vetuſtatis aſſertores cōſtat, de his nobis tertio loco differendum videtur. Ea itaque ſacrorum genera vt elegantiſſimis rerum geſtarum ſcriptoribus viſum eſt, ab his qui ex Arcadia cum Euandro in eum locum qui nunc romanæ vrbis eſt profecti ſunt, ad noſtros primum delata fuiſſe ferūt, ac ritu ſuo celebrata. Ouidius in faſtis, Pana deos pecoris veteres coluiſſe querūtur Arcades Arcadiis plurimus ille iugis. Pan erat armēti, Pan illic numen aquarum, Munus ob incolumes ille ferebat oues. Tranſtulit Euander ſylueſtria numina ſecum, Hic vbi nunc vrbs eſt, tunc locus vrbis erat. In qua quidem vrbe conſtat Euandrum conſtituiſſe, vt diuiſa paſtorali turba, nudi iuuenes ac pellibus immolatarum hoſtiarum inuoluti lyceum Pana

venerantes, per luxum atq; lasciuiam ex epularum hilaritate profusioreq; vino prouecti personati currerent, loráque manu ferentes obuios quosq; ac mulieres maxime adultas, his vltrò manuũ palmas cędendas porrigentes verberarẽt, existimantes id sibi fœlicem pariundi facultatẽ præstare posse, eodem postea poëta dicẽte, Nupta quid expectas? non tu pallẽtibus herbis Nec prece, nec magico carmine mater eris. Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ, Iam sacer optatum nomen habebit aui. Cur autẽ nudi currentes hunc deum coluerint, pleraq; curriculo vetustatis ad nos vsq; delapsa indicant, siue q; ipsi deo qui nudus est celeritati suę eo pacto longe aptius nudos ministros habere visum sit, siue q; Arcades omnium populorũ qui Græciam coluerint vetustissimi, feris similem adhuc syluis & montibus vitam agentes, expertes legis artísque, primum hunc deum venerari patrio cultu cœperint. Idem auctor in fastis, Cur igitur currant, & cur si currere mos est, Nuda ferant posita corpora veste rogas? Ipse deus velox discurrere gaudet in altis Montibus, & subitas concipit ille feras. Ipse deus nudus nudos iubet esse ministros, Nec satis ad cursus cõmoda vestis erat. C. verò Atacilius, vt scribit Plutarchus, scribit Romulum quũ ante conditam vrbem eius pecora à latronibus rapta fuissent, Lupercalium solemnitate in honorẽ Fauno supplicem primo excoluisse, nudum deinde ne sudore prępediretur, omneis saltus currendo syluasq; lustrasse, ideo nudatos Lupercales hæc ludicra celebrasse. Lupercos alii nudos fieri solitos aiunt, q; Faunus veste delusus à suis, eam sacris procul arcuerit. Ouidius item in fastis, Veste deus lusus, fallentes lumina vestes Non amat, & nudos ad sua sacra vocat. Iustinus quoq; magis ex habitu dei cui ea sacra fiebant, quàm ex alio nuditatis causam refert, quũ post hunc tertio loco regnasse Faunum ferunt sub quo Euander ab Arcadiæ vrbe Palanteo in Italiam cum mediocri turba popularium venit, cui Faunus et agros et montẽ quem ille postea Palanteũ appellauit benigne assignauit: in huius radicibus tẽplũ Lyceo quẽ Græci Pana, Romani Lupercal appellant, constituit, ipsum dei simulachrum nudũ caprina pelle amictum est, quo habitu pòst etiam Romæ Lupercalibus decurrebatur: vtcunq; res se habeat, in tẽpora tamen vsq; C. Cæsaris huiusmodi obseruationẽ fuisse cõpertũ est: ea nanq; sacra quũ sedens Cęsar spectaret & inter eos qui solennia celebrarent M. Antonius cos. qui triũuir postea fuit adesset, aiunt eũ diadema capiti Cęsaris imponere conatum, quod quum Cęsar amoto capite ac simul manibus reiecisset, Iouis capitolini statuæ ilico iussit imponendum. De nomine Lupercalium non vna etiam ratio, sed varia proditur: alii nanque locum deo Pani sacratum Arcadiæ ferunt, cui etiam mons in Arcadia lyceus consecratus est, & dictus græcè λύκος, id est, lupus, q; lupos haud sinat in oues desæuire: ideo & Euander deo gentis suæ sacrificauit locum, & nominauit Lupercal, q; præsidio ipsius, lupi à pecudibus arcerentur. Alii, referente Plutarcho, putant à Lupa quę Romulum educauit potius emanasse, quũ (vt ait) lupercales ludicrum inchoẽnt, vbi expositum Romulum fuisse fama est, tametsi quæ ad sacra pertinẽt minus ei conueniant rei dum de Lupa Romuli nutrice loquitur. Idem poëta his verbis fidem facit, Illa loco nomen fecit deus ille lupercal Magna dati nutrix præmia lactis habet. Quis vetat Arcadio dictos de monte lupercos?

lupercos? Faunus in Arcadia tẽpla lyceus habet. Inueniuntur etiã auctore Quintiliano qui Lupercalia æque tres partes orationis esse contẽdant, quasi ludere per caprum. Ob temporis deniq; obseruationem ludicrũ hoc, vt inquit Plutarchus, ad expiandos manes constitutũ creditur: fiebat enim, vt ille inquit, nefastis diebus mẽse februarii, quẽ piaculare interpretãtur, eodẽ poẽta in Fastis dicente, Tertia post idus nudos aurora lupercos Aspicit, & Fauni sacra bicornis eunt. Cõsualia ludi dicebãtur quos in honorẽ Consi faciebant, quẽ deũ consilii putabant. Circenses verò quos primus Romulus raptis Sabinis Consualium nomine celebrauit, Neptuno dicabantur. Hi in littore olim fluminis agebantur, ab alio latere positis ensibus & gladiis, vt ab vtraq; parte esset ignauiæ præsens periculum, vnde & circenses dicti sunt, q; exhibebãtur, in circuitu positis ensibus, licet alii à circuẽdo, ab, Astercienſibus alii circenses dicant vocari solitos. Horũ ratio ludorum quid aliud habeat nisi leuitatẽ, & vanitatem, & insaniam non video: tanto nanq; impetu concitabantur animi in furorẽ, quanto illuc impetu currebatur, vt iam plus spectaculi exhiberent quàm spectandi gratia cõueniissent, cum exclamare, & efferri, & exilire cœpissent. Equiria, ludi sunt quos Romulus idem Marti instituit, per equorum cursum qui in cãpo martio exercebantur. Gladiatorum quoq; munus dictũ quod populo tanquã munus donatur, & qui donat munerarius: & qui familiam gladiatorũ habet, gladiatoréq; domi in disciplina, & in ludo exercet, ac postea vendit, lanista vocatur: gladiatorũq; ideo dictũ, q; mos erat in sepulchris mortuorũ, virorum fortium captiuos necari, quod quia postea inimane visum est, placuit dimicare gladiatores ante sepulchra: quem morem Homerus noster Mantuanus his verbis expressit, Viuẽtes rapit inferias quos immolet vmbris, Captiuóq; rogi perfundat sanguine flãmas. Nec abnuit ille teste Floro, de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro, deinde in honore viriũ gladiator, qui defunctorũ quoq; prælio ducum imperatoris celebrauit exequiis, captiuósq; circo regio iussit armis depugnare, quasi plane expiaturus omne prẽteritum dedecus, si de gladiatore munerator fuisset. Liuius ab vrbe cõd. xxix, Scipio Carthagine ad vota soluẽda diis, munúsq; gladiatorum quod mortis causa patris patruiq; parauerat edẽdũ redit. Gladiatorũ fuit spectaculũ nõ ex eo genere hominũ ex quo lanistas cõparare mos est, seruorũq; vænalẽ sanguinem habent, voluntaria omnis & gratuita opera pugnãtium fuit. Nam alii missi ab regibus sunt ad specimẽ insitæ genti virtutis ostendendũ, alii ipsi professi se pugnaturos in gratiã ducis, alios æmulatio in certamen vt prouocarent, prouocatiue haud abnuerẽt traxit. Quid enim miretur quisq; in hoc primum, inuentorẽ an inuẽtum, artificem an auctorẽ, ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere, an iubere, an super omnia populi furorem? quàm vile enim nefas animarum istarum, quantũ inde querelarum, quantũ mali potuit hauriri, quis non videt? Nouendiales ludi sunt, qui in honorem mortuorum celebrantur. Proinde apud maiores vbi quis fuisset extinctus, ad domum suam referebatur: vnde est, Sedibus hunc refer antè suis: & illic septem erat diebus, octauo incendebatur, nono sepeliebatur domi etiã suæ: vnde orta est cõsuetudo vt dii penates colãtur in domibus. Similiter Funebres, Plebeios, Megalenses, Apollinares quos omnes currules

currules ædiles munere publico curabãt,magno plauſu celebratos inuenio.Funebres ad detinendũ populum inſtituti,dum põpa funeri decreta in honorẽ Patricii viri plene inſtruitur.Plebeii qui ꝑ ſalute plebis ꝯdũtur exactis regibus,pro libertate,aut pro recõciliatione plebis poſt ſeceſſionẽ in Auentinũ.Magni ludi, Romani ludi appellabantur,quos in honorem Iouis faciebãt: vel romani Regii ludi,Q. Aſconio teſte,ſuis ſub regibus inſtituti ſunt, magníq; appellati, ꝙ magnis impẽſis dati,cum primũ ludis impenſa ſunt ducenta milia nummûm,adeò magnos ludos factos putant, ꝙ conſiliorũ ſecretorũ deo,id eſt, Neptuno lari & diis magnis,id eſt,laribus vrbis Romę dati ſunt,quibus aiũt raptas Sabinas eſſe, quod videtur Virgilius notaſſe, Et magnis Circenſibus actis. Megalenſes verò nobiliũ ludi & magnis diis conſecrati,à loco inuentionis eius ſic dicti.His prætorum erat ludis intereſſe & luſores cõducere. Iuuenalis in Satyris, Interea Megaleſiacæ ſpectacula mappæ Ideum ſolenne colunt, ſimiliſq; triumpho Præda caballorum prætor ſedet, ac mihi pace Immenſę nimiæq;,licet ſi dicere,plebis, Totam hodie Romam circus capit, & fragor aurem Percutit,euentum viridis quo colligo panni. Nam ſi deficeret mœſtam attonitamq; videres Hanc vrbem veluti Cannarum in puluere victis Conſulibus ſpectent iuuenes quos clamor & audax Sponſio,quos cultę decet aſſediſſe puellę. Ludos ſcenicos Valerius Anciias auctor eſt,Megaleſia appellatos,&, ſi Firmiano credimus, Libero attributos, cui ex Indis Thebas redeunti, à triennio bis peregrinationis exacto Græcos inſtituiſſe trieteridas tradunt.Ludorum Apollinarium origo victoriæ non valitudinis ergo, vt quidam annaliũ ſcriptores produnt,ex duobus Martii vatis carminibus,cuius duo in ſenatu volumina illata erant,memoratur: priore carmine Cannenſis prædicta clades in hęc propemodũ verba erat, Amnem troiugenam Romane fuge Cannã,Nec te alienigenæ cogãt in cãpo Diomedis conſerere manus: ſed neq; credes Tu mihi donec ſanguine campũ, Multáq; milia occiſa tua defert Amnis in pontum magnum extra frugifera piſcibus Atq; auibus feris quoque quæ incolunt terras,his fluat eſca caro tua: nam mihi ita Iuppiter fatus eſt,Diomedis argiui campum & Cannam flumen qui militauerat in his locis iuxta atq; ipſam cladem agnoſcebant: tum alterum deinde carmen inuentum eſt ita ſcriptum, Hoſtem Romani ſi ex agro expellere vultis Vomicã quæ gentium venit longe Apollini vouendos cenſeo ludos,qui quotannis comiter Apollini fiant. His ludis faciendis præerit prætor,qui ius populo plebíq; dabit.Summum diem viri gręco ritu hoſtiis ſacra faciant.Hoc ſi recte facietis gaudebitis ſemꝑ fietq; reſpub . veſtra melior: nã is dies extinguet ꝑduelles veſtros q veſtros campos paſcunt placidè . Ex hoc carmine quum procurandi gratia dies vnus rebus diuinis impenſus eſſet,poſtremo ſenatuſconſultum factum eſt,vti decemviri quo magis inſtruerentur de ludis Apollini faciendis,réq; diuina recte facienda,libros Sibyllinos adirent,in quibus quum eadem reperta nũciatum eſſet, cenſuerũt Patres Apollini ludos vouendos faciendosq;,inq; eam rem duodecim milia æris prætori & duas hoſtias maiores dari,Deceuiriſq; preceptũ vt græco ritu,id eſt,capite operti hiſce hoſtiis ſacrum facerent, Apollini boue aurato & capris duabus albis auratis,Latonæ boue fœmina aurata.Hos ludos in circo po

pulus

pulus coronatus ſpectare iuſſus erat, matronæ ſupplicare, vulgus apertis ianuis in propatulis epulabatur, celebêrq; dies is omni cerimoniarum genere habebatur: ſicq; paulatim cęteris diis huiuſmodi ludorum honos tribui cœpit, ſingulique ludi, ſicut Siſinius Capito in libris ſpectaculorum deſcribit, nominibus eorum conſecrati ſunt.

Principum ex bellis dijs oblata. CAP. XIII.

IN ſuprema demum noſtri laboris parte, ſummam reponemus principum, ex bellis diis oblata in medium relaturi. Quis enim bellorum turbinibus victor egrediens dominum exercituum inhonorum dereliquit, quum illi etiam ipſi qui veri dei cognitionẽ minus haberẽt quodcunq; illud eſſet numinis haudquaquã prætermitterent, quin ſumma quadam veneratione proſequerentur? de quibus ne forſan hæſitare quiſpiam poſſit, teſtes adſunt præcellẽtiſſimi duces, ſed in primis Dionyſius qui & Liber dictus eſt, & Alexãder Macedo. Indiam enim ingreſſus ille, primitias deo Ioui in oriente à captiuis habitas primus obtulit: quod ſi non abunde conſtaret, Ouidius in faſtis teſtis eſt opulentiſſimus, dicens, Ante tuos ortus aræ ſine honore feruntur, Liber, & in gelidis herba reperta focis. Te memorant Gange totóq; Oriẽte ſubacto, Primitias magno propoſuiſſe Ioui. Cinnama tu primus captiuáque thura dediſti, Deóq; triumphato viſcera toſta boue. Nomina ab auctoris ducunt libamina nomen Libáque quòd ſanctis pars datur inde focis. Huic à teneris Græcorũ more vnguiculis ſine parſimonia thura ingerenti aris, pædagogus Leonidas eam thuris profuſionem ægre ferens, thúſque perſæpe adimens inquit, Heus tu puer, large ſic odores offeres quum regionis thuriferæ potiere. Qui Arabia tandem potitus rex, thure onuſtam nauim miſit ei, ac epiſtolam in hæc propè verba, Miſi ad te thuris & caſſiæ talenta, ne quæ minima ſunt, maximi facias in diuinis rebus, vtpote qui non ſis neſcius nos pigmentiferi potitos ſoli. Eidẽ Alexandro poſtea adulto placuere & lychni penſiles in delubris, arborum non mala ferentium, lucentes, vt in templo quondam Apollinis palatini, quem idẽ Alexander Thebarum expugnatione captum Luciniæ dicauerat. Apud Iunonis quoq; Luciniæ templum in Brutiis æſtatem agens Hannibal aram ibi condidit dedicauitq; cum ingenti rerum ab ſe geſtarum titulo, punicis greciſq; literis inſcripto. Idem pro tot tamq; fœliciter in Italia geſtis, maxime poſt labefactam ex Cannẽſi clade rem romanam ad internitionemq; penè redactam, diis immortalibus ſacrum agi haberiq; iuſſit. Iouis autem templo quod primũ in vrbe conſecratũ eſt, Romulus primus ſpolia ab Acrone Ceniẽſium rege à ſe occiſo detracta retulit. Cornelius deinde Coſſus quũ Columnium Hetruſcum Fidenatũ ducem obtruncaſſet, eidem deo ſpolia conſecrauit. Nec M. Marcellus ſilẽtio inuoluendus, qui apud Padum Briomatum Gallorum regem ab eo ſuperatum & cęſum armis exuit, inde procedens ad Feretrii Iouis tẽplum aſcendit, & ea illi ſolenni dedicatione ſuſpendit. Neq; his contentus Marcellus eſt, captis nanq; Syracuſis, ornamenta, ſigna vrbis, tabulasq; quibus ciuitas illa florebat Romam deuexit, patriiſq; diis ſuſpendit. Viſebãtur ea ad portam Capenam in templo ab eo dedicato. Ab eodem legimus Virtutis templum & Honoris renouatum, quod

multis

multis antè annis fuerat bello lyguſtico Q. Maximo dedicatũ. Tullum Hoſtilium quũ bis de Albanis, de Sabinis tertio triumphaſſet, inuenio phanum Saturno ex voto conſecrauiſſe, etiam Saturnalia tunc primùm Romæ inſtituta, q̃uis Varro libro qui eſt de ſacris ædibus vi-ſcribat, ædem Saturni ad forum faciendam locaſſe L. Tarquiniũ regẽ, T. verò Lartiũ dictatorẽ, Saturnalibus eã dedicaſſe. Nec me fugit Gelliũ ſcribere ſenatũ decreuiſſe vt ædes Saturni fieret, eiq̃ rei L. Furiũ trib. militũ præfuiſſe. Tarquinius, cui cognomẽ ſupbo ex moribus datũ, tẽplũ ex hoſtiũ ſpoliis erexit, quod quũ inauguraretur cedẽtibus diis cæteris, mirabile dictu, reſtitere iumẽta & termini, tanq̃ numina hæc cõtumacia, firma omnia & æterna pollicerentur. Scipio Numãtinus Virtutis phanum erexit, deinde C. Marius de manubiis Cymbricis & Theutonis ædẽ Honori & Virtuti fecit. Pòſt Scaurus Aemilius templũ Menti, quòd circiter bellũ Cymbricũ natus, cum ſcilicet eloquentia & eruditio vrbem ingreſſæ, eam cœperint ampliſſime exornare. Aemilius conſul quum Gallos acie viciſſet, ex ipſis Gallorum torquibus aureum Ioui tropheum erexit, quòd deuouiſſent Galli ſi viciſſent, de Romanis ſpoliis Marti Gallico torquem aureum cõſecratũ iri. Atqui Furius Camillus quũ Gallorum extinxiſſet incendium, & Romam auro liberandã è lance abſtuliſſet, nõ conſilii, nõ fortitudinis, ſed famæ & vaticinii tẽplum iuxta viam nouam erexit. Pulcherrimũ operum Pantheon Ioui vltori ab Agrippa factum veterum monumenta produnt. Minerua Romæ iuxta Capitolium quondã ſita, quæ Euphranoris erat, Catulliana poſtea dicta, à Q. Luctatio Catullo dicata: aliam Mineruam Romæ ad ædem Fortunæ Aemilius Paulus dedicauit. Fecit & Spurius Clauilius Iouem in capitolio victis Samnitibus ſacra lege pugnantibus, ex pectoralibus eorũ, ocreis & galeis. Diuus Iulius thoracem quem Veneri genitrici in templo eius dicauit, ex Britannicis margaritis factum voluit intelligi. Pompeius Magnus imperator vitem auream cum botro in tẽplo Iouis Capitolini ſacrauit. Erat autem quingentorum talentorum auri, titulum habens, Ariſtoboli filii Alexandri regis. Auguſtus Cæſar omnium templorum conditor legitur aut reſtitutor. Diuus Veſpaſianus Concordiæ ſiue Pacis templum ædificauit, effecítque. Ac ne iſta in re vniuerſa perſequar, quoniam longum nimis & operoſum id quidem eſſet, horum illuſtrium ducum & aliorum ſubſequentium imperatorũ contextu, certamine religionis, ac laudis emulatione, nec inferior, Sigiſmunde, (vt aliquando in te iure ſuo noſtra deſinat, vnde cœpta eſt, oratio) poſt conſummationem Italici belli, inuicta animi tui virtute cunctis hoſtibus profligatis, proſtratíſque, ab armis ad negocia vrbana mentem conuertens, de manubiis obſeſſarum deditarúmque per te vrbium, ſumma ſacratiſſimi diuiníque principis religione fretus, præter ædes ſacras extra tertio ab vrbe lapide in monte maríſque proſpectu ſitas, templum illud percelebre omníque admiratione dignum, ac vnicum denique monumentum regii nominis tui, intra mœnia vrbe media ac forotenus à fundamentis extructum deo dicatum reliquiſti, tantáque diuitiarum largitate, tam mirificis picturæ toreumatúmque ornamentis, vt in hac celeberrima vrbe plurima quum ſint cognitu & memoratu digna, nihil antiquius ſit, nihil quod

magis

magis viſendum putetur, ampliſſimis præſertim parietibus, permultíſque altiſſimis arcubus, peregrino marmore exædificatis, quibus lapideæ tabulæ veſtiuntur, quibus pulcherrimè ſculptæ inſpiciuntur, vnàq; ſanctorum patrum, virtutum quatuor, ac cæleſtis zodiaci ſignorum, errantiúmq; ſiderum: Sibyllarum deinde muſarúmq; & aliarum permultarũ nobilium rerum imagines, quæ nedum præclaro lapicidę ac ſculptoris artificio, ſed etiam cognitione formarum, liniamẽtis abs te acutiſſimo & ſine vlla dubitatione clariſſimo huius ſeculi principe ex abditis philoſophiæ penetralibus ſumptis, intuentes literarum peritos, & à vulgo fere penitus alienos, maxime poſſint allicere. Præcellentiſſimis præterea loca hæc ſanctiſſima pontificis priuilegiis & innumeris donis ac ſanctorum reliquiis ornaſti, quum vltra hæc maximum quotannis æris & auri reditum per te his deo dicatum, gẽmas, margaritas, pateras aureas, calices, acerras, thuribula, cruces, cãdelabra, tabulas, organa, tunicas purpureas, & trabeas textili auro, plurima deniq; ſacrorũ ethnicorúmq; librorum, ac omnium optimarũ artium volumina vna donatione contuleris. Nouitium ſanè, præclarum, & ingens ad immortalitatem inuentum, quum non auro, argento, ęre vel marmore, calce vel lapidibus tantùm, verùm in bibliothecis ab illis dicari volueris quorum immortales animæ in locis iiſdem loquuntur. Cęterarum rerum tuarum cumulũ referre, haud facile duxerim, quũ præter hæc tot claris operum monumentis adeò nomen tuum paſſim illuſtretur vt nulla vnquam tam ſurda poſteritas, nulla tam ingrata fama futura ſit, quæ non illud in cælũ tollat, ac debitis & optatis laudibus proſequatur. Videor certiſſima ſalus lumenq; ac patriæ decus & pater, Sigiſmunde Pandulphe Malateſta, optatum iuſſionis tuę meiq; operis rerum militarium munus abſoluiſſe, non neſcius potiora eſſe quæ iubebantur quàm ſuſtinere mediocre cuiuſpiam poſſet ingenium, proindęq; plurima me incognita præteriiſſe, quæ commode potuiſſent his voluminibus inſeri: cæterùm cum communis humani (vt ita dixerim) animi morbus ſit, vt plura lõge quiſq; neſciat quàm ſciat, nec vt Flaccus inquit, quiuis horrẽtia pilis Agmina, nec fracta pereũtes cuſpide Gallos, Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi, ſi quid in his libris parum eſt vel nimium, ſi quídque quod ex illo priſco & diſertiſſimo veterũ dicendi more fluere, ac retro ſublapſum referri viſum ſit, mihi ſuccenſeant ſoli rogo: ſi quid autem ſatis quod poſteritate dignũ in arceq; poni queat quaſi Minerua illa Phidiæ, vel ex ipſius Mineruæ officina exiiſſe videatur, non mihi ſed diuino numini tuóque deinde gratias mecum magnas nedum agant, ſed ingẽtes & cumulatiſſimas referant, qui ad ſuſcepti laboris metam in magnis bellorum æſtibus eſſes licet, ſtudia tamen noſtro ductu & auſpiciis tuis lucidiora & alacriora foues, calcar ſemp addidiſti, & currentẽ vt aiunt ad curſum aſſiduè prouocaſti.

FINIS.

Lutetiæ apud Chriſtianum Wechelum,
Anno M.D.XXXII. menſe Iulio.

VNICVM·ARBVSTV
NON
AIT DVOS ERITHA
COS

E/1
575